










IACOBI GRETSERI SOCIETATIS IESV THEOLOGI

EXERCITATIONVM THEOLOGICARVM ADVERSVS HÆRETICOS,

Libri VI.

AD REVERENDISSIMVM ET ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM AC Dominum, Dominum IACOBVM CHRISTOPHORVM, Episcopum Basileensem, &c.



Cum Gratia & Priuilegio Cæsareæ Maiestatis.

INGOLSTADII,

Ex Officina Typographica Ederiana apud ANDREAM ANGERMARIVM.

Anno M. D C IV.



Index librorum.

I. Commentariolus duplex, alter in numiſma argenteum nuper ab hæreticis de Colloquio Ratisbonenſi cuſum. Alter in eiusdem metalli numiſma in laudem Huſſi, Lutheri, & Rabi ſub figura Anſeris, Cycni & Corui ſignatum & vulgatum.


II. Commentarius & gloſſæ in orationem Hunnianam de Pſeudoiubilæo VVitebergenſi.

III. Diſceptatio, vtrum verum ſit, Zvvinglium præcipuum doctrinæ ſuæ caput didiciſſe à Diabolo, cum refutatione argumentorum, quæ pro defenſione Zvvinglij adfert Marcus Beumlerus ſacramentarius.

IV. Supplementum duplex pro duobus libris de jure & more prohibendi, expurgandi, & abolendi libros hæreticos & noxios.

V. Antimonium pro deliro quodam Medico & Alchymiſta, qui nominis ſui oblitus ſe Baſilium de Varna nominat, deliranti eo fine, per triginta Doſes porrectum, vt expurgato cerebro cum alia, tum etiam hoc diſcat, quæ nam ſit controuerſiarum norma, & quis Iudex.

VI. Breuis admonitio, qualis ſit liber Antigretſerus inſcriptus, à Pædotriba quodam VVitebergenſi in gratiam Hunnii emiſſus.





REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO IACOBO CHRIstophoro, Episcopo Basileensi, &c.

JACOBVS GRETSERVS SOCIET. IESV.



ISidorus Pelusiota, scriptor antiquus & grauis, Reuerēdissime & Illustrissime PRINCEPS, non rarò in Epistolis, quos ad varios plurimas dedit, inuehitur in Cappadocas, tanquam in mortalium, quos sol adspicit, improbissimos. *Subdola*, inquit alicubi, *atq; improba magna ex parte hæc natio est. Pace offenditur, contentionibus ac dissidiis alitur, eundemq; dul-*

cis & amari fontem habet. In congressu blandè ac benignè loquitur, in absentia obtrectat. Fallax est, impudẽs, temeraria, cauillatrix, illiberalis, versuta, inhumana, superba & contumax; in secundis amicorum rebus mœsta, in aduersis læta & insatiabilis, ad mentiendum procliuis, ad peierandum velox.

Hac oratione, velut viuo colore, non tam depinxit, iudicio meo, Isidorus Cappadocũ natione, quàm hæresin, sapientiam illã, non *desursum* vt S. Iacobus loquitur, descẽdentem, sed ex orco exsistentem, *terrenã, animalem, Diabolicã.* hydræ poëticæ similem. Hæreses in Ecclesiis, ait Cassianus, *illius, quam poëtarum cõmenta finxerũt, hydræ similitudinẽ gerũt, & istæ enim aduersum nos linguis feralibus sibilant, & istæ virus lethale iaciũt, & istæ sectis capitibus renascuntur.* Quid igitur facto opus, si pestifera hæc hydra, omnibus illis notis, q̃bus Pelusiotes Cappadocas describit, insignita aut nascatur, aut renascatur? *Resurgente morbo,* inquit idẽ Cassianus, *non debet cessare medicina; & quanto maior fuerit ægritudo, tanto instantior debet esse curatio. Potẽs est enim Dominus Deus noster,*

Iac. 3.

Caßian. lib. I. de Incarnat. cap. I.

ster, vtq́ de morte hydræ illius gentilium falsitas finxit, hoc in Ecclesiarũ bellis veritas peragat, & ignitus sancti Spiritus gladius, & ita in exstinguẽda hæresi omnes penit⁹ medullas pniciosæ generationis exurat, vt tandẽ pdigiosa fœcũditas emorientibus venis parere desistat. Nec noua sunt hæc in Ecclesiis monstruosi seminis germina: semp has Dominici agri seges lappas, sentesq; tolerauit, & aßiduũ in ea suffocatricis Ziz aniæ germen emersit. Hinc enim Ebionitæ, hinc Sabelliani, hinc Ariani, hinc Eunomiani, & Macedoniani, hinc Photiniani & Apollinaristæ, hinc Lutherani, Zvvingliani, Caluiniani, & *cæteri enecantes bonæ fidei frugẽ tribuli pullularũt*. Quib⁹ hydris cõficiẽdis, pestibus vel sanãdis vel exstinguendis, infaustisq́ filicib⁹ exstirpãdis dedit Deus Doctores & Pastores, inter quos & *Celsitudo Vestra* illustrẽ locũ obtinet in Diœcesi & puincia illa vere regali & Basilea: q magni Apostoli monitũ: *Attẽdite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spirit⁹ S. posuit* EPISCOPOS, *regere Ecclesiã Dei, quã acqsiuit sanguine suo*: iã dudũ eò pfũdi⁹ in intima pcordia demisit: q ppť ab hostib⁹ Ecclesiæ obside- Act. 20.

 tur

tur & vrgetur, memor semper eius, quod iam olim sapienter à S. Augustino litteris proditum legimus: *Episcopatum nomen esse operis, non honoris. Græcum est,* inquit, *atq; inde ductum vocabulũ, quod ille, qui præficitur, eis, quibus præficitur, superintendit, curam eorum scilicet gerẽs, ἐπὶ quippe Super, σκοπὸς verò intentio est. Ergo ἐπισκοπεῖν Græcè, si velimus, latinè superintendere possumus dicere: vt intelligat, non se esse Episcopum, qui praeesse dilexerit, non prodesse.*

S. Aug. li. 19. de ciuit. Dei cap. 19.

Inuisus equidem est illis, qui gregi capiendo retia tendũt, bonus, sollicitus, & in omnes partes oculos versare solitus pastor. Verũ aduersus hos defensione alia vtendum non est, quã illa Isidori, cuius iam antea memini; quem cum Therasius quidam insectaretur, ob nimium studium, quo Hæreticorũ conatibus occurrere conabatur, in hæc verba ad eundẽ scripsit. *Si te Imperator ad propugnaculum collocasset, turrisq; vrbis custodem constituisset, ea autem suffoderetur, atq; concuteretur, vt hostibus ad vrbem aditus pateret, an non instrumentis omnibus atq; armis, quæ vel recondita haberes, vel commi-*

Isid. Ep. 189.

nisci posses, vtereris, prohibens ac tela iaciens, conatumq; huiusmodi frangens, atq; tum vrbem, tum teipsum à periculo vindicans, tum Imperatori fidem ac beneuolentiā conseruans? Nobis autē, quos Deus Ecclesiæ suæ magistros præfecit, eo nomine succenses, quod Ario, qui non modò cum pio grege bellum gerit, sed etiam permultos iam interemit, obsistimus. Ego verò eam ob caussam periculum omne cōtemno, ac quiduis potius facere desierim, quam vt illū, non quam maximè queo, feriam. Præclarè hæc Isidorus; nec minus præclarè Cels. V. cui idem prorsus erga sibi commissos animus; cui haud satis est, vt quos hæresis non corripuit, incolumes conseruet, omniq; cura tueatur: illud insuper sempiterna nominis sui gloria, cunctisq; præsulibus imitando & suspiciendo exemplo præstitit, quod olim de se verè prædicabat vigilans ille & imperterritus pastor, hac oratione apud Saulem Israëlitarum Regem vsus: *Pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat leo vel vrsus, & tollebat arietē de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam, eruebamq; de ore eorum, & illi consurgebant ad-* 1. Reg. 17.

uer-


uersum me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebamq́; eos: & Leonem & vrsum interfeci ego seruus tuus. Hoc idem decus Celsit. V. competere voce publica testantur, me etiam tacente, nõ pauca oppida ex mediis hæreseos faucibus animose & piè erepta, & religioni veteri restituta. Quo insigni facinore palam fecit, se vestigia ponere in illius pastoris vestigiis, qui hæc de sua in procuranda ouilis salute diligentia. *Quod perierat, requiram: & quod abiectum erat, reducam: & quod confractum fuerat, alligabo; & quod infirmum fuerat, consolidabo, & quod pingue & forte, custodiam.*

Ezech. 34.

Nec aliud, quam ardentissimi in ditionis & Diœceseos suæ incolas amoris argumentum esse interpretor Collegiũ, quod in vrbe BRVNTRVTANA Societati IESV Celsit. V. non exigua impensa à fundamentis exstruxit, exstructumq́ liberaliter annuis prouentibus instruxit; addito vt noui, ita & visendi operis templo, ingenuarumq́ disciplinarum Gymnasio, quod & frequentia & nobilitate auditorum ita celebratur; vt iam BRVNTRVTVM quoq́ *Cariath Sepher, hoc est, ciuitas literarũ,* illustri elogio, audiat.

Iosue 15.

audiat. Quæ omnia Celſit. V. cum in Eccleſi am, tum in Ordinem noſtrum merita, me per mouerunt, vt eiusdem Illuſtriſsimo nomini has Theologicarum Exercitationum lucubratio nes inſcriberem. Impar quidem & beneficiis & dignitati Celſit. V. munus eſt; non abnuo; par tamen fiet, tametſi longiſsimo par interuallo; ſi ſpectetur vnà cũ offerentis animo, eaq; obſer uantia, qua Celſit. Veſtram, nos, qui in familiã Beati Patris Ignatij adſcripti ſumus, proſequi mur; qui vt iam pro diuturna Celſ. V. incolu mitate preces fundimus, ita & illud toto pectore exoptamus; vt *cum apparuerit Princeps Pa ſtorum, immarceßibilem gloriæ coronam* pro benefactis *percipiat.* Ingolſtadij, Kalendis Decembris, M. DCIII. 1. Petri 5.






APPROBATIO D. DECANI FACVLTATIS THEOLOGICÆ IN ACADEMIA INGOLSTADIENSI.



Vm exercitationes hæ Theologicæ R. P. IACOBI GRETSERI ad conuincendas & coarguendas ſectariorum corruptelas & calumnias; ad confirmadam & illuſtrandam veritatem Catholicam egregiæ, ſint, eruditæ, ſolidæ; dignæ mihi videntur, quæ typis excuſæ etiam cum aliis, ſiue exercitatis, ſiue inexercitatis, publicè communicentur.

ALBERTVS HVNGERVS,
Procancellarius & pro tempore
Facult. Theol. Decanus.

APPRO.



APPROBATIO R. P. PROVINCIALIS SOCIETATIS IESV PER SVPERIOREM GERMANIAM.

HOS libros Exercitationum Theologicarum contra Hæreticos, Auctore P. Iacobo Gretſero, Societatis noſtræ Theologo, à quatuor patribus itidem Theologis viſos & approbatos, ego GREGORIVS ROSEFFIVS Societatis IESV per Germaniam Superiorem Præpoſitus Prouincialis, poteſtate mihi ab admodum R. P. N. CLAVDIO AQVAVIVA facta, typis mãdari permitto; in quorum fidem hoc Auctori teſtimonium manu noſtra ſubſcriptum & ſigillo munitum dare voluimus. Ingolſtadij 7. die Septembris. MDCIII.

GREGORIVS ROSEFFIVS.




ISIDORVS PELVSIOTA DOMESTIO MEDICO; GRETSERVS, FICTITIO Varnæ, veroq; Libauio.

Lib.1.Ep.391.

SApientem artem profiteris (*quà Medicus, non quà aurifex Alchymisticus*) animum autem κακόχολον, male feriatum geris: vt qui exigua quidem vulnera cures, ipse autem ingentibus & grauibus vlceribus labores. Quocirca si reipsa medicum te præbere cupis, moribus tuis medere. Frigidum enim & ridiculum, atque illepidum est, aliis medicinam afferre conari, seipsum autem ægrotantem negligere.

(:)






ISIDORVS AMMONI ET MARONI.

Lib 1. Ep. 354. & lib. 2. Ep. 16.

QVid tibi cum genere (*Alchymistico*) belluinis moribus prædito? Quid tibi cum barbara natione? Quid te cum ignobilibus commisces? Quid cum Cappadocibus collideris? Quid eos, qui bibendo plurimum possunt, exstimulas? Quid rabie percitos canes, quorum pestiferi morsus sunt, exasperas? Quid maledicas linguas exacuis? Quid tuam ipsius existimationem commaculas, cum illis te conferens, quibus nec vt mancipiis quisquam mente prœditus vti velit? Medicus Hippocrates incurabili morbo correptis manũ admoliri vetat, cui assentiẽtes nonnulli ex iis, qui de tua salute, ó *Chymice*, vt hominis ab omni doloris sensu remoti, vel potius mortui, desperarũt, nos quocp, qui te ad pœnitentiam cohortamur, tanquam Æthiopem dealbare conantes comicis dicteriis insectantur.



RESPONSIO EX EODEM ISIDORO.

ERGo verò multas in hominibus mutationes & iam exſtitiſſe audiens, & fieri conſpiciens, & futuras exſpectans, rectè mihi facturus eſſe videor, ſi bona ſpe fretus, te *Alchymiſta Antimonio* excitem ac corrigam. Quod ſi (id quod vtinam ne accidat) mea me ſpes fefellerit, illud certè lucrabor, ne quis me criminari poſsit. Nec iis, qui nauigant crudeliorem me præbebo, qui cum aliquem è naui lapſum viderint, demiſsis velis eum ex vndis extrahere nituntur. Quod ſi ille ſeruari nolit, nemo iam erit, qui eos hoc nomine accuſet, quod eum, qui noluerit, minimè conſeruarint. Quamobrem ex vitij fundo emerge (*Alchymiſta*) ac petulantiæ & laſciuiæ tuæ finem impone. Cogita, quàm caduca & fragilis hæc vita ſit, quam acerbum futuræ vitæ ſupplicium. Quid tu incaſſum, vel, vt re-

ctius

ctius loquar, in malum ac perniciem tempus consumis? Veniat tibi in mentem, quemadmodum cum vnam duntaxat animam habeas, omni eam flagitiorum genere contaminaris. Libera, quæso, teipsum vitio atque infamia, & suggillatione ac cruciatu, & Ecclesiam labe. *Hactenus Isidorus loco meo ad Alchymistam; qui falcem suam Alchymisticam in messem Theologicam Alchymisticè prorsus, hoc est, sycophãticè & impostoriè immittens, ita messuit, vt si ab inferis reditus concederetur, existimare posses, reuixisse Blandratã, aut aliũ ex illorum medicorum numero, qui Quinto Euangelio eximiam operam nauarunt, potißimum in Transiluania & Polonia.*

Cæterũ præter notas in librum meum aduersus Hunniũ, edidit supposititius Varna Analysin Colloquii Ratisbonensis, quã Analysin rectißimè ἀναλύσεις, *hoc est, resolues, in quatuor hæc principia, in inscitiã plusquam asininã: in mendacia plusquam humana: in calumnias & criminationes planè Diabolicas: & demũ in cõtradictiones inconstãtißimas. Quæ omnia capita sigillatim persequi, vanũ foret.*

Nam

Nam qui ita comparatus est, vt ex ANTIMONIO, *quod insanienti Chymico paraui, Alchymistæ huius geniũ nõ agnoscat, is amore hæreseos, veritatisq; odio cæcus, ne ex quatuor quidem inscitiarum, mendaciorum, calumniarum & contradictionum chiliadibus. (quas conficere prope nullus labor esset,) eum agnosceret.*

Hæc autem, quæ nunc publico opuscula, magna ex parte dudum conscripseram, sed aliæ occupationes euulgare vetabant. Nunc tandem prodeũt, vtinam correctius. Notata sunt nonnulla menda. Reliqua tu pro tua æquitate, candide lector, emendabis.



PRÆ.



Præfatio ad Lectorem.

HÆRETICOS CITANDO SCRIPTURAS PARACHARACTAS falsosque monetarios esse.



DE Saxonibus quibusdam ex Italia per Gallias domum redire volentibus, hæc memoriæ prodidit Paulus Diaconus : *Dum ad Sigisbertum Regem pergunt, multos in itinere negotiatione sua deceperunt, venundantes regulas æris, quæ nescio quomodo erant coloratæ, vt auri probati atque examinati speciem simularent. Vnde nonnulli hoc dolo seducti, dantes aurum & æs accipientes, pauperes sunt effecti.* Quod Saxones olim, minore eorum, qui fallebantur, dispendio, fecerunt; illud hac ætate Martinus Lutherus Saxo, & ab hoc Saxonico genitore prognati prædicantes maximo & irreparabili totius Christianitatis detrimento factitarunt, & adhuc quotidie factitant. Regulas enim æreas; hoc est, hæreses, hæreticasq; persuasiones, & pestifera dogmata; ita auro verbi Dei; sacrarũq; litterarũ fulgore fucãt & pingunt; vt videantur aureæ regulæ, animisq; auidissimis, à miseris mortalib. excipiantur; q. dũ se opulẽtissimos euasisse existimãt, totius spiritalis salutis & incolumitatis iacturã passi sũt; & q̃dq. d. cœlestiũ charismatũ habebant; id penitus perdiderunt: non χάλκεα χρυσείοις, sed χρύσεα χαλκείοις insipiẽtissime pmutãtes, idq; *Paul. lib. 3. de gest. Longob. cap. 6.*

 frau-

Iosue.7. fraudibus impostorum circumuecti, qui diuersi à sacrilego illo Achan abeunt; Hic enim argentum & auream regulam terra, re vili & abiecta, operuit. At isti plumbeam suam regulam auro, metallo pretiosissimo, vestiunt ac circumlinunt, vt desinat videri quod est; incipiatque videri quod non est; quin etiam falsi monetarij effecti adulterina faciunt numismata, eaque suis, & Lutheri sui imaginibus insigniunt; *Imitantur numismata veri Regis*, inquit Cassianus; *quia* (illorum

Cassian. Collat. 1. cap. 20. placita) *videntur ad præsens plena pietatis, sed non sunt à legitimis monetariis, id est, catholicis & probatis patribus figurata; nec de cardinali ac publica collationis eorum prodeunt officina, sed furtim fraude Dæmonum fabricata, non sine detrimento imperitis quibusque & ignorantibus ingeruntur. Pretiosa scilicet eloquia scripturarum callida assumptione conuertunt, & ad contrarium noxiumque sensum detorquent.* Quo ipso signa antiqua; hoc est, veterem & legitimum sensum, expungunt, & oblitterant; nouaque signa, noui & perniciosi paracharactæ, auro alioquin probato; hoc est, scripturę sententiis affingunt & imprimunt, *vt imaginem tyrannici vultus*, sensus nimirum hæretici & peruersi, *sub colore auri fallentis* obijcere, &, vt Cassianus appellat, *paracaraximis*; seu vt alij, paracharagmatis suis mundo illudere queant. Olim numismatis Imperatorum vultu decoratis tantus habebatur honor, vt ea nemini repudiare liceret; quod prius moribus & consuetudine; post etiam

Lib. XI. Cod. Iust. tit. XI. L. 1. lege lata receptum fuit: *Solidos veterum principum veneratione formatos ita tradi ac suscipi ab ementibus & distrahentibus iubemus, vt nihil omnino refragationis oriatur: modò vt debiti ponderis sint & speciei probæ, scituris vniuersis, qui aliter fecerint, haud leuiter in se vindicandum.* Hoc lex Romana. Quod sequitur, lex Wisigotthorum. *Solidum aureum in-*

Lib. 8. tit. 6. *tegri ponderis, cuiuscunque monetæ sit, si adulterinus non fuerit, nullus ausus sit recusare, nec pro eius commutatione aliquid monetæ requirere, propter hoc quod minus fortè pensauerit. Qui contra hoc fecerit, & solidum aureum sine vlla fraude pensantem accipere noluerit, aut petierit pro eius commutatione mercedem, districtus à iudice ei cui solidum recusauerit, tres solidos cogatur exsoluere. Ita quoque & de tremisse seruandum.* Ludouicus

Lib. 4. capit. 32. Imperator. *Quicunque liber homo denarium merum & bene pensantem recipere noluerit, bannum nostrum 60. Solid. componat. Si verò serui Ecclesiastici, aut comitum, aut vasallorum nostrorum hoc facere præsumpserint, LX. ictibus vapulent.*

Arrian. lib. 3. Arrianus. τὸ τοῦ καίσαρος νόμισμα οὐκ ἔξεστιν ἀποδοκιμάσαι τῷ τραπεζίτῃ, οὐδὲ λαχανοπώλῃ, ἀλλ᾽, ἂν δείξῃς θέλει οὐ θέλει προέσθαι

ἔξεσθαι αὐτὸ μὴ δὲ ἐστὶ τὸ ἀντ' αὐτοῦ πωλούμενον. *Neque numulario, neque olearum venditori fas est numisma Cæsaris respuere: sed vbi ostensum fuerit, oportet, vt alter velit nolit merces cum illo permutet. Qui numos aureos, argenteos adulterauerit, lauerit, conflauerit, raserit, corruperit, vitiauerit, vultuue principum signatam monetam præter adulterinam reprobauerit*, lege Cornelia de falsis tenetur. *Et honestiores quidem in insulam deportantur, humiliores autem aut in metallum damnatur, aut in crucem tolluntur.* Ita Paulus Iurisconsultus. Tanta veneratione colebatur mortalis caducique hominis numismata: At eò temeritatis hodie processum est; vt sacræ scripturæ oracula, quantumuis Ecclesiæ Orthodoxæ & vniuersalis, ipsiusque spiritus sancti; & veterum patrum faciem & speciem præ se ferentia, audacissimè & impudentissimè reiiciantur; & sæpe non alio nomine, quàm quia antiquorum patrum vultum, sensum geniumque repræsentant. Adeo enim noua Nouatores istos delectant; vt non raro veterum patrum expositiones ideo duntaxat refutent: quia à nouitate nimirum abhorrent. Audi paracharactarum huius temporis ducem & Coryphæum Lutherum. *Primum scire contestatosque esse eos volo, me prorsus nullius quantumlibet sancti patris auctoritate cogi velle: nisi quatenus iudicio diuinæ scripturæ fuerit probatus*; hoc est: vt Lutheri mentem interpreter; quatenus in numismate, quod cudit & profert antiquus quispiam Doctor, meam imaginem; meum stemma; meumque sensum paracharacticum reperero. Sic enim contestationem suam intelligit Lutherus; cui nihil cum scriptura concinere videtur; nisi prius concinat cum Lutherano cerebro. *Quanti errores in omnium patrum scriptis inuenti sunt?* clamat ille idem falsus monetarius. *Quoties sibi ipsis pugnant? Quis est, qui non sæpius scripturas torserit? Quoties Augustinus solum disputat, nihil definit? Hieronymus in commentariis ferè nihil asserit. Qua autem securitate possumus alicui niti, quem constiterit sæpius errasse, sibi & aliis pugnasse, scripturæ vim fecisse, nihil asseruisse, nisi auctoritate scripturæ nos omnia eorum cum iudicio legerim'*, etc. *Nemo ergo mihi opponat Papæ aut sancti cuiusuis auctoritatem; nisi scripturis munitam*; Vides lector reuerentiam Lutheri erga veterum numismata; dicta inquam & placita sanctorum patrũ, quæ nobis suo, vel potius spiritus sancti vultu exornata reliquerunt. Quasi antiqui patres ex ære, plumbo, aut corio monetam formarint; non ex probatissimo & purissimo sacræ scripturæ auro; auro verè obryzo; vt proinde dicta & oracula sanctorum Patrum quiuis verè Christianus pro *obryzatis solidis* habere meritò debeat; paris pretij &

Paulus lib. 5. sent. tit. 25.

Luther in Assert. art.

Lib.9. Cod. Theod. tit. 22. æſtimationis. *Omnes ſolidi,* inquit Conſtantinus Imperator, *in quibus noſtri vultus ac veneratio vna eſt, vno pretio æſtimandi ſunt atque vendendi; quanquam diuerſæ formæ menſura ſit. Nec enim qui maiore habitu faciei extenditur, maioris eſt pretij; aut qui anguſtiore expreßione excluditur, minoris habere credendus eſt, cum pondus idem exſiſtat.* Solidi noſtri ſunt ſcripturæ diuinitus traditæ oracula; cum Eccleſiaſticæ traditionis intelligentia, à Doctoribus nobis explicata; quæ in his numiſmatis faciei vicem obtinet; ex vnius aſpectu non minorem reuerentiæ affectum concipimus; quàm Imperatores concipi volebant ex intuitu Imaginis Imperatoriæ in ſolido expreſſæ. Nec in minore pretio apud nos ſunt ſententiæ ſcripturæ, ſeu paruæ, ſeu magnæ, ſeu multæ, ſeu paucæ Eccleſiaſtici Canonis intelligentia ſignatæ; quam erant ſolidi illi Imperatorij apud eos, quibus Imperatorum honos curæ erat. Quod ſi aliter facienti lex aut capitis aut ignis ſupplicium, aut aliam *mortiferam pœnam* decernit; quid nam merebuntur illi, qui non Imperatoris, ſed Spiritus ſancti *ſolidos* contemnunt; & nec huius faciunt? Item illi, qui aliquos, ſi non reipſa, attamen verbis recipiunt, venerantur, magnique æſtimant; at alios ſimpliciter aſpernantur, nec pro probis legitimiſque nummis agnoſcere volunt. In quod crimen illi incurrunt; qui quoſdam canonicę ſcripturæ libros admittunt; alios vel totos, vel certè aliqua ex parte reſpuunt.

Lib. XI. Cod. Iuſt. tit. XI. Quos iure optimo ſimiles dixeris illis, aduerſus quos olim hæc lex lata eſt. *Vniuerſos auctoritas tua propoſito edicto commoneat, obryzatorum omnium ſolidorum vniforme pretium poſtulare; ſcilicet capitali ſupplicio puniendo; qui vel iuſſa noſtræ maieſtatis auaritiæ cæcitate contempſerit, vel æternales vultus, dum fraudibus ſtudet, duxerit viliores.* Vt igitur idem pretium ſtatuerunt Imperatores omnibus obryzatis numiſmatibus: ita idem pretium ſtatuit Spiritus ſanctus omnibus Canonicæ ſcripturæ libris; ac proinde, qui ſecus agunt non iam in Imperatoris, ſed in diuini ſpiritus conſtitutionem delinquunt.

Inter facinora; quæ legum auctoritas grauiſſimè deteſtatur, nō immeritò numeraueris fraudes & impoſturas; quæ circa monetam L. Quoniā C. de falſa moneta. committuntur. Nam primò omnibus præcipitur, vt *monetarios adulterinam monetam clandeſtinis ſceleribus exercentes inquirant; vt inueſtigati tradantur iudici, facti conſcios per tormenta illico prodituri; ac ſic dignis* L. Si quis C. de. lib. 9. Cod. *ſuppliciis addicendi.* Secundò. Accuſatoribus eorū immunitas permittitur, imo etiam præmiū proponitur. 3. Vniuerſæ facultates fiſco addicuntur. 4. Huiuſmodi falſariis variæ pœnæ conſtitutæ fuerunt; vt

capitis

capitis pœna sine vlla distinctione L.1. C. de fal. mon. Et ignis ibid. L. 2. vbi hæc edicuntur. *Quicunque solidorum adulter poterit reperiri vel à quocunque fuerit publicatus, illico omni dilatione summota, flammarũ exustionibus mancipetur. Quod ille etiam patietur,* ait alia lex, *qui mensurã circuli exterioris adroserit, vt ponderis minuat quantitatem, vel figuratum solidũ adultera imitatione in vendendo subiecerit:* Ludouicus Imperator. *De falsa moneta iubemus, vt qui eam percußisse comprobatus fuerit, manus ei amputetur; Et qui hoc consensit, si liber est LX. solid. componat. Si seruus est, LX. ictus accipiat.* Lex Wisigotthorum; *qui solidos adulterauerit, circumciderit, siue raserit, vbi primùm hoc iudex agnouerit; statim eum cõprehendat: & si seruus fuerit, eidem dextram manum abscindat. Quod si postea in talibus causis fuerit inuentus, regis præsentiæ destinetur, aut eius arbitrio super eum sententia depromatur. Quod si hoc iudex facere distulerit, ipse de rerum suarum bonis quartam partem amittat, quæ omnimodis fisco proficiat. Quod si ingenuus sit, qui hæc faciat, bona eius ex medietate fiscus acquirat: humilior verò statum suæ ingenuitatis perdat, cui Rex iusserit, seruitio deputandus. Qui autem falsam monetam sculpserit, siue formauerit, quæcũque persona sit, simili sententiæ & pœnæ subiacebit.* Deniq; vt rem in pauca conferã, *falsæ monetæ rei, quos vulgo paracharactas vocãt, maiestatis crimine tenentur obnoxij.* Hæc & alia olim in paracharactas, à quibus se exemptos volunt, qui hodie *nummos falsa fusione* formant; quasi minus sit monetam Spiritus sancti adulterino exemplo imitari, falsare, arrodere, concidere & circumcidere, quam numismata à principibus cudi cõsueta. Olim *pœna falsi coërcebatur*, vt scribit Paulus Iurecõsultus, si quis *æs inaurasset, inargentasset, quiúe, cũ argentũ vel aurũ poneret, æs stannumúe subiecisset.* Hæretici verò qui sectas suas plumbeas, prsus, terrenas & diabolicas sacrarum litterarũ dictis *inaurant* & *inargentant*, pro hac impostura laudem quærunt & gloriam; tantum abest vt pœnam metuant, cumq; pro argento & auro supponunt æs, stannũ aut plumbũ; tum demũ viri boni officio egregiè se perfunctos videri cupiunt. Cõmemorat B. Ioannes Damascenus in catalogo Hæreticorũ quosdam *parermeneutas, qui nonnulla diuinorum scriptorum tam veteris quàm noui testamenti capita interpretantur arbitratu suo, &c.* Idq; *studio vincendi faciunt; ad multa autem, quæ ita accuratè & subtiliter exponuntur, vt reprehendi non poßint, studiũ vincendi contentionesq; adferunt: idq; faciunt imperitia quadam & inscitia iudicandi.* Panermeneutæ à Damasceno depicti, sunt nostri paracharactæ; Nam sacras litteras παρερμηνεύειν & παραχαράττειν re vnum scelus est, sub gemino nomine.

Theod. tit. 21. L. 5.
Paulus lib. 5. sent. tit. 12.
Lib. 9. C. Theod. tit. 22. Vide L. Quicunq; l. lege Cornelia. L. Qui falsam ff. de Lege Cornel.
Lib. 4. cap. 52.
Paul. lib. 5. sent. tit. 25.

Olim priuata auctoritate pecuniam percutere nulli fas erat: tanta enim seueritate cauebatur, ne quis hoc sibi licere crederet; vt quamuis rescriptum ea de re impetrasset; id Imperatores nullius ponderis esse iusserint. *Si quis super cudendo ære*, inquiunt Imperatores, *vel rescripto aliquo, vel etiam adnotatione nostra sibi arripuerit facultatem; non solum fructum propriæ petitionis amittat, verum etiam pœnam, quam meretur, excipiat.*

Cod. de falsa monet. & lib. 9. Cod. Theod. tit. 21, L. 5.

Queramus ex istis monetariis, quis illis fecerit potestatem monetæ non dicam adulterandæ; radendæ, rodendæ, conflandæ, vitiandæ imaginisque principalis mutandæ; sed feriendæ? Certè rescriptum nullum nobis monstrare poterunt. Et vt maximè monstrarēt, pro subreptitio à nobis haberetur. Quare quidquid agunt, id priuata auctoritate agunt; nullus autem priuato ingenio vel vnum bonum nummum cudere valet. Stat enim immota illa D. Petri sententia: *Hoc primum intelligentes, quod omnis Prophetia scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia; sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Cum ergo Sectarij ἰδίᾳ ἐπιλύσει, suopte nutu & arbitratu nummos cudant & signent, recipiendi non sunt etiam tunc, cum veram alioquin interpretationem sacræ scripturæ adferunt. Quia hanc quoque propria auctoritate non publica adferunt. Nec illi tantum puniuntur, qui falsam monetam cudunt; aut veram vitiant; sed & illi, qui probam sua auctoritate feriunt; *nam neque arma, neque monetæ, nisi publicæ, à certis publicisque personis fabricari aut percuti possunt.* Quanto igitur magis fugiendi & detestandi sunt, *cum in aurum vitij quid addunt, cum nummos flant adulterinos* veteresque *radunt, tingunt, fingunt*; præsertim cum Lege de falsis non modo teneantur, qui eiusmodi nummos dolo malo vendunt, sed & qui emunt. At negant isti se sua eaque priuata auctoritate numismata cudere; hoc est, sacrarum litterarum oracula exponere; expositaque aliis proponere. Cæterum an ideo falsum nō est quod dicunt, quia ipsi id falsum non esse asserunt? *Negant se adferre noua dogmata, sed instaurare vetera. Quasi vetera non sint, quæ ad hunc vsque diem ab annis mille quadringentis* (& amplius) *docuit ac seruauit Ecclesia; magno orbis consensu, aut quasi ipsis constet, quid Apostoli tradiderint suis Ecclesiis, &c. An non illud nouū dogma: hic panis consecratus est corpus Domini, hoc vinum est sanguis Domini? Corpus sub pane est sine sanguine; sanguis sub vino est sine corpore, neutri adest anima. An non nouum est, in Eucharistia nihil est, nisi panis & vinum? An non nouum baptisma*

2. Pet. 1.

L. Lege Cornelia ff. de Leg. Corn. de falsis.

Erasm. Epist. ad fratres infer. germ.

nulli

nulli necessarium esse? Docent purum & putum Euangelion. Quodnam? vt per fidem ab vno Deo per vnum seruatorem & conciliatorem nostrum Iesum Christum omnis & iustitia & salus petatur. Quid his verbis religiosius? At quantum in his latet veneni? Impium est inuocare diuos aut colere, cum nihil possint apud Deũ, &c. Sola fides iustificat, nec refert cuiusmodi sint hominis opera. Nil opus est operibus satisfactoriis, nam hoc est diffidere Christo, qui pro nobis depẽdit. etc. Inutilis est confeßio, etc. Hæc omnia latent sub illis religiosißimis verbis. Hoc sibi sumunt pro confesso, quòd docẽt Christum purè, quod orbi sincerè tradunt Euangelicam veritatem. Vbique prædicant litteras sacras, quasi apud nos nec Christus sit, nec Euangelium, nec sacræ litteræ, etc. Cum & à summo Pontifice & à Cæsare, & à Theologorum scholis, denique maximæ totius orbis partis consensu damnati sint hæreseos. Ipsi Arianos habent pro hæreticis. Quo freti, nisi iudicio præsulum & orbis consensu? At Ariani pernegabant se esse hæreticos, sed asseuerabant scripturam à cæteris perperam intelligi. An ideo non erant hæretici, & falsi monetarij? Verumenimuero, nullane ratio suppetit istos paracharactas agnoscendi; ne nobis pro veris probatisq; nummis æreos, stanneos, plumbeosque obtrudant & vendant? Vtique non vna; sed multiplex; dummodo quis animum & oculos paululum aduertere velit. *Sciens beatus Apostolus Paulus profana & noxia letalis doctrinæ instituta posse veri specie obumbrari, & latentibus intrinsecus dolis, arguta verborum superficie, serpentinæ grassationis virus obduci, nec facile veneniferum poculum, mellis dulcedine oblitum siue permixtum, in ipso primo libantis gustu sentiri atque discerni, magnum nobis ac singulare indagandæ fraudis indicium dedit, vt ex cuiusque doctoris morum qualitate doctrinæ sinceritas exploretur. Namque vt facili & prompta sagacitatis attentione sceleratæ doctrinæ præstigia deprehendere valeamus, ipsorum nobis auctorum vitia probrosis & indignis voluptatum moribus perpetranda depinxit dicens: in nouißimis temporibus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, perfidi, sine fide, sine affectu, criminatores, pacem non custodiẽtes, &c. Non est ergo ambiguum ex impietate hæretica descendere, parentibus non obedire, eosdemque falsis criminationum iaculis appetere; hinc enim tales perfidos & sine fide notauit, quod parentibus non solum inobedientes, verum etiam acerrimi eorum criminatores existant. Quæ cum ita sint, nulli profecto ambiguum erit, istos hæreticos* & paracharactas *esse, qui cõ*temptis omnibus antiquis Doctoribus *nobis, inquiunt, auctoribus, nobis principibus, nobis expositoribus, damnate quæ tenebatis, tenete quæ damnabatis,*

Noua numismata paracharactarum.

2. Tim. 3. Vigilius li. 5. contra Eutychen.

Vincent. c. 14. & cap. 26.

nabatis, reiicite antiquã fidem, paterna instituta, maiorum deposita, & recipite. quænam tandem? Horreo dicere, sunt enim tam superba, vt mihi non modo adfirmari sed ne refelli quidem sine aliquo piaculo posse videantur, Audias etenim quosdam ipsorum dicere. Venite ô insipientes & miseri, qui vulgò catholici vocitamini, & discite fidem veram, quam præter nos nullus intelligit, quæ multis ante sæculis latuit, nuper verò reuelata & ostensa est.

Erasm Epist. in splendo Euang. Quis verò vnquam *Prophetes prædixit hoc futurum, vt totus orbis ignoraret Christum ab Apostolis prædicatum, ac pro Deo coleret idola: tum quotquot in Apostolorum vicem successerant excæcati nihil viderent in sacris litteris, deinde post mille trecentos* (imo propè quingentos) *annos à nescio quibus nouis Euangelistis ad veritatis cognitionem reuocaretur?* Itaque quisquis salutis suæ amans est; is si in talem monetarium noua numismata obtrudentem & venditantem incidat; Paulinam illam admonitionem Timotheo datam in mentem reuocet: ô *Timothee,*

Vincent. c. 27. & 34. *depositum custodi. Aurum accepisti; aurum redde. Nolo mihi pro aliis alia subiicias, nolo pro auro aut impudenter plumbum, aut fraudulenter æramenta suppanas: nolo auri speciem, sed naturam plane. Deuitans profanas vocum nouitates, deuita, inquit, quasi viperam, quasi scorpionem, quasi basiliscum, ne te non solùm tactu, sed etiam visu afflatuque percutiant. Quid est deuitare? cum huiusmodi nec cibum sumere. Quid est deuita? si quis, inquit, venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert. Quam doctrinam, nisi catholicam & vniuersalem, & vnam eandemque per singulas ætatum successiones incorrupta veritatis traditione manentem, & vsque in secula sine fine mansuram.*

Erasm. Epist. ad frat. Infer. germ. *Blanda dictu sunt ista,* quæ tertio quoque verbo occinunt *Solidorum adulteri. Nullus obligatur ad confitendum sacerdoti; pontificum præscriptiones de ieiuniis ac delectu ciborum reiiciendæ sunt. Non est cur quisquã se maceret operibus satisfactoriis. Christus dependit abundè pro nobis, nec ad salutem refert bona an mala sint opera nostra: tantùm crede illum pro te redimendo mortuum & saluus eris, qualiacunque fuerint opera tua. In Eucharistia non est nisi panis & vinum;* Pontificum *& Episcoporum sanctiones non obligant quenquam. Vota vt suscipienda non sunt, ita rescindenda sunt quæ susceperis. Ius contrahendi matrimonij nullius auctoritate potest cuiquam interdici. Hæc aliaque similia prima specie blandiuntur auribus, sed etiam atque etiam videndum est, ne poculum melle prælitum, habeat aconitum dissimulatum. Estote simplices sicut columbæ, ne quem lædatis aut circumueniatis, sed iidem estote sapientes sicut serpentes, ne vos Satanas mille instructus astibus circumueniat, corrumpatque sensus vestros à sinceritate,*

quæ

quæ est in Christo Iesu. Hæc monita ab eo profecta, qui paracharactas istos perfectè nouit; nec ab eorum studiis planè alienus fuit, meritò magnum auctoritatis pondus apud quosuis prudentes obtinent: maius tamen absque vlla comparatione hæc Christi Domini adhortatio: *Estote boni trapezitæ seu nummularij.* Hoc enim Redemptoris nostri dictum esse testatur Clemens Romanus: S. Hieronymus, Eusebius Cæsariensis, Damascenus, S. Chrysostomus; Cassianus. Postremi hæc sunt verba, à quouis in intima præcordia demittenda. *Efficiamur secundum præceptum Domini probabiles trapezitæ. Quorum summa peritia est, ac disciplina, probare quodnam sit aurum purissimum, & vt vulgo dicitur, obryzum, quodue sit minus purgatione ignis excoctum: æreo quoque vbique denario, si pretiosum numisma sub colore auri fulgentis imitetur, prudentissima discretione non falli; & non solum numismata tyrannorum vultus exprimentia sapientes agnoscere, sed etiam illa, quæ sunt, veri quidem regis imagine, sed non legitimè figurata, peritia sagaciore discernere. Deinde ne quid illis à legitimo pondere diminutum sit, censura trutinæ diligenter inquirere.* In numismate enim *tria quæruntur, metallum, figura & pondus. Si ex iis aliquid defuerit, numisma non erit. Quæ omnia nos quoque debere spiritaliter obseruare Euangelicus sermo sub huius nominis demonstrat exemplo. Primò, vt quidquid cordibus nostris irrepserit, vel si quod nobis dogma fuerit intromissum, vtrúmnam sit diuino illo & cœlesti Spiritus sancti igne purgatum, an ad Iudaicam* (Hæreticam) *superstitionem pertinens, seu de sæcularis Philosophiæ tumore descendens in superficie tantum præferat pietatem, diligentissimè perscrutemur. Quod ita poterimus implere; si illud Apostolicum fecerimus: nolite omni spiritui credere; sed probate spiritus, si ex Deo sint. Trapezitas vocauit vos Deus,* ait S. Chrysostomus, *vt doceret, omnes idem studium adhibere in excutiendis probandisque iis, quæ dicuntur, quantum adhibent trapezitæ, id est, mensarij in probandis nummis. Vt igitur illi adulterinum nummum eiiciût, & legitimum ac iustum probant, & legitimum à non legitimo secernunt; sic facias tu: ne omnem sermonem amplectaris, quin potius adulterinum exclude, & salutarem menti trade. Habes enim lances & pondera non ex ære facta, sed quæ ex fide constant; his proba omnem scripturam. Idcirco enim ait: estote probi trapezitæ: non vt in foro nummos numeremus; sed vt sermones omni diligentia excutiamus: ob hanc causam ait Apostolus: omnia probantes, quod bonum est tenete.* Huiusmodi trapezita fuit etiam S. Hieronymus; qui mirãtib. cur Hæreticorum scripta euoluat; in hunc modum respondet, Talis, *sciat me illud Apostoli libenter audire: Omnia probate, quod bonum est tenete.* Et

Clem. lib. 2. Constit. c. 26 S. Hieron. Epist. 152. Euseb. Apolog. pro Orig. Damasc. lib. 4. fid. Orthod. S. Chrysost. Homil. Quare acta Apost. non legantur in Pentecoste, etc. Cassian. Collat. 1. c. 20. Cyrill. Alexand. in Isaiam, teste Mariano Victorio in Schol. ad Epist. 152. S. Hier. Isid. lib. 16. Etym. cap. 17. Cass. loc. cit.

1. Thess. 5.

Saluatoris verba dicentis? Estote probati nummularij: vt si quis nummus adulter est, & figuram Cæsaris non habet, nec signatus est moneta publica, reprobetur. Qui autem Christi faciem claro præfert lumine, in cordis nostri marsupium recondatur.

Tria ergo à probato nummulario in nummis exquirenda & exploranda sunt: metallum, ne plumbum deauratum pro auro, ne stannum aut ęs deargentatum pro argēto proponatur: figura; ne pro vultu & imagine spirit⁹ sancti, veterūq; doctorū nobis obiiciatur vultus & imago alicuius hæretici; Lutheri putà, Zwinglij, Caluini, & similium: pondus; ne numisma quod offertur, sit subuentaneū, inane & potius simulacrū numismatis, quā verū numisma. Omnia hæc ad Lydiū lapidē; ad trutinā falli & fallere nesciā examinanda sunt; ad iudiciū inquā, sensum communemq; consensum Ecclesiæ; & si tu tam peritus non es, vt hoc lapide & hac libra vti noris, aliis te peritioribus hanc prouinciā delega, fraudēq; deprehēdes. Nō satis est sciscitari: *cuius est hæc imago & superscriptio?* quia quod ex veritatis præscripto respōdendū esset, id nunquam respondebunt; aut si respondeant; nihilominus falsum responsum erit: Nā si dicant; superscriptionē illā esse Cæsaris, hoc est, publicæ auctoritatis; iā hoc ipso mēdacij eos arguere licebit; cum publicæ auctoritati adscribi nequeat id, quod priuata paracharactarū libidine patratum est. Memoria tene ipsum monetæ vocabulū, ne decipiaris.

Isid. lib. 16. Etymol. cap. 17. *Moneta appellata est, quia monet, ne qua fraus in metallo vel pondere fiat.* Sit ergo tibi moneta monitrix. Nec fidem adhibe iactantibus præstantiam metalli, fidemque ponderis in numismatibus, quibus te

Arria. lib. 1. cap. 7. inescare student. *Etiamne volenti ac cupienti in monetæ vsu non hallucinari, satis est istud audire hortantem, vt probatæ monetæ denarios tantùm accipiat, adulterinæ vero reiiciat? Certè satis non est. Quid ergo huic monitioni oportet adiicere? Num verò quid aliud quàm facultatem, qua possit cognoscere & discernere denarios probos ab adulterinis? Quapropter in pensitandis quoque rationibus simplex illa præceptio* (& sinceritatis pollicitatio) *non satisfacit, sed omnino solertem æstimatorem earum effici conueniet, vt quid intersit, inter verum falsumq; & ambiguum ritè discernas.* Ac-

Arria. lib. 1. cap. 28. cedamus ad regulas, clamat ille idem Philosophus. *Adducito primas notitias. Mirari satis nequeo, quod vulgò fieri consueuit. Cum pōdera discernere volumus, non temere iudicamus: cum recta & curua, non casu quodam internoscimus. Breuiter, quando nostra interest simpliciter nosse quid, quolibet loco verum sit & consentaneum; minimè oscitanter agimus. At vbi primum & vnum illud est quod nobis causa sit rectè aut non rectè agendi, prosperè*

ſperè vel improſperè, miſerè aut beatè viuendi, ex eo omnes temerarij & inconſiderati ſumus. Nuſquam apparet libra, nuſquam canon aut regula, ad quam negotium religionis examinemus: *ſed ſimul vt viſū fuerit, ita vt viſum eſt facio.*

Num furioſus aliud facit, quàm quod ſibi videtur bonum? An ei ſatis eſt ad ſe defendendum huiuſmodi iudicium? Non ſatis videtur eſſe. Ergo accede ad ſublimius iudicium, quàm id ſit, quo tibi videri aliquid dicis. Quodnam illud eſt? Principium ſcilicet philoſophiæ (& religionis Chriſtianæ) *quod ipſum eſt notitia diſcordiæ, qua inter ſe pugnare ſolent homines, & perueſtigatio, vnde diſſenſio & bella huiuſmodi oriantur:* (Ex eo nimirum, *dum ad vnitatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec magiſtri cœleſtis doctrina ſeruatur. Quæ ſi quis conſideret & examinet, tractatu longo atque argumentis opus non eſt.* Probatio *eſt ad fidem facilis compendio veritatis; Loquitur Dominus ad* Petrum; *Ego tibi dico, inquit, quia tu es* Petrus, *& ſuper iſtam petram ædificabo Eccleſiam meam, &c.*) Præterea *reiectio & fuga eius, quod obiter intuenti ita videri ſolet: nec non accurata inquiſitio, num rectè aliquid videatur: quin etiam inuentio regulæ cuiuſdā, ſicut penſitandis ponderibus ſtatera eſt inuenta, & vt perpendiculum atque amuſsis tortuoſis & rectis internoſcendis.* Principiúmne *philoſophiæ* (& religionis Chriſtianæ) *illud ſtatuemus, omnia recta eſſe, pro eo vt cuiq; viſum fuerit? At quomodo fieri poteſt, vt pugnantia inter ſe ſint recta? Ergo non omnia ſunt recta: ſed duntaxat illa, quæ nobis* (Lutheranis paracharactis) *videntur. Cur magis recta ſunt, quàm quæ videntur Syris* (Caluinianis) *quàm quæ Ægyptiis* (Anabaptiſtis, Schwenckfeldianis) *quàm quæ mihi; quā quæ cuiuis alteri? pfecto nihilo magis recta ſunt.* Itaq; *vt aliquid rectū ſit, ſatis nō eſt; quod ita alicui videatur, nā ne in ponderibus quidē librandis, menſurandiſq; rebus,* ψιλῇ τῇ ἐμφάσει *ſola nudaq; opinione & perſuaſione cōtenti ſumus, ſed in omnibus regulā quandam adhibemus. Annè igitur in his de quibus loquimur, nulla regula erit eminentior; quàm noſtra exiſtimatio, ſeu quod ita nobis aliquid videatur?* Sed *qui fieri poteſt, vt certa indicia &* κριτήρια *nulla ſint, aut perueſtigare ea non queamus, quibus in vita nihil eſt magis neceſſariū? Quod ſi eſt aliquid, quare nō quærimus? Et inuento, quare non abſque vlla transgreſsione vtimur, ita vt ne digitum quidem abſque eo extendamus? Eo inuento, vt mea fert ſententia, liberari inſania ſua poterunt hi, qui vna hac menſura abutuntur, qua nimirum ſibi videri aliquid dicunt, & ideo, quia videatur, cenſent rectum.* Ergo ſi quis numiſmata, diuinarum inquam litterarum oracula; quæ ab iſtis pferuntur, expēdat ad *pondus ſanctuarij;* & ad æquiſſimā Eccleſiæ

Arian. lib. 2. c. 11.

S. Cypr. li. de vnit. Eccleſiæ.

ſtateram appendat, hoc eſt, *ſi diuinum canonem ſecundum vniuerſalis Eccleſiæ traditiones, & iuxta catholici dogmatis regulas* interpretetur: nihil periculi ab impoſtoribus ærea pro aureis obtrudentibus imminebit. Regula ſeu libra opus eſt; qua omnia metiamur & ponderemus: & quidem certa, ſtabili, & immota; quæ nemini fraudi ſit, aut fraudis cauſſa; quod conſequemur ſi *ad vnam Eccleſiaſtici ſenſus regulam ſcripturæ cœleſtis intelligentiam dirigamus*; neque nummos oblatos ideo approbemus; quia nobis probi videntur, aut quia à paracharactis ꝓbi eſſe aſſeruntur. Imitemur ſedulos cautosque nummularios iuſſu & præcepto Domini. *Conſiderate*, inquit, *ille, quid fieri in moneta ſoleat, quando ad nos pertinere, & noſtra referre videtur, vt ſimus eius gnari; eius quidem cuiusmodi ſit inuenta ars, & argentarius, quibus vtatur ad explorandum numiſma, oculis videlicet, tactu, olfactu, poſtremo auditu quoque, quis neſcit? Violenter enim in aliquo illidens denarium, ſono attendit. Quin etiam contentus non eſt ſemel vibrato neruo, ſed multa ſonorum attentione tandem efficitur muſicus.* Haud minor diligentia, in hoc itidem negotio adhibenda eſt; imò abſque comparatione maior; quanto videlicet maioris momenti eſt circumueniri in his quæ ad ſalutem animæ ſpectant; quàm in his; quæ cum tempore labuntur & pereunt. *Annunciare aliquid Chriſtianis catholicis præter id quod acceperunt, nunquam licuit, nuſquam licet, nunquam licebit: & anathemare eos, qui annunciant aliquid præterquam quod ſemel acceptum eſt, nunquam non oportuit, nuſquã non oportet, nunquam nõ oportebit. Quæ cum ita ſint; Eſtne aliquis vel tantæ audaciæ, qui præter id, quod apud Eccleſiam annunciatum eſt, annunciet: vel tantæ leuitatis, qui præter id, quod ab Eccleſia accepit, accipiat?* Vtinam nullus eſſet; maxima tamen vbique paracharactarũ, & eorum, qui paracharactis fidem adhibent, copia viſitur; quamuis *clamet, & repetendo clamet, & omnibus & ſemper, & vbique per litteras ſuas clamet ille, ille vas electionis, ille magiſter gentium, ille Apoſtolorum tuba; ille terrarum præco, ille cœlorum conſcius, vt ſi quis nouum dogma annunciauerit, anathematizetur*; quia falſarius eſt; probatæque monetæ adulter; nec aliud iudicium ſequitur quam ſuum; nec ad aliam lancem aut expendit ipſe, aut ab aliis expendi vult ſua numiſmata, dogmata inquam; quàm ad ſuam priuatam, eamque falſam & fallacem; Nam τὸ δοκεῖν, *videri*; pro vnica regula habet. Si aliter videretur; aliter ſentiret. Nunc quia ita videtur: ita ſentit: alia & aliter ſenſurus, docturus, ſe ſcripturus, vbi aliter videbitur. Sed negant iſti audacter pro regula habere *τὸ φαινόμενον, id quod videtur*, ſeu proprium iudicium; imò

Arrian. lib. 1. c. 20.

Vincent. cap. 14.

verò, inquiunt, scripturam sacram pro vnica regula suscipimus, suspicimus & veneramur. Verum an ideo fidem meretur paracharacta; quia omnia sua se formare & figurare clamat publicę auctoritatis nutu & iussu; adque pondus stateramque publicam? An propter hanc mendacem gloriationem & prædicationem, non sequitur & sectatur priuatam suam libidinem; contempta auctoritate publica, in quam grauissimè delinquit, hoc ipso, quod tales nummos signat & cudit. Dic obsecro, an ille propositam sibi habeat aliam regulam præter suam phantasiam; & præter *suum velle*; qui ita scribit. *Principio neganda mihi sunt septem sacramenta, & tantum tria pro tempore ponenda, baptismus, pœnitentia, panis.* Quid sibi vult illud *pro tempore*? Quid aliud, quã tria tantum sunt sacramenta; quia videntur mihi hoc tempore tantũ esse tria sacramenta; vbi mihi visum fuerit plura vel pauciora esse; plura vel pauciora constituam. Etsi statim Vertumno huic aliud visum est, quanquam si *vsu scripturæ loqui velim*, inquit Lutherus, *non nisi vnum sacramentum habeam, & tria signa sacramentalia.* An talis sequitur certam, indubitatam, vndique sibi constantẽ & consentientẽ regulam; qui pro tempore tantum sua placita statuit; mutaturus pro tempore eadem, sicut pro tempore condiderat? An non iudicium duntaxat suum volubile, versatile & instabile sequitur, qui pro tempore quæ subiiciã dogmata tradit, tanquam aurea, quin & gemmea, & ex ipso Spiritus sancti intimo pectore deprompta. *Consequitur ridiculum commentum esse liberum arbitrium. Quia voluntas nostra adeò non est libera, vt eo tantum feratur, quorsum à Deo impellitur, &c. Nos verò dicimus, non solum permittere Deum creaturis vt operentur, sed ipsum omnia propriè agere, vt sicut fatentur proprium Dei opus fuisse Pauli vocationem, ita fatentur opera Dei propria esse, siue quæ media vocantur, vt comedere, bibere communia cum brutis: siue quæ mala sunt, vt Dauidis adulterium, etc. Ergo non est cur frigidum glossema recipiamus, Deum mala permittere, non etiam facere.*

Luth. de captiuit. Babyloni-ca.

Philip. in Annotat. super Epist ad Rom. Argentorati 1523.

Hæc Philippus pro tempore; quia ei tunc ita videbatur; vbi alia phantasia superuenit, eluit priorem phantasiam, tam in dictis annotationibus super Epistolam ad Romanos; quàm in locis communibus, vbi similia, planè impia & athea, tradiderat; sed pro tempore, quia omnia sine stabili, immutabili, semperque veraci regula effutierat; ea solum de caussa, quia ita videbatur. *Obsecro, num quæ tragœdia habet argumentum aliud? Quid est Atreus Euripidis? τὸ φαινόμενον, visum. Quid Oedipus Sophoclis? Visum. Phoenix, visum. Hippolytus, visum.* Placita Lutheri;

Philip. loci commun. tit. de lib. arbitrio, Argentor. 1523.

Arrian. li. 1. c. 29.

theri; dogmata Philippi, quid sunt? τὸ φαινόμενον. *Visum.* τίνες δὲ λέγονται οἱ παντὶ τῷ φαινομένῳ ἀκολουθοῦντες; μαινόμενοι. *Qui verò appellantur, quibus consuetum, omne quod videtur, & à phantasia dicta-tur, sectari? Insani.* Habent ergo Lutherus, Philippus; aliique sectarij legitimum suum genuinumque nomen ab Ariano Philosopho Ethnico: sed in hoc argumento omnibus nouatoribus longè sapientiore, qui acutè vidit, recteque scripsit in omnibus actionibus & disceptationibus regula certa opus esse, ad q̃ facile promptumq; sit, quãlibet quæstionẽ & controuersiã exigere & exputare; litibusque finem imponere; qualis regula scriptura non est, vt maximè alio quodã sensu norma sit & regula, tũ quia omnes paracharactæ ad eã confugiunt, & sub tegmine eius fraudes & imposturas suas celant; tum quia de hac ipsa norma eiusque sincera & germana sententia cum paracharactis disceptamus. Oportet ergo aliam regulam constituere; ad quam disceptationem nostram examinemus, vt enim stultissimè faceret ille paracharactes aut ponderum trutinarumq; corruptor; qui numisma pondusúe mihi proponens, quod ego adulterinum falsatumque esse contenderem; huius aliam probandi & examinandi rationem nec proferret, nec admitteret; quàm ipsum numisma, vel pondus; aut aliud simile numisma vel pondus: ita insipientissimè agunt sectarij, cum prolato quopiam scripturæ loco, hunc vel illum loci illius sensum verum probumque esse asseuerant; nec id aliter ostendunt; quàm per illum ipsum locum; aut per aliquem aliquo modo similem, cum tamen vt in nummis & ponderibus distincta quadam minimeque fallaci norma opus est; vt veritas eruatur; ita & in nostro argumento per aliud indicium indagare debeamus; num verus sit ille sensus; quem tu mihi venditas; an falsus & commentitius. Aliàs insulsissimè, aut idem per idem examinabitur & probabitur; aut per aliud quidem: sed æquè incertum, perplexum & adulterinum: quod dico propter illos, qui numismata per numismata, scripturas per scripturas examinant, explorant, & probant, quasi verò si nummus probandus falsatus sit; alter non possit etiam esse falsatus. Aut si is cum quo prior comparatur, non sit adulterinus; ideo necesse sit priorem quoque non esse adulterinum, quasi paracharacta in eodem sacculo non queat circumferre plura adulterina numismata, & falsa pondera; prolatisque duobus dicat: Ecce nummum probum probatumque; quia & iste probus probatusque

tusque est. En pondus iustum; quia & hoc pondus iustum est. Hoc, id est, *panis*, est corpus meum: quia Apostolus Eucharistiam vocat *panem.* Hoc, id est, *panis*, *Est*, id est, significat *corpus meum*: quia Exodi 12. accipitur est pro *significat.* An non sunt hęc egregia examina numismatum & ponderum, de quorum probitate & sinceritate ambigitur? An non per hæc examina omnis dubitatio & incertitudo tollitur? Tantum abest, vt tollatur, vt potius magna accessione augeatur. Ergo ad Lydium lapidem; *ad pondus sanctuarij*; ad Ecclesiæ traditionem doctorumque veterum auctoritatem confugiendum est. Ad Zygostaten publicum, & à Deo in hac Ecclesiastica Republica constitutum, accedere oportet; Quorum trutinæ & examini si dogmata ista imponamus, è vestigio, vanitatem, inanitatem, leuitatem, omnéque fraudem deprehendemus. Quid est, de quo litigamus probumne sit an improbum genuinum an adulterinum? inquit Arrianus. *Voluptas.* ὕπαγε αὐτὴν τῷ κανόνι, βάλε εἰς τὸν ζυγόν. *Applica eam canoni seu regulæ, Mitte in libram. An non bonum eiusmodi esse debet, cui fidere dignum sit? Vtique. An igitur tale quid voluptas? Nequaquam. Deiice ergo & voluptatem ex libra; eamque extra bonorum classem quàm longißimè ablega. Quod si tam acutis non es oculis; & statera, quæ in te est, huic rei expendendæ non sufficit; accipe aliam. Gloriarinè licet bono? Vtique. Præsenti voluptate estne qui gloriari poßit? Caue ne affirmes; aliàs ne trutina quidem te dignum dixero.* οὕτω κρίνεται τὰ πράγματα, καὶ ἵσταται τῶν κανόνων ἡτοιμασμένων, καὶ τὸ φιλοσοφεῖν τοῦτό ἐστι ἐπισκέπτεσθαι καὶ βεβαιοῦν τοὺς κανόνας. *In hunc modum diiudicantur res, & subsistunt constitutis certis definitisque regulis. Et hoc est philosophari, perpendere & constabilire regulas.* Hæc pulchrè philosophus ille; quæ & nobis vsui erunt; si velimus vti. Nam vt vno alteroúe exemplo rem clariorem efficiam; quando Philippus cum his adulterinis nummis & ponderibus tibi sese offert; *omnia necessariò euenire scripturæ docent; Esto videatur tibi in rebus humanis esse contingentia, iudicio rationis hic imperandum est: Nullam libertatem esse voluntati humanæ in sumendis vel ponendis spiritualibus affectibus, amore, metu Dei, fide, spe, &c. perspicuum est: nam carnales nihil moror, quanquam neque in his libera est.* Etiam *iuxta naturæ iudicium in affectibus nulla libertas est. Nulla libertas est, si voluntatem humanam ad prædestinationem conferas.* Contendere iudicio *Christianis non licet;* quando, inquam, hæc & id genus alia plumbea, sed scripturæ auro fucata numismata Philippus tibi obtrudit; adhibe

Arrian. lib. 2. c. 11.

Philip. loc. comm. tit. de lib. arbitr. 1523. Argentor.

Idem tit. de abrogat legũ.

ea

ea ad stateram & examen Ecclesiastici Canonis, moxque, plusquam stoica, ne dicam planè Diabolica, esse videbis, quæ vulgus cerebri vacuum propemodum adorat: Et hoc est θεολογεῖν, seu de diuinis rebus rectè sapere & loqui; Ecclesiasticæ traditionis canonem sartum tectumque conseruare; & extra præscriptum illius nihil approbare.

Clemens Rom. Epist. 5. refertur d. 37. cap. 14.

Diligenter namque obseruandum est, vt lex Dei cum legitur, non secundum propriam ingenij intelligentiam legatur vel doceatur. Sunt enim multa verba in scripturis diuinis, quæ possunt trahi ad eum sensum, quem sibi vnusquisque sponte præsumpsit. Sed fieri non oportet. Non enim sensum, quem extrinsecus adulteretis, alienum & extraneum debetis quærere: aut quoquo modo ipsum scripturarum auctoritate confirmare: sed ex ipsis scripturis sensum capere veritatis. Et ideò oportet ab eo intelligentiam discere scripturarum, qui eam à maioribus secundum veritatem sibi traditam seruauit; vt ipse possit ea, quæ rectè suscepit, competenter asserere.

Quod si quis tam dexter doctusque non est, vt ipsemet talia numismata explorare, & ad pondus sanctuarij, ad iudicium videlicet, sensumque Ecclesiæ adhibere norit; is roget pastores & doctores, vt hoc suo loco præstent; hos enim collocauit Christus in hoc gradu *ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris.* *Harum rerum peritia non est omnium, sed eorum duntaxat, qui illius artis sciẽtiam tenent. Itaque si probatum aurum à crudo dignoscere velimus, minimè nos quidem id probationi subiicimus, sed explorari ab eo curamus, qui sit huiusmodi probationis peritus. Is verò aut indici admotum, aut igni excoctum, vel legitimum esse aurum vel adulterinum decernit. Ita & cum pretiosos lapillos emimus, nequaquam nobis in eorum discretione ac delectu credendum putamus, sed iis potius institoribus, quibus temporis diuturnitas experientiaque huius rei iudicium inuexit. Si quis præterea sericam sibi vestem, picturatamque aut intertextam auro comparare statuit; à peritis textoribus æstimari eam iubet. Ille etiam, qui scire auet, quot pondo censenda sint vel aurea vasa vel argentea, vel numismata quæpiam, pendenda ea libratoribus defert, ab iisque pondus illorum, grauitatemque perdocetur, creditque illorum dictis, nec diffitetur.*

Ephes. 4.

Theod. lib. 1. de curãd. græca. affect.

Cum olim *emptio venditioque solidorum* (quos multi auaritia rapti

rapti *excidebant, deminuebant, & arrodebant) impediretur, nonnullis tanquam leues eos vel debiles repudiantibus,* iussit Imperator, *per singulas ciuitates constitui Zygostaten, qui pro sua fide atque industria neque falleret, neque falleretur, vt ad eius arbitrium, atque ad eius fidem, si qua inter vendentem emptoremque in solidis exorta esset contentio, dirimeretur.* Huiusmodi Zygostatas & ponderatores præfecit etiam Christus Ecclesiæ suæ; vt *æqua lance & libramentis paribus* diiudicent; quoties aliquid litis super solidis aureisque nummis; hoc est, sacræ scripturæ oraculis, enascitur: inter quos primas tenet ille: cui dictum: *Pasce oues meas:* quales olim æstimatores, trutinatores, examinatores, arbitri & iudices erant quoque in populo Israëlitico; cui proinde hoc mandatum diuinitus datum est: *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, caussam & caussam, lepram & non lepram.* (inter numisma & numisma, inter pondus & pondus) *& iudicum inter portas tuas videris verba variari* (quia pastores nonnulli & doctores inferioris ordinis ipsimet non raro à paracharactis circumuenti sunt; tantum abest, vt alios ab errore præseruarent) *surge & adscende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus* (locus iste Romana Ecclesia est; quæ hanc promissionem à Christo emeruit: Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam.) *Veniesque ad sacerdotes leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore* (ad summum Ecclesiæ præsulem) *quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerisque sententiam eorum. Nec declinabis ad dexteram, nec ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo; ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Israel, cunctusque populus audiens timebit, vt nullus deinceps audiens intumescat superbia.* Hæc olim mandata Israelitis data ne in pseudozygostatas inciderent, spectant etiam ad Christianos, vt fugiant *mendaces filios hominum in stateris, qui falso examine fallunt intuentes,* quique nesciunt *alium esse qui appendit, alium qui de pondere iudicat:* qui illud Dei interdictum mente non recōdunt. *Non habebis in sacculo diuersa pondera maius & minus, nec erit in domo tua modius maior & minor, pondus habebis iustum & verum, & modius æqualis & verus erit tibi, &c. Abominatur enim Dominus tuus eum, qui facit hæc, & auersatur omnem iniustitiam. Nolite facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, in pondere, in mensura. Statera iusta & æqua sint pondera, iustus modius, æquusque sextarius, quia pondus & pondus, mensura &*

Lib. 12. Cod. Theod. tit. 7. L. 2.

Psal. 61. S. August. in Psal. eund.

Deut. 25.

Leuit. 19.

Prouer.20. *mensura vtrunque abominabile est apud Deum.* Quis autem magis diuina hæc præcepta violat, quam paracharactæ & pseudozygostatæ nostri; qui normam diuinæ scripturæ habent in ore; phantasiam propriumque suum iudicium in pectore; dumque ad illam se omnia appendere; & ad præscriptum illius admetiri dicunt; omnia appendunt & admetiuntur ad proprium cerebrum; quibus meritò illud D. Augustini obiicias: *Non videt cui tu appendis, sed videt, qui & teipsum appendit;* qui aliquando, nisi ab imposturis & paracharagmatis desistant, audient illud: *Appensus es in statera, & inuẽtus es minus habens*, tunc & illud Domini implebitur; *Diuidet eum, partemque eius ponet cum hypocritis, illic erit fletus & stridor dentium.*

S. August. loc. cit.

Daniel. 5.


Matth. 24.


COM-

COMMENTARIOLVS DVPLEX: ALTER IN NVMISMA ARGENTEVM, NVPER AB HÆRETICIS DE COLLOQVIO RATISBONENSI

cusum & sparsum: Alter in eiusdem metalli numisma in laudem Hussi, Lutheri & Rabi; sub figura Anseris, Cycni, & Corui signatum & vulgatum.









Commentariolus primus.



Væ hîc vides numismata, amice lector; ea nuper cuderunt hæretici monetarij nescio in qua officina. Scilicet hoc supererat, vt non modò famosas chartas, sed & famosa numismata spargerent; vt qui capi nequeunt libris, capiantur nummis, hamo longè

 gratio-

gratiore, si tamen nummi nomen merentur. Si enim numus seu nummus, vt Aristoteli aliisque placet, appellationem suam inde traxit, ὅτι οὐ φύσει, ἀλλὰ τῷ νόμῳ ἐστί, quod *non sit à natura sed à nomo*, hoc est, *lege*, numus vtique, hoc est, *lex*, seu *legale* seu *legitimum* dici non poterit, nisi per catachresin, id, quod contra leges fit; vt quidē nomismata hæc cōtra leges facta esse fatebitur omnis ille, cui notum, in Imperio interdici non modò libellos famosos, sed & eiusdem generis *picturas*, & *facturas fusiles* & *sculptiles*. Sed prædicantes nullam legem, quæ calumniandi & criminandi libidinem coërceat; sibi positam arbitrantur.

Vide Constit. Caroli V. Imper. in Comit. August. 1548. cap. 34.

Nec refert, quod alteri nummo subscriptum vides: *Cum priuilegio*. Non excusant hæc verba, sed vel maximè accusant. Cuius enim priuilegio nummus ille cusus est? Num Imperatoris nostri? Id quidem verba indicant: quæ cum absolutè alicui rei præponuntur vel imponuntur; *Cæsareum priuilegium*, inueterata iam in Imperio consuetudine, denotant. Si enim sit alterius principis, cuius potestas certis limitibus in Imperio circumscripta est; tum addi solet, si candidè agatur, restrictio & limitatio; ne lector aut spectator in fraudem inducatur. Quis porrò rerum omnium adeo rudis & imperitus est, vt credat Imperatorem catholicum, Romanæque Ecclesiæ obseruantissimum & studiosissimum *priuilegio* ornare & munire voluisse numisma, in quo visitur Hussus sub imagine Anseris: Lutherus sub imagine Cycni; Godefridus Rab, vt nuperrimus, ita & flagitiosissimus Apostata, sub imagine corui; vnguibus suis sacrosanctæ crucis effigiem, infulas Episcopales, vexilla Ecclesiastica; tiaram & pedum Pontificium, totumque Ecclesiarum decorem & apparatum conculcantis & lacerantis, non sine nequissimæ istius tria-

dis

dis elogio, quod ex altera nummi parte legitur? Pepo ſit non homo, qui hoc ſibi perſuadeat.

Quis rurſus mentis & frontis tam perditæ reperitur, qui diſertè dicere auſit, nummo huic priuilegium à Cæſarea, catholica & Romana maieſtate conceſſum eſſe? Diſertè; inquam, tacitè enim iam id nummi huius Auctores aſſeuerãt; ſed ita tacitè, vt ſi fortè ſuper hac re cõueniantur; effugium aut latibulum aliquod reſtet; nempe ſe non de Cæſareo, verum de aliquo alio priuilegio locutos eſſe. Ita enim λοξίαι iſti, bilingues, & amphidextri omnia ambiguè dicunt & agunt; vt ſemper ſibi reſeruent latebram aliquam, quò ſe recipiant; ſi factorum aut dictorum rationem reddere compellantur. At fortaſſis ille, quisquis eſt; cuius auctoritate nummus iſte factus eſt; generale priuilegium à Cæſare obtinuit cudendi monetam. Eſto, obtinuerit; non enim repugno; at hoc *priuilegium* non habet à Cæſare ad tales nummos, hoc eſt, ad *hæreticos, famoſos*, & in catholicæ religionis detrimentum formatos, ſicut & Typographus; qui priuilegium à Cæſare habet excudendi libros; is nequaquam iuſtè & licitè priuilegium hoc ad libellos *famoſos* & *hæreticos* accommodat; quia priores ab ipſo Cæſare prohibiti ſunt; nec digni cenſentur priuilegio ſed ſupplicio; poſteriores autem, & ſi in Imperio tolerantur, à catholico tamen Imperatore priuilegiis non muniuntur; Etſi enim licet, circumſtantiis ita efflagitantibus, hæreſes tolerare; non licet tamen priuilegiis promouere & amplificare. Quod ſi quando factum eſt; id per ſurreptionem factum eſt. Irrepunt enim vulpeculæ iſtę clanculũ non tantum in frumenti cameras, ſed & in aulas, offuciisque ſuis os proceribus oblinunt; niſi Argus quiſpiam cuſtos adhibeatur; non eſt ergò hoc, quod nummus iſte iactat, priuilegium Cæſareum nec generale; nec ſpeciale.

A quo ergo priuilegium hoc cōceſſum eſt? dicite prædicantes. Nam ſi ab aliquo qui Anſerē, cycnum porcinū & Rabum ſeu Coruum amat & ſuſpicit; nihil priuilegiū iſtud aut moramur, aut miramur, nec moraretur, aut miraretur lector, ſi adieciſſetis nomen. Quid enim mirú, ſi Anſeris, cycni ſuilli & coracis cultor & admirator, tergeminum iſtud monſtrum priuilegiis decoret? Verum de nummo hoc plura poſtea. Nunc in viam redeo.

Ego neutrum ex iſtis nummis propriè nummū nominari poſſe contendo; quia vterq; eſt contra νόμον ſeu legem. Moneta vocetur; ſi, vt multi tradunt, moneta à *monendo* nomē ducit: Monet enim nos vterq; horum nummorum, quali nam genio & ingenio ſint prædicantes; nimirū mendaci, turbulento, ſeditioſo, & ad bella ciēda aptiſſimo. Quid enim ſibi vult gladius flammiuomus libro clauſo inſiſtens? Quid manus gladiū apprehendens & vibrans? Quid veſpertiliones ad fulgorē gladij aduolantes, volatuq; capita ſauciantes, imò & amputantes? Quid ſibi vult illa vernacula inſcriptio? *Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium; intrinſecus autē ſunt lupi rapaces. Matth. 7.* Quid illa Epigraphe? Colloquium XVIII. Nouemb. Ratiſb. A. S. CIↃ IↃCI.

Quid ex altera numiſmatis parte mulier *decicorni*, vt prædicantes loquuntur, beſtiæ inſidens, cum hac inſcriptione? *Et vidi mulierem ebriam de ſanguine ſanctorum, & de ſanguine martyrum Ieſu.* Quorſum ſpectant illa ſub pedibus beſtiæ? Die groß Babyloniſch Hur. *Magna babylonica meretrix.* An non hoc eſt:

Aere ciere viros, Martemq; accendere cantu?

Et in id vnum incumbere, vt

Tympana tenta ſonent, & cymbala circum
Concaua, rauciſonoque minentur cornua cantu.

Et

Et Phrygio stimulet numero caua tibia mentes.

Si à catholicis eiusmodi nummus prodiisset; quos clamores nõ sustulissent p̃dicantes; quã tubã non inflassent? Quẽ non de insidiis conatibusq; sanguinariis cõmonefecissent? Rursus Osiander non vnũ, sed plures tractatulos bella nunciantes in imperitũ vulgus disseminasset, vt olim fecit; cum in picturam *Pragensẽ* de vinea Domini à principibus aurei velleris defendẽda incidit: Rursus cœli terræq; opẽ implorasset, vt germaniã à præsentissimo discrimine & exitio eriperent. At nunc cũ prædicãtes, pacifici isti, imò pacis filij, pacisq; nutritij, qui solent *pacẽ orare manu, prætendere puppibus arma*, gladiis micantes nummos spargunt; cumq; digitum intendunt per bestiæ & vespertilionum effigiem; in quos gladius ille exerendus sit; fauendum est linguis, bonumq; factũ acclamandum huiusmodi Irenæi, nihilq; aliud existimandũ, quàm quòd nobis accinant: *pax Domini sit semper vobiscum.*

Quin & adhuc expostulabunt cum aduersariis; quod bonã scilicet mentẽ non bene interpretentur; Nummũ enim mysticũ & allegoricum esse, vt & gladium; & quidquid demũ in numismate illo apparet. Nihil referendum ad bella hæc externa & *carnalia*; sed ad spiritualia; quæ nõ hastis & sclopis mucronibusque ex ferro conflatis; sed gladio spiritus, verbo nimirum Dei geruntur & administrantur. Regulam Iuris esse, *in ambiguis orationibus maximè sententiam spectandam esse eius, qui eas protulit.* Idem accommodari debere ad facta; & ad numismata. Item *semper in dubiis benigniora præferenda esse*. Et, *in re dubia benigniorem partem sequi non minus iustius, quàm tutius censeri.* Denique *in ambigua voce legis, eam potius accipiendam significationem, quæ vitio caret*, eandemque æquitatem ad facta transferri deberer

L. Ea quæ ff. de reg. Iuris.
L. In ambigua ff. de legib.

Audio

Audio quid ſui expurgandi gratia prædicantes adferant. At cur iſta purgatio nullius ſit momenti, iam demonſtrabo. Nam alia quoque regula Iuris ita præcipit. *Quoties idem ſermo* (eadem ratio eſt facti) *duas ſententias exprimit, ea potiſſimum accipiatur, quæ rei gerendæ* (& perſonæ loquenti vel agenti) *aptior eſt.* Quis autem negetaptiorem eſſe interpretationem à nobis allatam, ſi quis prædicantium naturam & indolem penitius introſpicere velit; quã illam alteram; quam prædicantes iam in ſua mente contra mentem ſuã comminiſcentur. Exulat ab his Mauortiis myſtis omne *pax vobis*. Spiritum enim parentis ſui Lutheri in ſinu ſuo circumferunt; eoque non calent; ſed ardent. Qualis autem ſpiritus ille Lutheri fuerit; quàm pacificus; quàm ſemper virentis oliuæ amans; quàm mitis & placidus, præſertiã in pontificem Romanum & pontificios, id lector abundè cognoſcet ex *pacifico Luthero* M. Conradi Andreæ; & ex his pauculis, quas ſubiiciam ſententiis. *Qui habet aures audiendi audiat, & à bello Turcico abſtineat, donec Papæ nomen ſub cœlo valet. Dixi.* Bone Deus; qualis iſte Salomon, hoc eſt, *pacificus*; qualis præco pacis & Angelus? Si quis catholicorum ita ſcripſiſſet, aut etiamnum ſcriberet: *Qui habet aures audiendi audiat, & à bello Turcico abſtineat, donec Lutheri & Lutheranorum nomen ſub cælo valet*: an non prædicantes conſona vociferatione omnes Germaniæ angulos complerent? An non conuerſis ad ſidera capitibus omnia triſtiſſimo vlulatu perſonare facerent? Et quidem non planè immeritò. At cum Lutherus talia de Papa & papiſtis ſcribit; nihil quod ſeditioſum ſit, aut turbulentum, aut Chriſtianæ Reipublicæ pernicioſum, iudicio prædicantium, ſcribit; ſed zelo diuinæ gloriæ exæſtuat; & nil niſi pacem in optatis habet.

L. Quoties ff. de reg. Iuris.

Luth. in aſſert. art. 34. tom. 2. lat. VVitteb.

Si quis appellaret Lutheranos *Turciſſimos Turcas, truculen-*

culentiores, cruentiores, insaturabiliores & peiores Turcas, quàm sint veri Turcæ; an non prædicantes talem lapidibus obruerent; vel saltem obruere tentarent? Luth. loc. cit.

Si quis catholicorum cum Hutteno primitiis Lutherani spiritus plenissimo, scriberet: *Quàm est indecorum, quàm turpe & fœdum, orbis reginam nationem, cuiquam, nedum otiosis sacerdotibus seruire. Vtinam enim Turcæ seruiamus potius, qui viri sunt, & inprimis strenui, ac rei bellicæ, vt vix vlla natio periti, vt in fortunam, quæ in bello potest plurimum, hanc reiicere culpam liceat. Quin etiam mitius imperant Turcæ, & in subiectos æquiores sunt, neque de religione, vt audio, pugnant, sed pro imperio decertant. Isti verò Domini nostri, quem fraudandi ac diripiendi modum statuunt?* Hutt. in Conquæst ad Frid. Electorem.

Si quis, inquam, orthodoxus furiosis chartis odio Lutheranorum talia illineret, quæ verborum fulmina prædicantes non vibrarêt? Et ô si absque innocentum detrimento experirentur isti Turcicæ dominationis tam auidi suaue istud Mahometis iugum, forsan stylum mutarent, & quem nunc execrantur vt Antichristum, postea venerarentur vt Christi vicarium, & maledicentissima illa conuicia in benedicta commutarent: vel saltem paci publicæq; tranquillitati magis accommoda scriberent.

Sed ad Lutherum, qui dum supradictis Epithetis Romanos afficit, nihil, suo & prædicantium iudicio, paci & communi quieti aduersum agit; quin & Propheta videri cupit. *Fortè sicut Michæas, qui & ipse odiosus erat*, inquit Lutherus, *quia non prophetabat nisi malum*, *dicam & ipse meo Achab*; (Quis iste Achab Lutheri?) *Ite, præliamini contra Turcas, vt resistatis virgæ Dei, & cadatis, sicut & ille cecidit.*

Finge item catholicum quempiam de Luthero & Lutheranis scripsisse, quod Lutherus eodem loco furiis agitatus effutiit; an non prædicantes Mænadum instar è ve-

ſtigio inſanirent,& in catholicos tanquã fœdifragos inuolabunt? Quid ergo ſcripſit Lutherus? Accipe. *Quantò rectius faceremus, ſi primùm orationibus, imò totius vitæ mutata ratione, Deum propitium faceremus; tum idolo illi Romano Cæſar & principes modum ponerent tyrannidis, illuſionis perditionis animarum. Nam vt et ego prophetẽ ſemel, licet nõ audiar, quod ſcio. Niſi Romanus Pontifex redigatur in ordinem, actum eſt de omni re Chriſtiana, &c. Nil niſi peccatum & perditionem Papatus operari poteſt. Quid vis amplius?*

Fingamus iam verba hæc à catholico Turcicum bellũ diſſuadente, in Lutherum & Lutheranos dicta eſſe hunc in modum. *Quanto rectius faceremus, ſi primùm orationibus, imò totius vitæ mutata ratione, Deum propitium faceremus? tum idolo illi Lutherano Cæſar & principes modum ponerent tyrannidis, illuſionis, perditionis animarum Nam vt & ego prophetem ſemel, licèt non audiar, quod ſcio. Niſi Lutherus & Lutheraniſmus redigatur in ordinem, actum eſt de omni re Chriſtiana. Fugiat, ſicut Chriſtus docuit in montes qui poterit, aut vitam homicidis Lutheranis cum fiducia offerat in mortem.*

Si Lutherani hæc verba in orthodoxi alicuius libro inuenirent; ea non modò, cum immenſo eiulatu in chartas referrent; ſed & exararent in libro *Stylo ferreo* & *plumbi lamina*, & *celte ſculperent in ſilice*; nec ſatis diſpicerent, qua orationis vehementia tam truculentam immanitatem exaggerarent. Nunc cum hæc & his ſæuiora paſſim in Lutheri Tomis occurrant; nihil ab humanitate & ſpiritu manſuetudinis alienum, nihil crudele, nihil ſanguinarium, Lutherana pituita prępediti prædicantes, odorantur.

Luther. in Epilogo Epitomes Reſponſi-

Verumenimuero iam paulò maiora canamus. Mihi videtur, inquit Lutherus, *ſi ſic pergat furor Romaniſtarum, nullum reliquum eſſe remedium, quàm vt Imperator, Reges & principes*

principes vi & armis accincti aggrediantur has pestes orbis terrarum, nempe non iam verbis, sed ferro decernant. Quid enim lallant perditi homines, etiam communi sensu priuati, quàm id quod Antichristus facturus prædicitur, ac si nos insensatiores quàm trunci sunt habeant. Si fures furca, si latrones gladio, si hæreticos igne plectimus, cur non magis hos Magistros perditionis, hos Cardinales, hos Papas, & totam istam Romanæ Sodomæ colluuiem, quæ Ecclesiam Dei sine fine corrumpit, omnibus armis impetimus, & manus nostras in sanguine istorum lauamus? tanquam à communi & omnium periculosissimo incendio nos nostrosque liberaturi. nis Syluestri Tom. 1. lat. VVitteberg.

Iterum conuenio prædicantium conscientiam; (si quam tamen reliquam habent) an non cum Caipha vestes suas in mille frusta discepturi, adeòque prolixas suas barbas euulsuri essent, si hæc Lutheri verba ad Lutheranos catholicus scriptor transferret; & beneuolentiæ captandæ gratia, eos initio vocaret. *Nimbrotos, Ismaelitas sanguisugas, Sybaritas, Zodomitas, Antichristos, orbem terrarum fictis verbis seducentes*; sicut ante supradicta truculentissima verba vocauit Lutherus Romanos.

Sed ad parodiam. *Mihi verò videtur, si sic pergat furor Lutheristarum, nullum reliquum esse remedium, quàm vt Imperator, Reges & principes, vi & armis accincti aggrediantur has pestes orbis terrarum, remque non iam verbis sed ferro decernant. Quid enim lallant perditi homines, etiam communi sensu priuati, quàm id quod Antichristus facturus prædicitur, ac si nos insensatiores, quàm trunci sunt, habeāt? Si fures furca; si latrones gladio; si hæreticos igne plectimus, cur non magis hos magistros perditionis, hos prædicantes, hos superattendentes, & totam istam Lutheranæ Sodomæ colluuiem, quæ Ecclesiā Dei sine fine corrumpit, omnibus armis impetimus, & manus nostras in sanguine istorum lauamus? tāquam à communi & omnium periculosissimo incendio, nos nostrosq; liberaturi?*

Si Lutheri furiosissimam orationem ad prædictũ modum aliquis ad Lutheranos accommodaret, an non prædicantes intolerabiliter furerent, totumque mundum excitarent, vt vomeres & falces in gladios & sicas commutarent; quò hanc tantam vim & tyrannidem à ceruicibus suis depellerent? An non cum præstantissimo vate quamprimum canere liceret?

Vomeris huc & falcis honos, huc omnis aratri
Cessit amor, patrios recoquunt fornacibus enses,
Classica iamq; sonant, it bello tessera signum.
Hic galeam tectis trepidus rapit: ille frementes,
Ad iuga cogit equos, clypeumque, auroque trilicem
Loricam induitur, fidoque accingitur ense.

Iud. cap. 19. An non prædicantes Confessionem suam Augustanã, aut Concordiam; non modò in partes duodecim vt Leuites ille vxorem suam; sed & in decies mille particulas laceratam mitterent in omnes Germaniæ *terminos, conclamantes; Nunquam res talis facta est* in Germania, *ex eo die* quo pater noster Lutherus Euangelicam facem accendit, *vsque in præsens tempus, ferte sententiam, & in commune decernite, quid facto sit opus?* Nunc cum hæc & id genus plura & atrociora Lutherus scribit; non Alecto, non Megæra, non Tisiphone, sed ipsa pax iudicio prædicantium scribit; nec Marte, sed pace tincta.

In edict. contra Luther. Tom. 2. Luth. VVit. lat. Præterea plurima alia eiusdem generis plane sanguinaria; quæ ex Luthero adduci possent; si hoc iam ageremus. Vt enim Inuictissimus Imperator Carolus V. rectissimè de Lutheri scriptis scripsit; *vniuersaliter nihil aliud spirant eius scripta, quod non seditionum, distractionum, bellorum, cædium, rapinarum, exustionum, & occasus fidei Christianæ materiam caussamque præbeat.* Nobis vnum aut alterum paradigma protulisse sufficit, ex quo liquidò liquet, quo spiritu

agiten-

agitentur prædicantes; neque enim alio præditi sunt; quàm Lutheri genitoris sui spiritu, eoque non simplici duntaxat, sed propemodum gemino; vt à multis ex propriis prædicantium lucubrationibus demonstratum est; prolatis euidentissimis huius rei documentis; inter quæ nummus, de quo nobis sermo, non immeritò numeratur, non enim alio fine ab istis cusus & sparsus est; quàm turbarum concitandarum gratia; Etsi vt spero, spe sua & exspectatione fallentur.

Nec digni sunt, quibus opitulentur leges suprà citatæ. Quia leges nequitiæ & flagitiosæ improbitati nō patrocinantur; Et in dubiis mitior & benignior pars eligenda & amplectenda est, nisi is, cuius causa agitur; gratia hac & fauore penitus sit indignus, ob manifestam & non semel deprehensam imposturam & fraudulentiam; quales profectò nostri prædicantes, qui ea sunt indole, vt aliorum vel optime dicta, vel sincerissimè facta in pessimam partem accipiant & interpretentur, quod notum est omnibus illis, quibus aliquid negotij vel coram vel eminus per scripta cum prædicantibus intercedit. Cur ergo à nobis exigunt, quod ipsi aliis non concedunt? cur nos volunt esse malefactorum suorum bonos & lenes interpretes; cum ipsi benefactorum nostrorum non nisi malignissimos & peruersissimos interpretes nobis sese exhibeant?

Vt maximè facta illorum; & hæc ipsa numismata essent dubia; nihilq; nobis de consilio prædicantium plenè liqueret; attamen hic sequeremur consilium Lutheri, quod dedit instruēs lectorem, quomodo cum Erasmi figuratis, obliquis, ambiguis & insidiosis verbis agendum sit.

Hic primus locus fuit, inquit Lutherus, *qui alienauit animū meum ab Erasmo, Protinus suspicari cœpi eum esse simpliciter Democritum* *Luther. in suo Iudicio de E-*

rasmo Tom. 2. lat. VVitteberg.

mocritum seu Epicurum, & versutum irrisorem Christi, qui vbiq; odium suum in Christum suis Coëpicuris indicat, sed ita figuratis & insidiosis verbis, vt furiosissimè debacchari possit in Christianos, qui suis obliquis & suspectis verbis offensi, non interpretentur omnia pro Christo eorum. Quasi vnus in orbe Erasmus regnum possideat liberrimum insidiosè & obliquè loquendi de rebus maximis, & omnes homines obnoxios habeat in ea seruitute, vt cogantur obliquitates & insidias eius rectè & sincerè interpretari. Cur ipse potius non loquitur rectè & apertè? vt quid delectatur insidiis & figuris istis tam periculosis? &c.

Hæc quæ Erasmo à Luthero dicta sunt de stylo, accipiant, isti à me de suo nummo. *Quare rectè faciunt omnes,* addit Lutherus, *qui suspecta & insidiosa eius verba* (numismata) *contra ipsum interpretantur. Nec est audienda eius vociferatio; calumnia, calumnia; & quod non commodè & candidè interpretemur eius dicta* (numismata.) *Cur ipse fugit commodè dicta, & sectatur incommodè dicta? Esset enim hæc tyrannis inaudita, vniuersum genus hominum ita velle habere subiectum, vt insidiosè & periculosè dicta*(& facta)*cogeretur commodè intelligere, & illi regnum concedere semper insidiosè loquendi, &c. Vnde & publicæ leges imperij Romani damnant hanc dicendi*(& agendi)*rationẽ, mulctantq; hac pœna, vt iubeant verba interpretari contra eum ipsum, qui clarius dicere potuit, & dixit obscurius. Et ipse Christus seruum illum nequam sese insidiosè excusantem damnauit, & verbis ipsius in eum retortis dixit: Ex ore tuo te iudico serue nequam. Quid enim fieret si in religionib. & legibus, & omnibus grauibus causis, assuesceremus ambiguè & insidiosè dicere* (& agere) *nisi confusissima illa Babylõ, in qua nullus alterũ tandem intelligere possit? &c. Deinde si ista licentia regnet, possem ego omnia cõmodè interpretari, quæcunq; vnquam omnes hæretici dixerunt*(aut fecerunt) *Denique quidquid ipse Diabolus fecit, dixit, aut dicere & facere possit in æternum.* Hæc Lutherus de Erasmo: nos de istis nu-

misma-

mismatis,eorumque Auctoribus;qui cum Zizania, hoc est,semina dissidiorum seminauerint;attamen *interpretationibus commodis sic se pingunt, ornant, & ex oculis nostris se proripiunt*, vtar enim apud Lutheranos verbis Lutheri, *vt triticum seminasse videantur, &c. Hæc est via mulieris illius adulteræ, quæ cum deuorauerit, tergit os suum, & dicit non feci malum prouerb.30.* Luth.loc.cit.

Neque seruitutem istam exigunt à nobis prædicantes tunc tantùm;cum factum aut dictum Lutheri aut alicuius Lutherani specie recti & boni vtcunq; velatur & fucatur, sed & tunc, cum improbitas in propatulo est; oculisq; videri & manibus tangi potest. Quid enim sceleratius,quã quod Lutherus Imperatorẽ Carolũ V.& alios principes, qui Lutheri conatibus aduersabãtur, disertè nominat, *miseros & fascinatos principes, tanquã pestes & alastoras, improuidos duces, tyrãnos, vecordes, deliros, fatuos, mẽte captos, quos Turca solertia, cõsilio, integritate, moderatione lõgè antecellit.* Et tamẽ prędicãtes imperant nobis, vt hęc tã inaudita, & planè stygia cõuicia non adscribamus furori & amẽtiæ; sed ardoris diuini vehemẽtiæ. *Nos verò Christiani*, inqt Lutherus, *qui nõ tantũ victualia, sed etiã Angelos & mundũ sumus iudicaturi, & iam de facto iudicamus, istã tyrannidẽ amphibolistarũ* (p̃dicantium) *nõ solum non ferimus, sed cõtrà opponimus libertatẽ duplicis condẽnationis, prima est; vt omnia Erasmi* (Lutheri, p̃dicãtium) *ambiguè dicta damnemus, & cõtra ipsum accipiamus: sicut Christus dicit: ex ore tuo iudico te serue nequã. Item. Ex verbis tuis condẽnaberis. Quare.n.locutus es contra animã tuam? sanguis tuus sit super caput tuum. Secunda, vt glossas eius* (Lutheri & Lutheristarũ) *& interpretationes commodas bis damnemus & maledicamus, vt quibus non solum non corrigit impiè dicta, sed etiam defendit, hoc est, duplo nos magis ridet interpretando, quàm fecit loquendo;* p̃inde quidquid prædicãtes aut sui aut Lutheri sui purgãdi gratia

Luth. contra duo edicta Cæsaris.

Luth. in Iud. de Erasmo.

Luth. in Iud. de Erasmo. gratia proferant; dicendum est, tam Luthero; quàm cuiuis huiusmodi patrono: *Disce de maiestate loqui reuerentius; Moriones quidem aliquando principes alloquutur irreuerentius aut stultius, nec tamen semper impunè. Quod si faceret aliquis alius sano iudicio & studio, fortè plecteretur capite, tanquam læsæ maiestatis reus.* Ita Lutherus.

Ex quo, perspicuè sequitur, (vt hoc obiter annotem) Lutherum, quando tam *irreuerenter*, petulanter & impudenter principes allocutus est, aut *Morionem* fuisse; aut si sano & integro cerebro erat, læsæ maiestatis crimen incurrisse. Eligant Lutherani, quodcunque volent. Datur optio. Hactenus de primario vsu, fine & sensu huius numismatis; quem si negent prædicantes; *non credam sed dicam illud Chrysippi sophisma*, inquit Lutherus, *si mentiris, etiam quod verum dicis, mentiris.*

Accedamus ad sensum mysticum & allegoricum; quē cum considero, mirificè nummus placet. Placet & quidē totus ab ea parte; qua meretricem Babylonicam septicipiti bestiæ insidentem expressam repræsentat: hæc enim meretrix & bestia; est ipsissima hæresis Lutherana; vt postea planum fiet. Ex altera parte spectatur clausus, & quidem bene clausus liber, qui sine dubio biblia designat. Valdè laudo, quod clausum effinxerunt. Verè enim bibliorum codex prædicantibus clausus est: verè scriptura clausa; quia cæci sunt, & duces cæcorum quibus omnia clausa; etiam illa, quæ alioquin aperta sunt.

Isaiæ, 29. Ad prædicantes pertinet illud vaticinium. *Miscuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros, prophetas & principes vestros; qui vident visiones, operiet. Et erit vobis visiou omnium sicut verba libri signati; quem cum dederint scienti litteras, dicent: lege istum: & respondebit: non possum, signatus est enim.* Hac pœna verè percussi sunt prædicantes; quibus visio,

hoc

hoc est, legitima intelligentia, & interpretatio sacrarum litterarum, permissu Dei, operta est; liberque scripturæ signatus: Ea tamen cæcitate vel potius stultitia laborant; vt etiam illa, quæ non vident, videre se existiment; librũque signatum legere; & quidem intelligenter; tenent: nec quærant, qui signacula eius soluat; vt fecit ille in Apocalypsi, cum in *dextra sedentis super thronum* librum signatum conspexisset. Quis autem potis soluere clausuras libri signati, nisi ille, quem Christus Ecclesiæ promisit; spiritus veritatis; *sanctus & verus, qui habet clauem David; qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit*, quo duce & doctore cũ hęretici destituti sint; fieri non potest, vt clausum illum librum aperiant, quidque complectatur, intelligant; quia, vt rectè dicit S. Athanasius Sinaita, οὔδε τὴν γραφὴν, οὔδε τοὺς τῶν πατέρων λόγους δυνήσεται ἄνθρωπος ἀπταίστως καὶ ἀπλανῶς καταλαβεῖν, ἐὰν μὴ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τὸ λαλῆσαν ἐν αὐτοῖς ἔνοικον καὶ ὁδηγὸν κτήσηται. *Neque scripturam, neque patrum scripta potest vllus homo absque lapsu & errore intelligere; nisi quis habeat spiritum sanctum*; qui in ipsis locutus est, incolam & ducem. A quo indigena immane quantũ absint sectarij.

Apocal. 5. — Apocal. 3. — Anast. in suo Hodego cõtra Seuerianos.

At dicunt ipsi; se librum istum planissimè legere & intelligere; verumque & genuinum sensum promere; & ex intimis libri istius visceribus eruere; neque quidquam se de suo proferre. πρὸς οὓς κἀγὼ ἐρῶ, inquit S. Anastasius ὅτι καὶ πάντες οἱ αἱρετικοὶ τοῦτο αὐτὸ λέγουσιν. *Quibus & ego respondeo; hoc ipsum omnes hæreticos dicere.* An ideo verum est? *Multa ad comprobandum furorem suum ex scripturis proferunt* (sectarij) inquit S. Cyrillus, *vt simpliciores ipsorum auctoritate seducant*. Imò, *probè facerent hæretici*; ait ille idem sanctus pater, *si vndique studerent verum scripturarum sensum venari, nec ad voluntatem suam omnia vertere, atque inde falsas ratiocinationes connectere.*

S. Cyrill. lib. 3. Thesau. c. 2. Idem. lib. 2. Thes.

Verum hæretici non essent; si húnc in modum agerent; quos ab hac amabili insania, qua sese oblectant, nulla ratio aut oratio auertere valet. *Si mutare potest Æthiops pellem suam,* inquit Hieremias *Propheta, aut pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum. Mentem sanè aduersariorum à pardo nihil differre, opinor,* inquit S. Cyrillus; *pardus enim variis notis & omnigenis coloribus interstincto tergo est: illi verò inæqualem & non cohærentem animum habent, & sermonem, quem in cordibus tenent, sursum mittunt. Sagitta enim vulnerans si lingua eius est, vt scriptura dicit, dolosa verba oris eorum, pròximo suo loquitur pacifica, & intra se gerit inimicicias, &c. Quod autem in hanc stoliditatem peruenire soliti sint, nihil aliud in causa esse dixerim, quam hoc, quod valde arrogantes sunt; ac putãt, quòd possint sapere & loqui abstrusius quiddã quàm alij, adornareq́ verborum pugnas, vnde videantur in bonis actibus enutriti esse, & posse suarum cogitationum versutiis in omnia validè trahere eos, qui simpliciter viuere voluerint, dum arundineum quodammodo suis animabus subdunt baculum mundanam sapientiam, & adulterinorum sensuũ paleas colligunt, &c.* qui rectè verbis illis Domini ad oram numismatis adscriptis, ipsimet monẽt, vt cauelãtur; *Attendite à falsis prophetis, qui veniũt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Quid est vestitus ouium? &c.* quærit Vincentius, *nisi prophetarum & Apostolorum proloquia, quæ iidem ouili quodam sinceritate agno illi immaculato, qui tollit peccatum mundi, tanquam vellere quodam texuerunt? Qui sunt lupi rapaces, nisi sensus hæreticorũ feri & rabidi, qui caulas, Ecclesiæ semper infestant, & gregẽ Christi, quaqua possunt, dilacerant.*

Hier. 13.

S. Cyrill. Dialog. 2. de Trin.

Matth. 7.

Vincent. contra Hær. c. 36.

Libro clauso insistit gladius ἀμφίστομος & splendens, cuius manubrium nescio quæ Lutherana manus tenet. Gladius symbolum est dissensionis non modò illius, quæ vi armisq; rem gerit; sed & illius, quę in opinionum sententiarumq;-

tiarúmq; verietate & discrepantia consistit: *non veni pacem mittere, aiebat Dominus, sed gladium, veni enim separare hominẽ aduersus patrem suum, &c.* Vbi *gladij* vocabulo iudiciorum diuersitas, mentiumq; distractio significatur. Benè ergo & conuenienter libro suo clauso & signato addiderunt isti dissensionis gladium. Nam ex bibliorum codice prædicantibus clauso, hoc est, non intellecto, quid aliud nascitur, quam dissensio, & quidem irreconciliabilis; nec inter extraneos; sed inter illos ipsos, qui librum illum clausum signatumque tractant & versant; inter illos, inquam, qui se *fratres charißimos*, & *Symmystas fidißimos*, & in eadem vinea *operarios indefessos* appellitant: exemplis recentibus omnia abundant. Quid initio Lutherani Euangelij coniunctius erat Luthero & Carlstadio? Librum istum clausum pariter & concorditer terebant, idque eo fine, vt catholicam Religionem obtererent. Sed quia concordia hæc malè coierat; nitebaturque libro clauso & non intellecto; subitò dissoluta & in implacabile odium conuersa est; ita vt ille, qui olim Archidiaconus Wittebergensis fuerat; solum vertere debuerit; infinitis conuiciis à Luthero laceratus; & inter cætera hoc itidem elogio ornatus: *Res & verba Philippus: verba sine re Erasmus. Res sine verbis Lutherus: nec rem, nec verba Carolstadius.* De quo Philippus quoque hæc. *Homo ferus, sine ingenio sine doctrina, sine sensu communi, quem nullum vnquam humanitatis officium aut intelligere, aut facere animaduertimus: tantum abest, vt in eo significatio aliqua spiritus sancti animaduersa sit, imò exstant manifesta signa impietatis.*

Luth. serm. epular. tit. de doctis Philip. Epist. ad Frid. Miconium.

Ex hoc libro clauso, tanquam ex seminario exstiterũt quoque perpetuæ illæ dissensiones, quæ Lutheranismũ ab anno Domini 1520. vsque ad præsentem 1603. exercuerunt, & in varias sectas distraxerunt; quas omnes perse-

qui, infiniti propemodum operis foret: adeo in immentum excreuerunt, & indies excrescunt, & futuris quoque temporibus excrescent, quamdiù codicem istum bibliorum seducti isti & seductores clausum retinuerint; hoc est, quamdiu veram eius intelligentiam assecuti non fuerint; quam in sempiternum nunquam assequentur, nisi ad catholicæ Ecclesiæ scholam reuertantur.

Et certè tanta vis disiungendorum animorum in hoc libro clauso inest; vt etiam arctissimum illum amicitiæ nodum, quo Lutherus & Philippus colligabantur, dissoluerit, vel potius disruperit; Philippo ad sacramentariorum castra transgresso; Luthero autem sua in sententia obstinatissimè perdurante; mentiuntur enim prædicantes, qui scribere audent, *de præcipuis doctrinæ capitibus inter Lutherum & Philippum dissensionem nullam fuisse*, Mendacij redarguuntur ab ipso Smidelino & superattedente Schlusselburgio, qui ingenuè fatentur, præsertim Schlusselburgius; Philippum de præsentia corporis Christi in Eucharistia non cum Luthero, sed cum Zvvinglianis & Caluinianis sensisse; & Lutherum dissidium hoc tolerasse, & suppressisse, maioris offensionis & seditionis vitandæ causa. *Quando venitur ad locum de cœna Domini, de libero arbitrio, de iustificatione hominis peccatoris coram Deo, de interimisticis actionibus*, da lobe dich der Teuffel Philippe/ich nimmermehr/aiebat Ioachimus Morlinus Lutheranus prædicans; *laudet te Philippe, diabolus, non ego.*

VVitteb. in actis Synodicis. sub finem libri. Smid. in Synops. orat. Grynæi. Schlusselb. libro 2. de Theolog. Caluinist. pag 95. & seqq. Ita refert Schlusselb.

In hac ergo teterrimarum dissensionum densissima caligine circumuolitantes vespertiliones hæretici Lutherus cum suis, Carlstadius, Zvvinglius, cum suis, Oecolampadius: Islebius, Flaccius cum Flaccianis; Philippus cum Philippistis; Brentius vbiquista cum Brentianis vbiquistis, Maior cum Maioristis; Adiaphoristæ cum Adiaphoristis

phoristis, Stancarus cum Stancaristis, Osiander cum Osiandristis; alij cum aliis, in istum dissensionis mucronem fortiter impingunt; ita vt multis non tantum capitis tegumenta, sed & ipsa capita decutiantur; aut si clementius accipiantur, faciem & corpus totum saucij aut decidunt, aut abeunt, eo modo, quo id nummi species spectatoribus non malè repræsentat; quibus mulier illa septicipiti & *decicorni* bestiæ insidens, de poculo aureo, quod manibus gerit, medicum haustum præbet, vt post accepta vulnera vires reparent, & ad nouas dissensiones serendas, aut ad veteres fouendas denuo alacriter accingantur, bestięque & meretricis magnæ negotium strenuè & impigrè agant.

Tradit Plinius verspertilionē, *si ter circumlatus domui viuus per fenestram inuerso capite infigatur, amuletum esse, priuatimque ouilibus circumlatum toties, & pedibus suspensum sursum in superliminari.* Forsan idem & in his nostris vespertilionibus locum habet: Sunt enim eiusdem speciei, & quod inde sequitur, eiusdem efficaciæ, cuius alij. Sed finio hanc mysticam nummi expositionem; eidemq; aliam adiungo; sed à nobis, non ab hæreticis stantem. *Plin. lib. 29. cap. 4.*

Nam libro & gladio ancipiti & flammeo rectissimè exprimitur verbum Dei, quod est, teste Apostolo, *gladius spiritus*; imò, *penetrabilius omni gladio ancipiti, pertingens vsq; ad diuisionem animæ & spiritus, compagum quoque ac medullarū.* Verbum hoc *gladius* ille est, *vtraque parte acutus*, qui exit ex *ore eius*; quem Ioannes in *medio septem candelabrorum aureorum vidit, similem filio hominis, vestitum podere, & præcinctum ad mammillas zona aurea, &c.* *Ephes. 6. Hebr. 4.*

Est autem gladius iste flammeus; quia *ignitum eloquium tuum Domine*, canit beatus Dauid. Capulum item habet hic gladius; quo firmiter apprehendi, manu retineri, vi-

 brari,

brari, & in hostes stringi possit; cum nihil aliud esse dixerim, quam Ecclesiasticæ intelligentiæ certam indubitatamque auctoritatem, cuius ductus neque fallit, neque fallitur.

Ad huius fulgorem aduolantes lucifugæ aues, vlulæ, nycticoraces, noctuæ, vespertiliones; verissimi hæreticorum typi, opprimuntur à claritate & maiestate; quam ferre hac tanta oculorum imbecillitate nequeunt, quippe non lucis sed tenebrarum; non diei sed noctis filij. Anne gladius iste hæreticis competit? negauit id iam pridē antiquissimus & doctissimus Tertullianus. Et rectè quidem. Non enim sacram scripturam habent hæretici; sed quandam suam; quam quæuis hæresis arbitatru suo cudit.

Tertull. de præscript. cap. 51.

Pulchrè de Apelle Hæretico Tertullianus. *Solo vtitur Apostolo, sed Marcionis.* Sic Lutherani & Zvvingliani vtunt̄ scriptura, sed Lutheri & Zvvinglij; non nostra & diuina; *Quommodo enim eadem,* inquit Saluianus Presbyter, *quæ ab auditoribus quondam malis & malè sunt interpolata & malè tradita, ac per hoc iam non eadem, quia non possunt penitus dici ipsa, quæ sūt in aliqua sui parte vitiata;* siue quo ad verba, siue quo ad sensum; neq; enim in solis verbis ratio scripturæ consistit; sed in verbis simul & vero legitimoq; verborum sensu; quem cum hæretici à verbis separent eandem nobiscum scripturam minimè habent; vt maximè à verbis omnis fraus & impostura in hęreticorum bibliis abesset; quæ tamen nunquam abest, siue latinas, siue vernaculas illorum versiones inspicias.

Multò adhuc minus competit illis gladius iste, vt est ἀμφίστομος, seu anceps, siue, vt Ioannes in Apocalypsi loquitur, *ex vtraq; parte acutus.* Alteram enim huius gladij scindentem partem, & quidem admodum penetrabilem,

lem, tollunt hæretici. Quæ est ista pars? Verbũ Dei non scriptum, siue traditiones, quæ vel solo nomine Prædicantes enecant; quibus admissis, tam excordes non sunt, vt non intelligant se perditos esse.

Accedit, quod gladius, quem sectarij iactant, manubrio, hoc est, certa & indubitata intelligentia caret; *vnusquisq; enim suo arbitrio modulatur, quæ accepit, quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille, quid tradidit*, vt verè & scitè ait Tertullianus. *Christi vero Ecclesia*, inquit Vincentius, *sedula & cauta depositorum apud se dogmatum custos nihil in iis vnquam permutat, nihil minuit, nihil addit; non amputat necessaria, non apponit superflua, non amitsit sua, non vsurpat aliena, sed omni industria hoc vnum studet, vt vetera fideliter, sapienterq; tractando, si qua sunt illa antiquitus informata & inchoata, accurret & poliat; si qua iam expressa & enucleata, consolidet, firmet; si qua iam confirmata & definita, custodiat.* Ergo circa hunc gladium ἀμφίστομον circumuolitant, vt vides in effigie numismatis; vespertiliones, hæretici; qui *nunc quâ ventus impulerit, incitato errore rapiuntur: nunc in semetipsos reuersi, tanquam contrarij fluctus, reliduntur: nunc temeraria præsumptione ea, quæ incerta videntur, approbant: nunc irrationali metu, etiam quæ certa sunt, expauescunt: incerti quâ eant, quâ redeant: quid appetant, quid fugiant, quid teneant, quid dimittãt.* A quibus meritò absterremur & auocamur illa Epigraphe: *Attendite à fallis Prophetis*; imò non tantum attendite; sed & ancipiti gladio spiritus, quod est Verbum Dei scriptum & non scriptum, repellite & conficite: nec ipsos duntaxat; sed & mulierem illam septicipiti & *decicorni* bestiæ insidentem, quæ est ipsissima Lutheri hæresis; poculum aureum, id est, simulatũ Dei verbum, manu ostentans, plenum abominatione & immundicia fornicationis eius; *Babylon* seu confusio *magna, mater fornicationum & abo-*

Vincent. qua Hæres. ca. 32.

& abominationum terræ. Iungit enim Monachos & sacerdotes monialibus; aliisq; pellicibus, & elata voce clamitat. *Agamus* seu *cælebs* ὅλως θεόμαχε͂ *pugnat cum Deo*, καὶ ἀδυνατατηρε͂, *& impossibilia seruat.*

Luther Epist. ad VVolff. Reissenbusch.

Hęc nimirum est mulier illa *ebria de sanguine Sanctorum, & de sanguine Martyrum* IESV. Quot enim Lutherana hæresis in Gallia, Anglia, Belgio crudelissimè trucidauit? Lutherana inquam hæresis; ex hac enim tanquam ex genitrice sua prodiit Caluiniana; quæ vt pia filia; omnia sua κατορθώματα, vel potius latrocinia & homicidia matri suæ in acceptis refert.

Bestia, qua mulier hæc inuehitur, est ipsemet Lutherus, quem iam dudum septicipitē nobis depinxit Cochlæus. De qua bestia, si loqui ingrediar, finem nullum inueniam. Paucis omnia dicam. Bestia fuit Lutherus voce & vita; Testantur id scripta eius tam *bestialia & bruta*, vt mirandum sit reperiri vllum mortalium, qui Luthero vlla in re fidem habeat, si vel solos symposiacos illius sermones legat; vt hos solum exempli gratia ex omnibus sordidissimis & inquinatissimis Lutheri scriptis nominem. Sed bene habet. *Bestia, quam vidisti fuit, & nō est, & ascensura est de abysso* (ad generale iudicium) *& in interitum ibit*: (Audiet enim illam vocem: *discedite à me maledicti in ignem æternum*) *& mirabuntur inhabitantes terram* (Lutherani) *quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ à constitutione mundi, videntes bestiam, quæ erat, & non est.*

Matth. 25.

Hæc tamen bestia, etsi in se amplius non est, viuit tamen adhuc in libris, quos gladius verbi diuini scripti & non scripti iugulet necesse est, iugulabitq;, non secus ac olim libros Arij, Eunomij, Nestorianorum & Eutychianorum: vt enim omnium par est impietas; ita & par ratio exitij. Non modo olim meretricibus inter se contenden-


tibus

tibus strinxit Salomon gladium, tanquam Iudex, sed & nunc eundem vsurpat scortis hæreticis inter se & nobiscum de filio, hoc est, de legitimo scripturæ sensu, disceptantibus & digladiantibus. Vident ergo hæretici ex altera nummi parte, vbi meretrix & bestia effigiata; non Romam aut Romanam Ecclesiam, sed hæresin suam effigiatam esse: ex altera verò parte nihil, quod ad ipsos spectet, reperiunt, præter vespertiliones; hoc est, præter seipsos, quibus ista indoles, *vt ignorantia scientiæ & caligo serenitatis; & tenebræ luminis appellatione fucentur.* Hæc de nummo primo. *Vincent. c. 26.*



F COM-

COMMENTARIOLVS ALTER IN NVMISMA ARGENTEVM, DE HVSSO, LVTHERO, Rabo, sub specie Anseris, Cycni, Corui, nuper ab hæreticis cusum & sparsum.







Theod. hist. relig. in Simeone.
Iustin. Nouell. 105.

NON iniuria hic quæres; *cuius est hæc imago & superscriptio?* Certe non Cæsaris; multo minus Dei. Non Angeli; non Stellæ, non Leonis, non Ouis, non Cyathi, quibus olim numismata insigniebantur, sed *Anseris, Cycni, Corui.* Anser Hussus est, vt aiunt. Cycnus, Lutherus; Coruus, Rabus ille; qui nuper ex eodem ordine profugit, ex quo olim Lutherus, ruptis pudicitiæ, conscientiæ, frontisq; repagulis. Pinguntur simul; vt ostendatur, tantam inter istos tres esse dogmatum & opinionum conuenientiam, quanta est in ansere, Cycno & Coruo naturarũ & actionũ. An non enim anser, cycnus, Coruꝰ, natura, cantu, colore, cęterisq; adiunctis seu accidẽtibus egregie cõueniunt & concinũt? Quid cõsonãtius, quod ad cantum attinet, ansere & cycno? quid cycno & coruo? Quid coruo & ansere?

Vide Paral-

Mirificè sibi de hoc assato ansere blandiuntur Lutherani;

tani; cum tamen certum sit, Hussitas, Anseris posteros Lutheranos, habere pro hæreticis; nec in alia tribu, quam Hæreticorum, ipsemet Hussus Lutheranos collocaret, si adhuc in his terris degeret. Et quidem num verum sit, quod vulgus refert, Hussum anserem, de Luthero cycno vaticinium edidisse; item num vero congruat quòd ferunt, Hussum ipso supplicij die dixisse orthodoxis: *Post centum annos respōdebitis Deo & mihi*, (quę verba Bohemi post in moneta quadam ad effigiem Ioannis Hussi excudisse dicuntur) accuratius non disquiram. Noui quàm procliue sit, apud Hæreticos præsertim, oracula fingere, & ficta imperitæ multitudini diuendere; quasi Hæreticus nō sit Hęreticus, si quis Hęreticus siue Dei, siue Dęmonis instinctu, aliqd de illo prędicat, aut pręsētiat.

Icla doctrinæ Lutheri & Hussi edita à D. Pistorio.

Illud miror; quî factum, quod Lutherus, initio sui Euangelij anserem istum Bohemicum non præsentia tantùm, sed & futura canentem, nullo modo agnoscere voluerit. Nam cum in Disputatione Lipsica clarissimus Doctor Eckius Luthero studium factionis Hussiticæ seu Bohemicæ obiecisset; impatientissimè id tulit; *Primum*, aiebat, *diluam contumeliam; Quod me egregius Dominus Doctor insimulat Bohemicæ factionis studiosum, & planè patronum, parcat ei Dominus, præsertim in tanta corona tantorum virorum. Nunquā mihi placuit, nec in æternum placebit, quodcunque Schisma. Iniquè faciunt Bohemi, quod se auctoritate propria separant à nostra vnitate, etiamsi ius diuinum pro eis staret; cum supremum ius diuinum sit charitas & vnitas spiritus.*

Alibi grauissimè conqueritur, quod ab aduersariis suis *Bohemus*, parentibusque Boëmis natus esse diceretur, rogatusq; à Spalatino, *cur in quibusdam Thesibus venerationem Sanctorum pro corporalibus necessitatibus; velut superstitiosam, iudicauerit*, respondit: *mi Spalatine*,

Tom. 1. Epist. 139. Epist. 83.

non fuit mens mea vnquam venerationem Sanctorũ esse superstitiosam, neque inuocationes eorundem pro caussis vel corporalissimis. Hoc enim sapiunt Haretici illi vicini nostri Pighardi in Bohemia. Ecce, quàm sollicitè à se amolitur suspicionem, ne quid cum Ansere illo Bohemico Husso eiusq; posteris ansereulis commune habere videatur.

At audiamus iam quis sit anseris huius cantus. Et quia totus audiri nequit, tædij vitandi gratia, audiamus partem: & quidem hanc, quæ se primò offert. *Condemnatio quadraginta quinq; articulorum Ioannis VViclepb per Doctores facta, est irrationabilis, & iniqua, & male facta, & ficta est caussa per eos allegata, videlicet ex eo, quod nullus eorum sit catholicus, sed quilibet eorum aut est Hæreticus, aut erroneus, aut scandalosus.* En cantum; nam inter Articulos VViclephi laudatos & probatos ab Husso, continentur sequentes. *Deus debet obedire diabolo. Omnia de necessitate absoluta eueniunt. Nullus est Dominus ciuilis, nullus est prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali. Iuramenta illicita sunt, quæ fiunt ad roborandum humanos contactus & commercia ciuilia.* Ita cum VViclepho canit anser Boêmicus, imo cycnus quoq; Islebicus; is enim palam profitetur non *aliquot* vel *aliquos*, vt olim senserat, sed omnes articulos Hussi constantiæ damnatos, esse *Euangelicos, verissimos* & *Christianissimos*; Ex quo necessario sequitur, à Luthero prædictos quoque atriculos approbatos fuisse, cum approbauerit omnes articulos Ioannis Hussi, quorum vnus omnium VViclephicorum articulorum patrocinium & defensionem suscipit.

Vide Concil. Constant. sess. 15.

Et quamuis alioquin Anser & cycnus cantu non consonent, ob diuersitatem naturarum, hic tamen, vt & alibi sæpius, consonant; quod non fit ob similitudinem speciei, sed ob æmulationum imitandi. Quemadmodum enim Sturni ea sunt docilitate, vt miluos, picas, gallos gallinaceos,

naceos, gallinas, coruos, & alias aues voce imitentur; licet proprio suo cantu ab omnibus dissentiant; ita & cycnus noster Saxonicus tam sagax & solers fuit, vt voce sua Anserem perfectè referre, & ad viuum exprimere posset. *Quis* docuit? dicam cum poëta. *Magister artis, ingeniq; largitor venter.* Is nimirum, qui *expediuit psitaco suum* χαῖρε, *picasq; docuit nostra verba conari.*

Quid quod contentione imitandi cycnus noster eò vsq; processit, vt cantui suo prorsus dissentanea, & aduersantia caneret. Wiclephi enim articulus hic inter cæteros erat: *Christus non est in eodem sacramento* (altaris) *identice & realiter in propria præsentia corporali.* Hunc articulum Lutheranæ opinationis euersorem pronunciauit cycnus vvitebergensis *Euangelicum, verissimum & Christianissimum*, hoc ipso, quod omnes Hussi articulos, *Euangelicos verissimos & Christianissimos asseruit*: Nam Anser iste, etsi ipse etiam sibi contrarius, articulum habuit; quo omnes VViclephi articulos approbauit, vt antea diximus: quẽ cum cycnus suillus approbauit, per consequens etiam omnes VViclephi articulos *Euangelicos, verissimos & Christianissimos* esse sensit. Tam enim isti sunt velani, vt infinitis contradictionib' & antilogiis sese implicare minimè erubescant, dummodo furori suo satisfaciant. Quam autem Bohemicus anser Martius fuerit, quamque cantu suo arma ciere doctus, id heu cum multorum exitio didicit florentissima olim Bohemia; cuius tamen finibus pestis hæc se non continuit; Sed ex regno illo egressa in proximas quoq; prouincias incredibili damno irrupit: dumq; Hungaros, Germanosq; occupatos tenet, ferocissimæ Turcarum genti ad non pauca Christianorum regna aditum patefecit; quod & Saxonicus cycnus egregiè postea præstitit; ne Christianitatis exstirpandæ studio

Husso cessisse putaretur, ac proinde non iniuria dignus censeri potest, in cuius honorem, quotannis anser publica in pompa circumferatur, non vt olim apud Romanos vesti stragulæ mollissimè incubans ob seruatum videlicet à Gallorum incursu Capitolium; sed cruci affixus ob tot cruce digna commissa piacula.

Verumenimuerò diutius cum Ansere, vel si mauis, vulpansere, morari non licet. A cycno vocor. At quis ille Cycnus? Lutherus. Quis nominis huius honorem Luthero tribuit? Hussus. Quib⁹ testibus? prædicãtibus. Nõ igitur de hoc dubitare fas est, cũ prædicãtes omniũ mortaliũ veracissimi, scilicet, prędicẽt quos, vt inqt clarissim⁹ Doctor Pistorius, *non pudet ad magis inflandã vanitatẽ mentiri Prophetiã, tanquã si ex ore morituri Hussi suscepta fuisset: assari tũ anserem, sed venturum centum decursis annis cycnum, quem melius cantantem nemo sit assaturus. Id enim vbi est? in quo auctore, libro, folio, in quo delirio, somnio, furore? Tamen dic testimoniũ vel confitere pudendam esse fabulam: & vt Epistolam sancti Vdalrici, & suffragia alia ad tegendam societatis nuditatem, tanquã ficus folia, fabricarunt, sic finxisse prophetiam istam thrasones magistros tuos: cum in sancto Dauide haberent prophetiam veriorem, vbi vaticinatus Propheta maximus, non cycnũ, sed aprum vel suem de sylua, exterminatorem vineæ Dei nuncupauit Lutherum, & singularem ferum Caluinum: quæ & verior, & spiritus sancti est Prophetia: propiusq; conuenit in Lutherum, qui in sylua Hercinia, vbi non cycni, sed apri nascuntur, editus in lucem, & profusus in mũdum fuit: & vt aper vastauit, vt sus sordidauit omnia, & vt originis atq; naturæ memoriam testimoniumq; relinqueret, semper stercora tũ in ore & calamo cõtinuit, tũ magnis frustis vomuit in aërẽ & libros, vt ostenderet non cycni, sed apri & suis ad se naturam attinere, perfecteq; compleri spiritus sancti vaticinationem.* Hæc verissimè D. Pistorius.

D. Pist. Epist. 3. ad Pappum.

Psal. 79.

Illenè

Illene cycnus sit, qui non modò plenus est cacodæmone, sed & *Cacodæmone*? cuius canor nihil aliud est; quam pedor, fætor, stercus, oletum, latrina; lupanar, hara; & id genus alia Islebica aromata; cuius comparatione veteres Hæretici, à cæno nomẽ sortiti, Borboriani seu Borboritæ, (Latini quidam *stercoranistas* appellant) propemodum sunt Cathari seu mundi. Itaq; si auem Lutheri signum Hieroglyphicũ, Lutherani pingere, fingere, sculpere, scalpere, tũdere aut cudere volebãt; vpupã, suo in nido, nitida illa in aula sese iactantem, effigiare debebant. Hæc enim Lutheri vera & germana forma est.

Vide tres spiritus Lutheri Editos à Doct. Pistorio. Item Castum, Cycneum & Mundum Lutherũ M. Andr. Conradi.

Sæpè mirari subiit, cur Propheta iste & tertius Helias semper vomat stercora, iisq; os, manus, calamũ, chartam, mensam, suggestum tam Scholasticum, quam Ecclesiasticum conspurcet. Tandẽ, nisi fallor, causam reperi. Laborauit Lutherus dura aluo, quodq; infernè egerere non poterat; hoc eructauit supernè. Testem tibi huius rei alium non do; quam ipsum Lutherum, qui de hoc suo morbo sæpius conqueritur in Epistolis ad amicos, præsertim ad suum Spalatinum. *Durities digestionis meæ, vt video* inquit Lutherus, *perpetua erit; semper lenienda remediis. Quarto, imò quinto ferè die semel secessum habeo. Mirabilis stomachus.* Et ad suum Philippum, quem Titulo *Euangelistæ VVitebergensis* condecorat. *Dominus percussit me in posteriora graui dolore. Tam dura sunt excrementa, vt multa vi vsq; ad sudorem extrudere cogar, & quo diutius differo, magis durescunt. Heri quarto die excreui semel; vnde nec tota nocte dormiui: nec adhuc pacem habeo.* En quam seria tractet Turpinus VVitebergensis in suis Epistolis, argumenta. Ergo quod Lutherus non poterat gutture inferiore, hoc abundantissimè præstitit superiore, sordesq; sordidissimas sine more, modoq;, nullo planè nisu exspuit & eiectauit, maxima oris laxitate.

Luth. Tom. 1. Epist. 240.

Epist. 226.

Fertur

Fertur quidem Lutherus Islebij natus. At si de loco vrbis coniectare licet; equidem crediderim effusum in lucem, aut in porcili; aut saltem in foro suario; aut in Pilati prætorio; aut in prostibulo, aut in cacabo, adeo q.d. quid conabatur dicere, stercus erat, porcus erat: aut ex eodem censu simile quidpiam. Ita vt impudentissimus mortalium ausus fuerit ipsum quoq; religiosissimum & sanctissimum Saxoniæ principem Georgium appellare *Porcum Dresdensem*.

Luth. Epist. 229.

Verum quid non ausus est *Suarius* iste & *porcinarius* forisq; *Suarij tribunus*. Forte ad se pertinere arbitrabatur priuilegia, quæ in codice Iustinianeo & Theodosiano huic hominum generi concessa sunt. Comminiscuntur nunc prædicantes, quando insaniunt, nescio quos *Suitas*. *Suita* verus à sue, & Porcius à Porco est Lutherus: ipsi verissimi *Suitæ* & Porcij ab eodem sue & Porco; Et *Suitas* non illa Iurisconsultorum, sed alia ex hara exhalans, Luthero & prædicantibus quarto modo propria est; ne dicam omnino *essentialis*.

Lib. XI. cod. Iust. tit. 17. Vid. ibid. Cuiac.

In quadam Epistola ad Melanchthonem hac subscriptione vsus est Lutherus, μαρτῖνος ὁ σός. Puto aurifabrum, vt sæpissimè aliâs ita & hic in Græcarum dictionum editione hallucinatum esse. Longè enim aptius legetur: μαρτῖνος ὁ σῦς. Fuit quidam apud Lacedæmonios, cui nomen *Sus*. Eius frater est Lutherus. Itaque loco cycni, suem expressum Anserique oppositum oportuit.

An non enim suis potius, quàm cycni hæc cantio, quam porcus hic de suo porcello cecinit an grunniit? Pudet referre, pudebit & lectorē legere. Sed frontem meam expugnat inuerecunda frons hæreticorum, qui fœdissimum suem in candidissimum cycnum transformare moli-

moliuntur. Audiamus igitur acroama festiuissimum. *Salutabis tuum Dictatiue;* (adgrunnit sus Iustum Ionam suum, non enim dicere possum, *alloquitur*) *multis basiis, vice mea & Ioannelli mei* (porcelli) *qui hodiè didicit flexis poplitibus solus in omnem angulum cacare, imò cacauit verè in omnem angulum, miro negotio. Alioqui plura ad te mandasset, si otium illi fuisset; mox enim balneatus dormitum abiuit: mirari desines, quod de cacando scribo, aliâs scribã de aliis. Salutat te Ketha mea* (lucula) *& orare pro se iubet puerpera* (porcipara) *propediem futura.* Iudicium tuum appello, lector, num symphonia hæc cycni sic an porci. Nimium hebes sit & stolidus, qui porcum ex hoc cantu non agnoscat. Itaq; quod supra dicebam, loco cycni porcum in nummo expressum, anseriq; oppositum oportuit.

Luth. Epist. ad Ionam. Tom. 1. Epist.

At fortè existimabant parùm referre siue cycnum, siue porcum pingerent; quia apud Germanos Schwein & Schwan vix vna literula differunt, sicut apud Græcos corax & colax. Quod si ita sentiunt, mecum prope faciunt, & Ioue iudicant æquo; sed tamen monendus erat lector, olorem *Suis* locum subire, eò quòd Germanis olorem inter & suem, sit, vt Lucretius loqui solet, *paruissima differitas*; idq; eo consilio, ne in errorem induceretur, si cycni imaginem cycnum significare crederet; nam Lutherus cycnus non esset; sed porcus, licet in cycnea vrbe natus esset. Et si quando bona dicta dicit, (*nunquam enim à malo seiungitur prorsus bonum; quadam sed est horum inter se commixtio*, vt ait Euripides) tunc impletur illud Salomonis: *Circulus aureus in naribus* S v i s.

Cæterum ne rigidius æquo cum Luthero agere videamur, demus cycnum esse; sed cum naturâ non possit esse cycnus; oportet ut sit sola similitudine, & Metaphoricè: sicut vir fortis metaphoricè est Leo: vafer, vulpes;

timidus, lepus. Contingit autem hoc communione earundem vel similium proprietatum & affectionum: inter proprietates verò cycni hæc est laudatissima & decantatissima, quod sub ipsum mortis articulum suauissima & mellitissima melodia sibi quasi parentat. In hoc errore non modò conuenit cum vero cycno metaphoricus noster cycnus; sed & longissimo interuallo eum exsuperat. Nam à 17. Christi anno, vsq; 46. nihil aliud fecit; quam quod Germaniam iucundissima vocis suæ symphonia demulsit ac beauit: Verba enim *lasciuos meretricum imitantia cœtus* perpetuò *vibrauit*; perpetuò item *obscænos numeros pruriginis impleuit*, perpetuò *velut enthea Dæmone Mænas* insanijt, inq; omnes cuiuscunq; status & dignitatis furiosissima conuicia effudit; calumniasq; inauditas & planè Diabolicas texuit. Perpetuò *Cacus* iste, &, vt Erasmus appellat, *Cacangelicus* seu *Caceuangelicus* ea in ore, calamoq; habuit, chartisq; suis Volusianis illeuit; quæ honestæ aures nullo pacto ferunt. Et si aliquando ex improuiso ad aures accidant; frontem statim rubore tingunt.

Tradunt quoq; cycno candidas esse pennas, nigrasq; carnes. Eadem indoles Luthero. Quid candidius illo, quòd Lutherus toties inculcat; *Verbum Domini, Verbum Domini, viuat Christus, pereat Antichristus. Euangelium, Euangelium, Euangelium. Iam aures nobis istiusmodi vocibus occalluerunt*, inquit Erasmus. *Quid diuinius Luthero*, ait idem Erasmus, *si illi de se prædicanti crederemus. Vereor*, inquit idem alibi; *ne sub isto (Euangelij) nomine, multi nobis oriantur pagani, quò magis, etiam sint liberi, si nec cœlum credant esse, nec inferos, nec animos à morte corpori superesse. Et qui tales sunt, sub nulla vmbra tutius latere possunt, quàm sub istorum Euangelio. Docent purum & putum* Euangelion. *Quod nam? Vt per fidem ab vno Deo per vnum seruatorem & conciliatorem nostrum Iesum*

Erasm. Epist. de Eleuth.

Epist. ad frat. infer. Germ.

Episto. in Pseudoeuange.

Ad frat. inf. Germ.

Chri-

Christum omnis & iustitia & salus petatur. Quid his verbis religiosius? At quàtum in his latet veneni? Impium est inuocare Diuos aut colere, cum nihil possint apud Deum: Impium est orare Sacerdotes, vt in sacro Deum precentur pro ipsis. Sola fides iustificat; nec refert cuiusmodi sint opera. Nihil opus est operibus satisfactoriis; nam hoc est diffidere Christo, qui pro nobis dependit. In Purgatorio nulla est satisfactio per cruciatum; inutilis est confessio; nam hoc est iustitiam ab homine petere: Hæc omnia latent sub illis religiosissimis verbis, imò hæc & infinita alia, eaq; aterrima portéta celat Lutherus sub cādentibus Euangelij pennis. *Obiiciunt nobis Euangelion, Christum, Christi spiritum.* Sed nouum. *An non nouum adferunt Euangelium, qui secus interpretantur, quàm hactenus interpretata est Ecclesia? Anima scripturæ sententia est. Frustrà consentiunt in verbis, qui sensu dissident. Nec potest subsistere nouum, nisi subuerso vetere.*

Scribit Plinius cycno & Aquilæ à natura insitas inimicitias. *Dissident*, inquit, *olores & aquilæ*: Idem animus cycno Saxonico in Aquilam Romanam, hoc est, in Romanum imperium fuit; cuius principes iniuriosissimis criminationib⁹ & cōuiciis proscidit, & inter sese miserādū in modū commisit; & Aquilæ huius capita Carolū Cęsarē, & Ferdinādū Regē Turcico Tyrāno, quātū in se erat, obiecit. *An nō plerique apud Saxones*, inquit Erasmus, *negarunt Cæsari ac Regi Ferdinādo suppetias aduersus vim Turcarū, sequētes dogma Lutheri, cuius nunc ille palinodiā cecinit?* At vbi Erasme? Nā si seriò perditi dogmatis palinodiam cecinit, cur loca, quib⁹ aduersus Turcas pugnare dissuadet, ex tomis suis non expunxit? *Nonne voces hasce iactarunt Euangelici, se malle pugnare pro Turca non baptizato, quàm pro Turca baptizato? hac nota designantes Cæsarem.*

Plin. lib. 10. cap. 47.

Erasm. Epist. ad frat. inf. Germ.

Nonne cycnus iste Aquilam, hoc est, Imperium Romanum tumultibus & seditionibus impleuit? *An non seditio-*

Eras. loc. cit.

seditiosè rem gerit, inquit Erasmus; *qui tanta petulãtia debacchatur in Cæsarem, reges ac principes præpotentes? In Pontificem, Cardinales, & Episcopos. Sed quamobrem tantopere nunc horrent seditionis vocabulum, cum Lutherus scripserit eam esse peculiarem Euangelij naturam, mouere seditiones; celebreturq́; Zuuinglij dictum: Euangelium vult sanguinem. Et iste populus tam Euangelicus, etiam Turcorum principi dicitur detestabilis, quem ait seditioni natum. Quos subinde tumultus excitat? Quoties, quàm leuibus de caußis procurrũt ad arma? Nesuis quidem Ecclesiastis satis obtemperans, nisi dicãt blanda auribus; profligandi etiam si liberius in vitam illorum inuehantur, aut ab opinione dissentiant.*

Erasm. Epist. in pseudo Euang.

Sed aiunt: *cupimus Monarchis placere per omnia. Cur igitur quidam templa spoliant ab illis exstructa? Sed cum præcipiunt impia, contemnendi sunt inquiunt. Verùm impium erit, quidquid ipsis incommodum est. Morigerantur omnibus principibus, Episcopis & magistratibus, quatenus licet illæsa pietate; sed quidquid ab ipsis non traditur probaturuè, lædit pietatem. Adhorrent ab omni tumultu & seditione sic, vt non alius magis; verùm si nemo repugnet illorum instituto Nec illud absq́; risu legetur, quod aiunt, se neminem velle lædere, neminem cogere, à seditione longè, lateq́; abhorrere. Quid autem hoc est, neminem lædere? Hoccine est neminem lædere, canonicos depellere à collegiis, Monachos è Monasteriis, Abbates & Episcopos ditione spoliare, mouere ciues magistratu, virulentis libellis etiam in Regum, ac principum capita debacchari? Hæccine longè sateq́; discrepant à seditione? Neminem, inquiunt, occidimus. Nec piratæ quenquam occidunt, si nemo resistat. Hæc an nusquam fiant aliis relinquo iudicandum. Atroces certè multorum querimonias audimus quotidiè. Non est Euangelica virtus neminem lædere, qui te non lædat, sed immane scelus est lædere innocuum. At maleficium beneficio repensare, id demum est Euangelicum. Nos, inquiunt sinimus hostes nostros tutò in-*

Epist. ad frat. inf. Germ.

to inter nos viuere: An hoc vbiq; fiat dubito. Quos autem vocant hostes? omnes Catholicos. Quid magni faciunt? An non & ipsi quotidie veniunt ad alias vrbes vel animi gratia, vel negotiandi caussa? At idem non est tutum Ecclesiastis, hoc est, Prædicantibus. *Nec nostris Episcopis* (& Sacerdotibus) *tutum est apud ipsos versari. Quid si nulli læduntur, cur tam multi cesserunt è suis vrbibus? Cur apud Cæsarem querelarum plena sunt omnia?* Hæc & plura huius generis Erasmus in hæreticos, ab eorum instituto alioquin non valde auersus. Et tantum de cycno porcino dictum esto.

Coruum contemplemur. Quis ille? Aspice nummum, & cognosces. Rostro & vnguibus conculcat cruces, vexilla Ecclesiastica; infulas & baculos Episcopales; templa, triplicem coronam Pontificis, alia de genere eodem Ecclesiæ & Ecclesiasticorum ornamenta & insignia. Sed vereor, vt coruus iste in Saxonia materiam rostri sui & vnguium exercendorum inueniat. Iam enim veteres corui hunc nuperum anteuerterunt; hocq; labore sublevarunt. Itaq; ἐς κόρακας, ad reliquos suos gregales, qui furcas & canicidarum latibula circumuolitant, auolare non immeritò iubebitur.

At fortasse Catholicos hoc coruo copronymiano crucisq; inimico terrere cogitant; quasi futurum sit; vt ipse aduncis suis vnguibus & rostro euertat templa, cruces, infulas, altaria, imagines, & si quæ alia sunt Christianæ pietatis monumenta; ijs in locis, vbi necdum alijs coruis aditus patefactus est. Cæterum orthodoxi tam meticuloso pectore non sunt, vt quidquam formidinis ab isto coruo sibi incuti patiantur, siue pingatur, siue sculpatur, siue ære fundatur; siue alia specie oculis illorum obiiciatur. Quid enim est? Coruus est; ut paucis omnia complectar. Nam qui coruum nominat, is nihil faustum, ni-

hilq; mundum nominat; sed nec robustum & generosum, aut vi inuicta præditum. Vt tamen, mi lector, non in genere tantummodo hunc coruum; sed & in specie noris; moneo inprimis, vt perlegas, quæ de illo litteris mandauit & publicauit Theodorus Cycnæus, vitæ, quam coruus iste vixit, non ignarus; itemq; sequentem instructionem Pragæ missam ad eos, quos corui huius propius cognoscendi acre desiderium incesserat. Adscribam Germanicè, qua lingua Auctor vsus.

Gottfridt Rab verloffner Münch / ist von Lutherischen armen Leuthen im Landt Francken geboren / zu Wirtzburg erstlich ins Closter kommen / etliche Jar allda verbliben / hernach ohne Licentz entloffen / vnd gen München kommen. Zu München ist er Priester worden / hernach hat er mit einem Botten ein falsche Practic gemacht / ist wider gen Würtzburg kommen / abermals ein Zeitlang da bliben. Von Würtzburg ist er volgends entloffen / gen Onoltzbach kommen zum Margraffen / dienst begert / ist gen Heilßbron zu studieren geschickt worden (Nota. Diß Heylßbron ist ein Closter gewesen Ordinis Cisterciensis, jetzt ein Lutterisch Seminarium) daselbst hat er an statt deß studierens eines Prædicanten Tochter gebulet: Derwegen der Margraff vber jhn erzürnet / vnd in dem Bischoff vonn Würtzburg hat schicken wöllen. Da er aber so gar hoch darfür gebetten / hat man den Lecker lauffen lassen. Nach disem hat er sich zu Prag im Augustiner Closter eingestelt / ist allda inn gebürende Straff genommen worden / vnnd ein Zeitlang da gebliben. Volgends gen Wien kommen / alda er sich gar schendtlich mit vnzucht verhalten / offtermals die Kutten inn den Sack gesteckt / inn die Schottenaw geloffen / daß er erstlich die Frantzosen heßlich bekommen / dessen er alles vberflüssig mit den Leuthen / so jhne curiert, vnd jhme gewartet / auff den Nottfal zuvberweisen.

Als jhme geholffen worden / ist er gen München zogen / vnnd daselbst ein Zeitlang geprediget. Hernach ist er widerumb gen Prag kommen / vnd als er ein Zeitlang da gewesen Prediger worden / hat zwey Jar gepredigt / vnd ein Leben darneben geführt / daß ein Schand ist darvon zuschreiben / sonderlich soll er auch eines Trabanten Tochter an jhme gehabt / derselben ein Kind befohlen / hernach ein Cantzley Schreiber ins Spil gebracht haben / daß derselb Vatter seyn / vnd durch seyn Vnderhaltung mit zweintzig Talern sich deß Kinds vnnd der Mutter ledig machen müssen. Letztlich als der alte Prior gestorben / hat er sich vnderstanden Prior zuwerden / weil jhme aber ein anderer fürgezogen / sein jme auff seyn begeren Brieff nach Würtzburg gegeben worden / mit denen er aber deß Wegs verfelt / vnd sich nach Drösten begeben. Solle sich sonst an mehr Orten dermassen gehalten haben / daß er nicht mehr dahin darff. Das ist / so vil mir vonn dem schendlichen Gottfrid Raben bewust.

Vertam latine; vt & exteri naturam & genium huius corui inspiciant, simulq; admirentur Lutheranorum stultitiam, qui tali coruo tam perdito & carniuoro, tamque Caballino numisma dicant.

Godefridus Rabus (hoc est, coruus, Rab enim Germanis est coruus) *Monachus Apostata, natus est in Franconia parentibus Lutheranis & egenis. Herbipoli Monasterium* (Ordinis Eremitarum S. Augustini) *ingressus aliquot annos illic exegit: inde absq; superiorum facultate aufugiens, Monachium venit. Monachij Sacerdos factus; inita cum nuntio quodam falsa practica; seu cõspiratione fraudulenta, Herbipolim rediit, vbi etiam denuò aliquandiu mansit. Postea fugam arripiens Anspachium ad Marchionem venit; oblataq; sua opera Heilsbrunnum, studiorum gratia amandatus est.* (Fuit autem Heilsbrunnum olim Monasterium Ordinis Cistercienfis: Nunc Seminarium

Luthe-

Lutheranorum.) *Ibi loco studiorum Prædicantis cuiusdam filiam efflictim deperibat & deamabat. Quod indignè ferens Marchio, volebat eum Episcopo Herbipolensi tradere. Sed quia,ne id fieret,summis precibus contendebat,ideo nebulo discedere permissus est. Posthac monasterium Augustinianum Pragense adiit,vbi debitas pœnas persoluens, aliquanto tempore substitit. Inde Viennam venit: qua in vrbe turpissimam & obscenissimam vitam egit. Sæpè coniecta in sæccum cuculla, locum, qui Schottenavv appellatur petiit,ita vt ad extremum Gallicam luem turpiter contraheret. Quorum omnium perspicuè conuinci potest (si ita necessitas postulet) testimoniis illorum qui ei medicinam fecerunt & ministrarunt. Ab hac lue liberatus Monachium se cõtulit; & aliquandiu ibi concionatorem egit.*

Deinde rursus Pragam reuersus; & nonnullo tempore elapso concionator cõstitutus,duos annos cathedræ præfuit,eamq; vitam duxit,de qua turpe sit vel scribere; Præcipuè autem fertur Aulici cuiusdam Satrapæ filiæ adhæsisse; & ex ea infantem sustulisse, substituto deinceps suum in locum scriba quodam ex Cancellaria, quasi ipse infantis parens esset; qui 20. Taleris ab infante & matre sese liberare coactus est. Tandem mortuo antiquo Priore; Prioratum ambiit At spe sua falsus,electo altero; litteras Herbipolim versus, vt petierat, accepit; cum quibus à via aberrans Dresdam (ad Lutheranos) *venit. Pluribus aliis locis ita sese gessisse dicitur; vt redire non ausit. Hæc sunt, quæ de flagitioso Rabo seu coruo comperta habeo.* Hactenus litteræ Pragenses.

En talis est coruus, qui ad nidulum Lutheri *coapostata & confratris* sui auolauit. Dignus Euangelij Lutherani, hoc est, Apostatici, præco. Dignus cuius effigies in nummis sub specie corui circũferatur. Dignus sub cuius pedibus omnia sacra; præcipuè signum Crucis, abiecta & conculcata depingantur. Est enim *inimicus crucis*, cuius *finis, interitus, Deus, venter* : & *gloria in confusione. Quàm est eius pecca-*

torum

torum multiplex conscientia, quàm execrabilis vita; quàm turpis, vt etsi in Ecclesia essent, eiici tales de Ecclesia debuissent. Sed *sine magno molimine excutitur ab area, quod nullo pondere intra aream tenebatur.* Quod si hic coruus talis fuit in Ecclesia; qualis iam erit extra? Quibus morticinis non incubabit? Quam scelerum accessionem ad vetera non arbitrabimur factam; cum hæc sit Lutherani & Caluiniani Euangelij peculiaris indoles ex probis efficere improbos; ex castis, libidinosos; ex modestis, insolentissimos & impudentissimos. Quid futurum censebimus, si hoc Euangelium antea improbum, lasciuum & effrontem reperiat? 5. Cyer. Ep. 55. Vincent. c. 25.

Profer mihi, clamat Erasmus, *quem istud Euangelium ex comessatore sobrium, ex feroci mansuetum; ex rapaci, liberalem; ex maledico, benedicum: ex impudico reddiderit verecundum. Ego tibi multos ostendam, qui facti sunt seipsis deteriores. Nunquam illorum Ecclesias sum ingressus, sed aliquando vidi redeuntes à concione veluti malo spiritu afflatos, vultibus omnium iracundiam ac ferociam miram præ se ferentibus. Sic, opinor, discedunt milites à concione ducis ad prælium, & ad* θὄῥιον ἄλκιν *exhortati. Quis vnquam vidit in illorum concionibus quemquam pro peccatis suis fundentem lacrymas, tundentem pectus, aut ingemiscentem? Circumspice mihi Sodalitatem istam Euangelicam, quot habet adulteros, quot temulentos, quot aleatores, quot decoctores, quot aliis vitiis infames. Et hos quidam etiam habent in deliciis, tantum abest, vt vitent. Apostoli, quo magis vacarent Euangelio, aut abstinebant ab vxoribus, quas ducere tum licebat;* (ita censet Erasmus) *aut legitimè ductas vertebāt in sorores. Nunc floret Euangelium, quòd Sacerdotes & Monachi contra leges certè humanas, contra professionem suam ducunt vxores.* Erasm. Ep. in Pseudeuang.

Ego noui Monachum, inquit idem Erasmus, *qui pro vna duxerit tres. Noui sacrificum virum alioquin probum* (num Sacrilegus potest esse probus?) *qui duxerit vxorem, quam pòst* In Epist ad. frat. inf. Ger.

comperit alteri nupsisse. Similia permulta de Monachorum & Monacharum coniugiis referuntur, qui ductas repudiarint eodem iure, quo duxerant, &c. Iam vt donemus istis Euangelij præconibus esse fas vxores ducere, quis non iure admiretur ouiculas mactationi destinatas, nihil in hoc mundo quærentes præter Christi gloriam, tot curis districtos, tot afflictionibus obnoxios, quibus accedit & paupertas, onus tum miserum, tum graue, non posse viuere sine vxoribus, quas tam multi ob leuiores caussas aut non ducunt, aut ductas nollent. At istis omnis traægdia exit in Catastrophen comicam. Vbi contigit vxor, occinitur, valete & plaudite. Quæ malum est ista tanta Salacitas, quam tot mala non possunt excutere? Vnde tanta carnis rebellio in his, qui se iactant agi spiritu Christi? qui Christum & Euangelium habent in ore: Satanam in pectore; vt alibi dicit Erasmus. Egregius Euangelij profectus, si ex vna ciuitate eiectæ sunt imagines, vtinam eiicerentur animorum idola, quæ prodigiosiora video penes istos, qui iactant Euangelij titulum Olim amore Euangelij, qui habebant vxores, relinquebant vltro. Nunc floret Euangelium, si pauci ducant vxores bene dotatas, &c. Verum an vxore ducta protinus consultum est castitati? Quid si sacerdos, qui prius habebat concubinam, nunc habeat vxorem cum pellice? Ita de fructibus huius Euangelij Erasmus; qui & sequentia. Alicubi scio nusquam fuisse maiorem luxum, plus adulteriorum, quàm inter Euangelicos, sic enim appellari gaudent. Hoc nec ipsi negant Euangelici, &c. Nonnè Lutherus coactus est visitatores mittere, qui populum in omnem licentiam ruentem cohiberent? &c. Nónne idem suis ad me litteris deplorauit Melanchthon? Nónne idem in colloquio fassus est Oecolampadius? Ipse Capito noui Euangelij Episcopus, non habebat alias delicias, quibus se oblectaret, quam perditissimi decoctoris conuictum: Qui primùm inuexerunt mundo Euangelium, tales furciferos non dignati fuissent alloquio.

Eras. lib. 21. Epist.

Idem Erasmus alibi. Noui quendã, quem plus decẽ annis nõ

aliter

aliter atq; filium amaui, meque vicissim ille non secus ac parentem obseruabat; indole quam dixisses probitati natam. Simul atq; hausit Spiritum Euangelicum, præter omnem exspectationem cœpit esse bonus aleator, pernox chartarum lusor, non inelegans scortator. Cœpit discinctus gestare prælongum ensem, cogitare de matrimonio, postremò, verbulo læsus, ex tali amico, qualis esse videbatur, subitò mutatus est in viperam, vindictæ auidissimus; perinde quasi matrem ipsius ferro necassem. Ibid. *Quos antea noueram puros, candidos & fuci ignaros, vbi se sectæ dedidissent,* scio *loqui cœpisse de puellis, lusisse aleam, abiecisse preces, factos ad rem attentissimos, impatientissimos omnis iniuriæ, vindices, obtrectatores, vanos, viperinis moribus, & prorsus hominem exuisse.*

Quod si Euangelium Islebicum cycnos, hoc est, *candidos & sinceros* atro colore tingit; quid fiet si coruum aut Nycticoracem, hoc est, improbum & sceleratum, qualis Rabus, inueniat? Ex tetro sanè efficiet teterrimum; & ex teterrimo deteriorem teterrimo. Cogitet ergò lector, qualis nunc sit hic coruus. Si talem vitam duxit in Monasterio; qualem ducet in Lutheranismo? Si antea fuit tantus scortator, quantus nunc erit, postquam se addixit Euangelio, quod scortator in sinu scortatricis genuit? *Neminem* (Pseudoeuangelicum) *mihi adbuc contigit nosse*, inquit Erasmus, *qui non videatur seipso factus deterior. Hanc Doctrinam ferè leuissimus quisq; amplectitur.* Et tamen non pudet Lutheranos hunc coruum coruis dignissimum in argenteis numismatis effigiare, monstrumq; hominis totius mundi oculis subiicere. Vbi frons? Vbi pudor? Vbi vetus illa vitæ morumq; honestas & integritas? *Erasm. Epist. contra Pseudo-Euang.*

At fortè coruus iste turpitudinem vitæ & maculas ineluibiles, quibus se contaminauit, repensat egregia eruditione, multipliciq; doctrinæ varietate. Quid enim vetat esse sceleratum simul & excellenter litteris excul-

tum? Fallitur, quisquis ita sentit. Non modò indoctus est; sed propemodum stipes & truncus. Testantur id, qui desertorem norunt. Et vt his testibus careremus; euidenter id cognoscerem⁹ ex reuocatoria concione Witebergæ dicta: & ex eiusdem Apologia aduersus Theodorum Cycnum. Quid concione illa insulsius? quid stolidius? Quid stupidius?

Stuporem disce ex hoc vno. *Si beati*, inquit, *res nostras & miserias nossent; fieri non posset, quin cum dolentibus, dolerent; cum auxiis angerentur. Atqui omnis dolor & auxietas abest ab illa beata vita: Igitur neq; Beati res nostras norunt, & sic neque preces pro nobis ad Deum fundunt; nec nostras ad se fusas audiunt.* Brutum dicas non hominem. Vtinam hoc omni fatuitate abundantissimum argumentum in ipso coruino numissimate inscriptum circumferretur; vt eius stultitia pluribus patefieret. Et tamen stuporem hunc approbationis suæ stupore confirmauit Facultas (non enim cum Luthero dicam; *Vaccultas*, aut *Fecultas*) Theologica in Academia VVitebergensi. Sed hæc patella tali egebat operculo.

Simile acumen prodit Coruus cum sacerdotes catholicos impietatis, & quidem atrocissimæ, ea de caussa accusat; *quod dum Missam faciunt, hostiam frangant. Hoc*, inquit, *nihil aliud est, quam Christo intrepidè manus iniicere, eumq; quodammodo denuò crucifigere. Ethnici tam audaces non erant, vt Christo in cruce pendenti os confringerent; Et hoc ideo fiebat, ait S. Ioannes cap. 19. vt impleretur scriptura dicens Exod. 12. Os non comminuetis ex eo. At Papistæ audacißimè Christum in tres partes frangunt seu diuidunt.* Ecce qua inscitia imperitissimi isti Sycophantæ simplici vulgo illudant. Quasi vero fracta panis specie, frangatur ipsemet in se Christus. Vel vulgatus ille hymnus, qui Festo Corporis Christi canitur, *Lauda Sion*

da Sion Saluatorem,&c. rudiſſimam hanc Phantaſiam Apoſtatæ eripere poterat, & obſtare; quo minus tam clarum & euidens inſipientiæ ſuæ argumentum lectoribus præberet. *Fracto demùm Sacramento,* inquit S. Thomas Auctor illius hymni, ſeu vt vulgò vocāt, *Sequentiæ. Ne vacilles, ſed memento, tantum eſſe ſub fragmento, quantum toto tegitur. Nulla rei fit ſciſſura; ſigni tantum fit fractura: qua nec ſtatus nec ſtatura ſignati minuitur.* Et tamen ad has ſtultiſſimas ineptias hiant Lutherani lari, ſuoq; ſuffragio tanquam omni- Scoticis ſubtilitatibus ſubtiliores comprobant.

Parum abeſt, quin credam coruo Romano plus fuiſſe intelligentiæ, quàm coruo huic Lutherano: coruo inquam illi, *qui,* vt ait plinius, *omnibus matutinis euolans in roſtra, in forum verſus, Tiberium, dein Germanicum & Druſum Cæſares nominatim, mox transeuntem populum Romanum ſalutabat.* Cui poſtea interempto *funus innumeris celebratum* fuit *exequiis, conſtratum lectum ſuper Æthiopum duorum humeros, præcedente tibicine, & coronis omnium generum ad rogum vſq.* Etſi animæ huius corui, ni coruus eſſe deſinat, ſimilis pompa; paribusq; deductoribus Æthiopibus continget, & quidem vſque ad rogum non temporalem, ſed ſempiternum. *Plen. lib. 10. cap. 43.*

Nihil dicam de aliis coruis, quos ob ingenium & docilitatem Auguſtus Cæſar multis millibus nummûm redemit. Hunc certè coruum tam hebetem & bardum, ne vitioſa quidem nuce emiſſet; et ne teruntio dignatus fuiſſet: quem tamen Lutherani argenteo numiſmate venerantur. Quis vos tum malus abſtulit error? Nemo fortaſſis exprobraſſet vobis hoc factum, ſi coruus, quem cepiſtis, alicuius nominis, eruditionis, & probitatis fuiſſet. Nunc cum fuerit, ſitq; adhuc, ipſa inſcitia, & improbitas, plusquam mirum eſt; tantum cæcitatis in *Macrob. li. 2. Saturn.*

vllos cadere; vt in lucem pertrahant; quem sempiternis tenebris, si saperent, sepelire debebant; vt taceam semper adhuc superesse illam quæstionem soluendam: Quis vobis huiusmodi numismatis famosi & seditiosi cudendi fecerit potestatem.

Lib. 1. Macab. cap. 15.

Simoni sacerdoti & principi gentis Iudæorum dedit olim facultatem cudendorum numismatum Rex Antiochus. *permitto tibi facere percussuram proprij numismatis in regione tua.* Cuius concessu fecerunt & sparserunt isti percussuram huius *Coruanserolorini seu Cycnanserocoruini* numismatis? Quem denotat illa appensa hedera? *Cum Priuilegio.* Fortè illum de quo vaticinatur Daniel; cuius vaticinium nummo in orbem inscriptum visitur. *Et faciet iuxta voluntatem suam Rex, & eleuabitur & magnificabitur aduersus omnem Deum*; qui licet necdum natus, Satellites tamen suos iam habet tam inaspectabiles, quàm aspectabiles; Dæmones & Hæreticos; qui agunt quidquid lubet, venturoq; suo Regi viam quam diligentissimè sternunt.

Daniel. 11.

Luth. Tom. 2. Epist. ad Langum pag. 54.

Sed finio argumentum hoc nummarium; claraq; voce testor, nullum ex catholicis esse; qui Euangelico gregi coruum hunc tam auspicatum alitem, inuideat. *Otiosi homines sunt*, ait de se & sui similibus Monachis Lutherus, *& sua quærunt, vt melius sit eos extra, quam intra cucullum, peccare & perire, ne bis pereant, si hac vita puniantur. Gratulandum est*, inquit S. Cyprianus, *cum tales de Ecclesia separantur, ne columbas, ne oues Christi sæua sua, & venenata contagione prædentur. Cohærere & coniungi non potest amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluuia non serenitate, pugna cum pace, cum fæcunditate sterilitas, cum fontibus siccitas, cum tranquillitate tempestas. Nemo existimet bonos de Ecclesia posse discedere. Triticum non rapit ventus, nec arbo-*

Cypr. lib. de Vnit. Eccles.

rem solida radice fundatam procella subuertit. Inanes paleæ tempestate iactantur, inualidæ arbores turbinis incursione euertuntur. Hos execratur & percutit Ioannes Apostolus dicens: Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis: Si enim fuissent ex nobis, mansissent vtiq; nobiscum. Hinc hæreses & factæ sunt frequenter, & fiunt, dum peruersa mens non habet pacem, dum perfidia discordans non tenet vnitatem.

Triumphent Hæretici cum coruis, anseribus, cycnis porcinis seu vpupis; quia columbas non habent; nec aucupio suo capiunt. *Simplex animal & lætum est*, inquit Cyprianus, Martyr beatissimus, *non felle amarum, non morsibus sæuum, non vnguium laceratione violentum: Hospitia humana diligere, vnius domus consortium nosse, &c. Hæc est in Ecclesia noscenda simplicitas, hæc charitas obtinenda; vt columbas dilectio fraternitatis imitetur, vt mansuetudo & lenitas agnis & ouibus coæquetur. Quid facit in pectore Christiano luporum feritas, & canum rabies, & venenum letale serpentum, & cruenta sæuitia bestiarum?*



FINIS.



AD



Ad Lectorem.

CVm meus iste commentariolus sub prælo esset, rumor ad me peruenit Coruum viuere desiisse, & ad Stygios coruos auolasse, turpissimæ vitæ, & turpioris adhuc Apostasiæ præmia reportaturum. Parentandum censui defuncto, hoc, quod subiungitur, Epigrammate.

EPITAPHIVM RABIDESERTORIS MONACHI.

OCcidit infelix caperatæ Rabula gentis
CORVVS, in immeritam non bene raptus humum.
Qui sacra FERALI temerare silentia CANTV
Ausus, ad infernas præcipitauit aquas.
Nigrarum quicquid volucrum est, intendite luctus,
Cũ CORVO, vestri pars quoq; magna perîit.

Inferias

Inferias iam bubo para, iam corue parenta,
Ad cognata tuus funera questus eat:
Et quoniam stygiis animam reuocare latebris
Non potes, id facito quod potes, OSSA LEGAS.

CÆterum quod Erasmum hic & alibi aliquoties testem produco, id non fit, quia apud me magnus Erasmus; sed quia apud illos, cum quibus pugno, quorum mores optimè perspectos habuit; quippe diu inter illos & quidem familiariter, versatus. Vale.

IN HVSSI ET LVTHERI SYMBOLVM.

DIcitur Assyrias PHOENIX animare fauillas,
Claudit odoratis cum sua fata rogis:
Nam fera longæuum vix hausit flãma volucrẽ,
Cum nouus è flammâ parturiente redit.
Nũc eadem raucus sibi funera vẽdicat ANSER,
Dum parat in meritos HVSSIVS ire focos:
Nã venit exusto fatalis ab ANSERE CYGNVS:
Dumq; cupit monstrum perdere flamma, parit.

EXPLICATIO EPIGRAMMATIS SVPERIORIS.



E tamen hunc Cycnum, deceptus vocearis
Esse cycnum verum, noueris esse suem.
Ni monstro insolito lubet insolitum indere nomen,
Atq; vocare nouo nomine PORCOCYCNVM.



IACO.

IACOBI GRET-SERI SOCIETATIS IESV THEOLO-GI,

Commentarius

ET GLOSSÆ IN ORATIO-nem Hunnianam de Pseudoiubilæo VVitebergen-si.





Ad Lectorem.

EDidit nuper Ægidius Hunnius, Prædicans VVitebergensis, orationem, hac inscriptione.

Oratio

Habita in sæculari festo natalitio Academiæ VVitebergensis, cum centesimum à prima fundatione compleuisset annum, 18. die Octobris, Anni currentis 1602.

In qua

Prædicantur beneficia Dei in hanc Scholam collata, cumprimis verò beneficium repurgatæ doctrinæ Euangelicæ, & admirandæ protectionis Scholæ huius aduersus insidias diaboli & sanguinarios Antichristi Romani conatus.

Hanc orationem, si breuibus Scholiis & glossis illustrarem, operæ pretiū me facturum credidi. Illustraui igitur. Hoc scribendi genus si prędicātes mirētur, nouerint Lutherum, Huttenū, Vergerium, similesq; hæreticos exemplo suo nobis præiuisse; qui impudentissimis & dentatissimis scholiis Bullas pontificum Leonis X. Adriani VI. et aliorum; imò & edicta ipsius Inuictissimi Cæsaris Caroli V. exagitarunt; quorum tamen impudentiam absit vt imiter, etsi ipsam scribendi rationem imitor. Tu lector faue & vale.



COM-



COMMENTARIUS ET GLOSSÆ IN ORATIONEM HUNNIANAM DE PSEUDOIUBILÆO VVitebergensi.



PRincipiò iure quis miretur, qua mente & conſcientia iſti noua feſta inſtituant & celebrent, cum abrogarint & ſuſtulerint vetera in honorem Chriſti, cœlitumque inſtituta? *Nos VVitebergæ ſolis Dominicis & feſtis Domini ſabbatiſſare quæremus*, inq. Lutherus, Et ecce iſti Lutheri in VVitebergenſi ciuitate poſteri, aliis itidem diebus *ſabbatizant*. Et quidem die Veneris; incidit enim feſtum hoc ſæculare in diem Veneris, quando id Hunnius vaniloquentia ſua decantauit.

Luth. in forma *Miſſæ pro* Eccl. *VVite.* Tom. 2. *VVi.*

Omnium Sanctorum feſta prorſus abroganda, vel ſi quid dignum in eis eſt, in dominicalibus concionibus miſcenda eſſe putamus; ait Lutherus in formula Miſſæ pro Eccleſia VVitebergenſi. Et iſti contra iſtam *Formulam* à beato (ſcilicet) Luthero præſcriptam, nouum feſtum inſtituunt, eo die, quo apud orthodoxos anniuerſaria memoria Euangeliſtæ Lucæ recolebatur. Expulit Lutherus è ſtatione

tione sua S. Lucam, & isti Academiæ conditæ festum substituunt? Lutheri iteratum præceptum est. *Festa Sanctorum in vniuersum aboleantur.* An potiore loco isti habēt Academiam exædificatam; quàm totam cœlestium incolarum turbam? Parum abest, quin eos hac mente præditos suspicer; cum me non fugiat Lutherum VVitebergense templum *omnium Sanctorum*, blasphema lingua nominasse alicubi templum *omnium Diabolorum*; vt proinde Sanctos & Diabolos eodem loco habuisse, absq; temeritate censeri queat.

Luth. lib. de piis cæremoniis Tom. 2. VVite.

Obseruet autem Lector, Lutherum præcisè & simpliciter omnium & singulorum Sanctorum festa repudiare; ita vt ne Apostolis quidem hunc honorem relinquat. In quo ipsum profectò Caluinum superasse videtur, cuius hoc est votum: *Optandum est, vt præter Dominicum pauci retineantur dies festi.* Vbi saltem paucos dies festos concedit. Lutherus nullos, præter dies Dominicos & festa Christi. Nam *festa S. Crucis anathema sunt.* Sic enim edicit Lutherus: *Et loco festi S. Stephani, & Ioannis Euangelistæ, officium natiuitatis placet:* ait idem Apostata. Mirum profectò reperiri Christiano vocabulo ornatos, qui sanctæ Crucis inuentæ & exaltatæ, omniumq; Sanctorum memoriam abolere & sepelire, inq; eius locum anniuersariam vel sæcularem memoriam erectæ scholæ sufficere tentent.

Caluin. Epist. 178.

Festa D. Virginis explosa sunt à Lutheranis. Hoc enim est Lutheri decretum: *Solennitates Annunciationis & Purificationis Mariæ peragimus, vt Christi ferias: Assumptionis autem & Natiuitatis Mariæ planè reiicimus.* En maior & honorabilior apud VVitebergenses est Academia, quàm Virgo Deipara, cœli, cœlitumq; Regina. Illa enim diē festum habet; hæc nullum.

Lut. l. de piis cærem.

Hic

Hic Pontificibus esset summè vigilandum, inquit Lutherus, *imò saluberrimum foret, omnes dies festos abrogare, paucissimis seruatis, in quibus mane verbum Dei audiretur & Missa. Nihil enim sunt Sabbata nostra* (Lutherana) *nisi opprobrium Ecclesiæ, & non eusebia, sed asebia in Deum.* Cur ergò isti nouũ festum instituunt, si festa nihil aliud sunt, quàm impietas in Deum? quod verissimè affirmare licet de illo, quod celebratur expulsis Sanctorum festis. *Luth. in expli. 1. præcepti.*

Cum Lutherani quidam post librum illum, qui vocabatur *Interim*, *Festũ corporis Christi* admisissent, tanquã rẽ adiaphoram; statim insurrexerunt rigidiores & cerebrosiores prædicantes, qui totis viribus id egerunt, vt Festũ hoc exterminaretur. *Cur Ecclesiæ Christi*, inquit Schlusselburgius, *ab idolomania liberatæ adiguntur ad hoc festum colendum? Nec valet elusio, quod saltem in eo festo conciones habẽdæ sint. Cur enim ad hunc diem colendum Ecclesia Christi cogetur?* En sacratissimo Christi corpori negant Luterani diem festum, eumq; Academiæ concedunt. Si nolebant more & ritu Catholico obire illud festum; cur corpori Christi diem illum non dedicant, eo ritu, cæremonia, animo, & consilio, quo natiuitati Christi, Circumcisioni, & Epiphaniæ dies festos consecrant, etiam ex Lutheri præscripto: Academiæ institutio oratione soluta & ligata decantatur, instituta noua panegyri celebri omnium Ordinum conuentu. Et corpus Christi, quod in Eucharistia fidelibus porrigitur, dignum non erit, vt peculiari die concio in tanti beneficii, simul & mysterii commemorationem, habeatur? *Schlusselbur. lib. de Adiaphoristis.*

Cum in supradicto libro, cui titulus, *Interim*, generatim diceretur: *festa Virginis Mariæ obseruanda esse*: è vestigio reclamarunt pertinaciores Lutherani, quod sub illis verbis *in genere comprehẽderentur festa Natiuitatis, Assumptio-* *Schlusse. loco citato.*

nis Mariæ, & similia. Nimirum Lutherani tantum sollicitì sunt, ne Deiparæ Virgini, Sanctisq; festa decernantur; aut iã olim decreta religiosè obeãtur. Sed cũ dies festus in honorẽ gymnasij litterarij indicitur; bonũ, omniũq; seculorum recordatione prædicandũ facinus perpetratur.

An non timent isti, ne cum nouis suis festis audiant illud Domini. *Odi & proieci festiuitates vestras, & non capiam odorem cætum vestrorum. Aufer à me tumultum carminum tuorum,* quæ Hunnius & Poëtastri Hunniani hoc sæculari festo detonuerunt; *Neomeniam, & sabbatum, & festiuitates alias non feram: iniqui sunt cætus vestri; Calendas vestras* (sæcularia festa) *& solemnitates vestras odiuit anima mea; facta sunt mihi molesta, laboraui sustinens.*

Amos 5.

Esa. 1.

Qui tot festa cœlitum, & sanctæ crucis sustulerunt; non immeritò formidare possunt; ne à Deo occinatur illis illud. *Dispergam super vultum vestrum stercus solennitatum vestrarum, & assumet vos secum. Vide,* inquit Lutherus; *stercus appellat solennitates talium; quia & stercorant in illis, sicut porci immundi.* Nam quod sacra scriptura testatur de nouo illo, & prope dixerim, sæculari Iudæorum festo: *Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere*; id, opinor, sine iniuria cuiusquam ad hoc itidem sæculare festum transtuleris: tales enim fructus nascuntur ex tali festo; quod obitur abolitis & proscriptis veris & legitimis festiuitatibus: Vt enim Iudæi cibo, potui, lusui, tum maximè vacarunt, cum veri Dei cultui valedixerunt; ita & Hæreticos in eadem vitia incidere necesse est; quando veris festis antiquatis & expunctis, noua comminiscuntur; aliisq; obseruanda proponunt; & in huiusmodi solennitates bellissimè quadrat illud Lutheri de Dedicationibus: *Vesperi domum redeunt pleni indulgentiis, id est, cereuisia, luxuria, & aliis portentis peccatorum, quibus ibidem seruierunt.*

Malach. 2.

Luth. in Declam. popu. de 3. præce. To. 1. VViteb.

Exo. 32.

Luth. loc. cit. in Expl. 1. præ.

uierunt: Si tamen redeunt: nam fermè est velut regulare, aliquos occidi, aut saltem grauiter vulnerari in Dedicationibus (scribe, in festis sæcularibus) *adeo vt in prouerbium transierit: Indulgentias dedicationis* (Lutheranæ, & festi sæcularis) *distribui serò, cum sese trucidauerint, aut saltem læserint.* Hæc Lutheri dicta aptè conueniunt, in huiusmodi Lutheranas dedicationes; quæ cum aliis indulgentiis penitus careant; par est, vt saltem prædictis gaudeant; quæ distribuuntur, postquam deuotissimi isti Dedicatores mero aut cereuisia incaluerunt. *Et non cogitant, qui sic sabbatissant,* inquit Lutherus, *quod si hoc esset sabbatissare; qualibet meretrix hoc posset, & quilibet Turca, aut Paganus, imo equus & sus, scilicet comedere & bibere, deinde ociari, tandem pomposè adornari.*

Porrò cum Lutherus doceat *quinq; esse facienda pro sanctificatione festi; scilicet audire Missam, audire verbum Dei, orare, offerre secundum aliquos, & conteri de peccatis:* quærere lubet ex Hunnio; an in hoc sæculari festo ipse cum suis hæc quinque Lutheri documenta obseruârit; præsertim primum, quod est de *Missa.* Et si Missam audiuit; qualemnam? *Maturam, an seram?* Et vbi? *Num in Monasteriis, an in Parochia?* Hæc enim omnia difficultatibus & scrupulis implicata, & intricata sunt, vt docet sæpius jam citatus *Casista* scrupulosissimus Lutherus. *Luth. in expl. 3. præc.*

De oratione nihil dubito; precatores & oratores estis feruentissimi & efficacissimi: precem potissimam arbitror fuisse illam ex sæculari carmine Horatii; (nam festum sæculare decent sæculares preces)

Alme Sol curru nitido diem qui
Promis & celas, aliusq; & idem
Nasceris, possis nihil vrbe nostra
Visere maius.

Rite maturos aperire partus
Lenis Ilithyia, tuere matres,
Siue tu Lucina probas vocari,
Seu genitalis
Diua producas sobolem, patrumq;
Prosperes decreta super jugandis
Fœminis, prolisq; nouæ feraci
Lege marita.
Certus vt denos decies per annos
Orbis, & cantus referatq; ludos,
Ter die claro, totiesq; grata
Nocte frequentes.

Hæc sine dubio summa est vestrorum sæcularium votorum.

Oblationem, (quæ est quartum caput in festo obseruandum ex doctrina Lutheri) ait Lutherus *abolitam esse.* At ego Hunnium cum suis hunc morem restituisse, & egregiè obtulisse existimo, non quidem altari, sed veneri; non sine hoc vel simili Odario.

Festo quid potius die
Sæclari faciam? prome reconditum
Lyde strenua cæcubum,
Munitæq; adhibe vim sapientiæ
Inclinare meridiem
Sentis, ac veluti stet volucris dies,
Parcis deripere horreo
Cessantem Bibuli consulis amphoram.

In hunc quoq; modum celebrauit Pomeranus festum translationis Bibliorum in Germanicam linguam: nam vt ait quidam Iubilarius VVitebergensis: *Singulis annis, eo die, quo* (à Luthero) *absolutum opus fuerat, amicos solemni conuiuio excipere, & quasi natalem translationis Bibliorum cele-*

Andr. Vrs. in Act. Pseudo-iub. VVit.

celebrare solitus fuit. Inde factum, vt eum d em festum translationis Bibliorum appellitarent. Cogitet deuotus Lector, qui hanc tantam Pomerani & commensalium deuotionem animo informare potest, quàm deuotè festiuì isti conuiuæ ob versa Biblia verterint pocula; & quam ex intimis præcordiis protulerint illud à Luthero, quamuis in alio argumento, pronunciatum: *En* hoc villum, *optimam creaturculam Dei mei, donauit mihi Christus meus: sit illi laus & gloria:* in sempiterna secula.

Luth. 2. Tom. Epist. ad Spalat. f. 306.

Verum hic moueri potest quæstio, jam olim à Luthero mota, cum tertium decalogi præceptum pro concione interpretaretur; *An VVitebergenses sint excusati, quod in die festo* (sæculari) *exercent balistarum artem pro aue deiiciẽda de hastili erecto, cum id æquè possint alio die facere, cumq; non sit hic necessitas, nec pietas, nec modicitas, ac dimidius ille dies post prandium possit Deo dari, sicut & ante prandium. Simile judicium de armorum ostensione, quasi non & alia die fieri possit æquè bene.*

Ad hanc quæstionem nihil aliud respondet Lutherus, quam hæc pauca. *Hic domini consules vigilare deberent.* Ego hoc. Hic dominus VVitebergensis superintendẽs Hunnius uigilare deberet; ne festum sæculare sæcularibus & profanis actionibus profanaretur & violaretur. Nec ambigo aduigilasse. Fortè enim pridie per plateas & compita VVitebergensia circuiuit clamitans: *Cras solennitas Iehoua est.* Si enim Aaron siue pręconis, siue sua voce id fecit; mirum sane foret, si Hunnius hoc ministerium detrectasset. Interim tamen non video, cur aut Lutherus, aut Hunnius ab hoc sæculari festo eam oblectationem penitus remouere contendat? cum Æneas parentalia Anchisæ simili ludo honorarit pariter & exornarit.

Virg. 5. Æn. *Namq; manu ingenti malum de naue Seresti*
Erigit, & volucrem traiecto in fune columbam,
Quò tendant ferrum, malo suspendit ab alto.

Cùr hoc Virgilianum exemplum non imitentur Lutherani, quorum feriæ, nisi tempestiuè cauerint, indies crescent. Natalem enim Lutheri non negligunt, nisi fallor, vt nec diem obitus. Quorsum enim parentales orationes, quas subinde VViteberga nobis mittit; si tertii Heliæ, & octaui Sapientis, & quinti Euangelistæ ex hac vita abitus non celebraretur? Instituit dudum Pomeranus parochus VVitebergensis, *festum translationis Bibliorum*: quod præclarè celebrauit ille prædicans, qui, teste Matthesio, Germanica Lutheri Biblia publicè in suggestu virgis cecidit; addita hac acclamatione. *Discas melius.* (Matth. conc. 12. de Luthero.)

Iam accessit nouus, & quidem Lutheranus Iubilæus; *Venite exultemus Domino*, intonat Iubilarius prædicãs, *jubilemus Deo salutari nostrò. Iubilate in conspectu Regis Iehouæ. Iubilate Domino omnis terra.* Euohe Bacche, *Quò me Bacche rapis tui plenum? Nil paruum aut humili modo, nil mortale loquar: dulce periculum est ô Lenæe, sequi Deum cingentem viridi tempora pampino*: quia tali jubilæo plenarias dat indulgentias, quæ prædicantibus longè sunt gratiores, quàm illæ, à quibus Lutherus Tragœdiæ suæ exordium duxit.

Verumenimuerò, qui rem accuratius perpendere volet; eum non modò ingens admiratio capiet, quod Lutherani, qui Lutheri jussu, tot festa Sanctorum sustulerunt, festum sæculare nunc instituant; sed etiam quod id instituant honorandæ & celebrandæ Academiæ; cũ Academiæ plus emolumenti Ecclesiæ non adferant, quã Diabolus: Iste est enim 29 articulus VViclephi in Concilio Cõstantiensi recitatus & damnatus: *Vniuersitates, studia,* (Sect. 8.)

dia, collegia, graduationes & magisteria in eisdem, sunt vana gẽtilitate introducta, & tantum prosunt Ecclesiæ, sicut Diabolus. Ergòne festum sæculare merebitur Academia, Reipublicæ Christianæ tam perniciosa?

Dicet fortassis Prædicans. Quid ád nos Articulus ille Wiclephi? Multum, mi Prædicans, multum; quia multum ad vos Ioannes Hus, qui omnes Wiclephi articulos tanquam veritati & religioni consentaneos dilaudauit & comprobauit hoc suo articulo, qui est 25. inter Hussiticos. *Condemnatio quadraginta quinq; articulorum Ioannis VViclephi per Doctores facta, est irrationabilis, & iniqua, & malefacta, & ficta est caussa per eos allegata, videlicet ex eo, quod nullus eorum sit Catholicus, sed quilibet eorum aut est hæreticus, aut erroneus, aut scandalosus.* An & hic quæres, quid ad nos Ioannes Huss? Num nihil ad vos Ioannes Huss, quem tu in hac ipsa oratione tua sæculari vocas *gloriosissimum Martyrem.*

An nihil ad vos ille; qui, vt tu ipse narras, hoc elogio à Luthero decoratur? *Sanctus Ioannes Huss.* An nihil ad vos ille; de quo in disputatione Lipsiæ habita Lutherus disertè dixit: *Aliquot articulos Ioannis Huss fuisse Christianissimos & Euangelicos,* & inter Articulos à Leone X. damnatos continetur iste, & est 30. *Aliqui articuli Ioannis Huss condemnati in Concilio Constantiensi sunt Christianissimi, verissimi & Euangelici, quos nec vniuersalis Ecclesia posset damnare.* Quid si inter istos *aliquos Christianissimos & Euangelicos* articulos etiã vnus ille fuit de vniuersitatibus, collegijs, gradibus Academicis? Quid ni hoc non suspicemur, sed planè nobis persuadeamus; cum Lutherus articulum illum particulariter prolatum in vniuersalem mutauerit: *Erraui,* inquit, *& hunc articulum reuocaui, & adhuc reuoco, in hoc, quod dixi, aliquos articulos Ioannis Huss esse Euangelicos.* *Luth. asserti. Art. Tom. 2. lat. VVite.*

Quare nunc sic dico: Non aliquos, sed omnes articulos Ioannis Huß Constantiæ esse damnatos ab Antichristo, &c. Et in faciem tuam sanctißime Dei vicarie tibi liberè dico; omnia damnata Ioannis Hus esse Euangelica & Christiana, tua autem omnia prorsus impia & diabolica. Approbauit ergo Lutherus simpliciter omnes articulos Hussi; & quod hinc est consequens, etiam VVielephi; quia ex Articulis Hussi, quos Lutherus probat tanquam *Euangelicos, verißimos, & Christianißimos*, vnus est impius ille de Academiis gradibusq; Academicis articulus. *Articulos*, inquit Lutherus, *Ioannis Hus damnatos omnes suscipio, paratus defendere eos per Christi gratiam, inuito illo rerum portento.*

Luth. loc. cit.

Quid ni ita suspicemur, cum vt Lutherus tradit, Academiæ nihil aliud sint, quam Antichristi *lupanaria*. Academia autem Parisiensis, *Sodoma*, Louaniensis, *Gomorrha*. cuiusmodi *Encomia* Academiarum passim in Lutheri tomis occurrũt, vt Tom. 2. Germ. vonn Mißbrauch der Meß. anno 22. folio 37. diese grawsame verderbliche Grewel hören die vnuerschämbten Hurhäuser/ die Hohenschulen/ sitzen vnd schweigen still/ rc. als gehorsame Kinder der Kirchen/ den Worten jres Hurenwirts. Item Tom. 1. lat. fol. 539. Anno 45. Hurenhäuser vnnd Lotterbuben Schul seyn vil keuscher dann die Römische Sodoma/ vnnd die Hoheschul Gomorra. Rursus Tom. 2. German. im Buch an die Rathsherrn aller Städt/ daß sie Christliche Schulen/ rc. War ist/ ehe ich wolt daß Hohe schulen vnd klöster bliben so/ wie sie hieher gewesen sind/ daß kein andere Weiß zu lehren vnnd leben solt für die Jugendt gebraucht werden/ wolt ich ehe daß kein Knabe nimmer nichts lehrnte vnd stumme wäre. Dann es ist mein ernste Meynung/ bitt/ vnnd begirde/ daß diese Esselställe vnd Teuffelsschulen eintweder inn Abgrundt versincken/ oder zu Christlichen

Luth. lib. de abrog. missa priuata.

lichen (das ist / Lutherischen) Schulen verwandelt werden. Hæc & plura huius generis Lutherus in honorem Academiarum; ex quorum numero vni Lutherani VVitebergenses festum sæculare celebrant.

Vide Anat. D. Pistorii spiritu secundo c. 8. & 9.

Dicent; Lutherum hæc & plura talia dixisse & scripsisse *in Academias Papisticas.* Non nego: At VVitebergensis Academia ab anno Domini 1502. hoc est, à primo suo ortu vsq; ad annum 17. & vltra, etiam Papistica fuit. oportet ergo, vt sicut Lutherus de aliis Academiis pronunciat, fuerit *lupanar; stabulum asinorum*, & *schola diabolorum.* imò anno Domini 1518. adeò fuit Vniuersitas VVitebergensis Pontificia seu *Papistica*, vt *Rector, Magistri, & Doctores Vniuersitatis studii VVitebergensis,* hæc verba ad Illustrissimum Principem Electorem Fridericum scripserint. *Ante omnia mirificè placet, quod Illustriss. Cels. T. simpliciter & purè defert honorem sanctæ Ecclesiæ & summo Pontifici. Neq; nos VNQVAM ALIVD SAPIEMVS, &c. nihil enim antiquius ducimus judicio sanctæ Romanæ Ecclesiæ.* Hæc Academici VVitebergenses. Fuit ergò Academia VVitebergensis nono Kalend. Decemb. M. DXIIX. adhuc *Papistica*, & quidem adeò vehementer, vt se talem fore in omnem sempiternitatem promitteret; Etsi aliquot post annis voti propositiq; sui immemor, desiit esse quod erat. Si igitur *Papistica* fuit; oportet vt & illa, à primo suo ortu, per multos consequentes annos fuerit ex sententia Lutheri, *lupanar, stabulum asinorum, & schola Diabolorum.*

Acad. VVite. Epi. ad Fride. Elect. Tom. 1. lat. VVit.

Quam ergò laudem meretur ille, qui excitat, fundat, dotat, priuilegiis ornat *lupanar, stabulum asinorum, & scholam Diabolorum?* Annne prudenter illi agunt, qui *lupanari, stabulo asinorum, scholæ Diabolorum* diem festum agunt, sicut agunt VVitebergenses? debebant certè hoc seculare suum festum non inchoare ab anno 1502. sed

potius

potius ab eo tempore, quo ex *lupanari* Academia facta est schola virtutum, vt Lutherani existimant: & ex *stabulo asinorum*, stabulum prædicantium, hoc est, onagrorum.

Quam verò illud *Lutherano* dogmati dissentaneum est; Academiæ erectæ præficere aliquem ex cœlitibus patronum & tutorem! *cum*, vt Lutherus ait; *nostra ætate eò redactus sit cultus Sanctorum, vt melius fuerit neque festa Sanctorum agi, neq; nomina eorum sciri.* Et tamen, eodem Luthero teste, initio Academia VVitebergensis patronum habuit sanctum Paulum; darnach ists Insiglen verendert worden, inquit Lutherus, *Postea mutata sunt insignia.* Cum ergò ex *Lutheri* & *Lutheranorum* placito cultus Sanctorum sit idololatricus, sequitur profectò Academiam Witebergensem Idololatricam fuisse; cum sanctum Paulum Patronum & aduocatum apud Deum sibi delegit; cumq; festiuitatem eius, tanquam patroni, solenni ritu peregit. Et tamen *Lutherani* Idololatricæ Academiæ sæculares ludos & ferias decernunt.

Luth. in expl. 1. præcep.

Lut. in sermo. conuiuali. tit. vonn guten Künster.

Acriter olim inuectus, vel potius debacchatus est *Lutherus* in eos; *qui nouorum festorum dignitate, priuilegiis, indulgentiis replebant totos sermones.* Quæ inuectiua num in Hunnium quoq;, aliosq; festi sæcularis VVitebergicos panegyristas competat, lector ipse statuat. Nouum certè festum Hunniano, hoc est, verbosissimo & turgidissimo sermone repleuit: qui iure cum suo *Luthero* dicat: *Nec frustrà nos quoq; vixisse videbit posteritas, quia nouis festis fecimus vetera verè veterasse, si nihil aliud fecimus, hoc vnum satis est dignum æterna memoria.*

Lut. in expl. 1. præcepti.

Lut. loc. cita.

Sperabat *Lutherus* futurum, vt adhuc festum Abrahæ celebraretur, *quia in fide eius fuit origo salutis, & promissus Christus. Et fortè diem Adæ & Heuæ quoq; celebrandum,*

est prædestinatum, inquit ille idem *Lutherus*. Sed hactenus spe sua falsus est *Lutherus*: nam loco festorum *Abraha*, *Adæ*, & *Heuæ*, habet jam VVitebergæ festum Academiæ erectæ. *Itaq; venerunt dies*, ait Lutherus, *in quibus omnia libentissimè docemus & audimus, præter ea, quæ sunt antiquæ & solidæ veritatis.* Lut. lib. cont. Catharin.

Lutherus explicans visionem Danielis, & Regem illum *potentem faciebus*, pro nona facie statuit *festorum dierum multiplicationem, & iniquitatem. In hac autem facie insignius lucent*, inquit Lutherus, *magni illi festi dies, Visitationis, corporis Christi, Apostolorum, Conceptionis, & similium.* Si hęc festa adeo lucent in facie illius Regis, longè splendidius lucebit hoc festum seculare, *nimirum velut inter astra luna minora.*

Iam verò qui vniuersitatem instituit, is etiam facultates in eadem Vniuersitate instituit; & qui festum institutæ Academiæ celebrat, is celebrat etiam festum institutarum Facultatum, inter quas primas tenet Facultas Theologica. Verùm quàm multa sunt in Facultatibus, quæ, si Lutherum audimus, non modò non sunt digna festo, sed ne profesto quidem. Primùm enim si nomen ipsum spectes, Luthero Facultas est *Feculitas*, à fece, & *Vaccultas* à vacca. Doctores Facultatis Theologicæ *Magistrolli, nostrolli*, separatim. coniunctim, *Magistrolli nostrolli, Theologistæ, Theologastri, Liripipiati, Magistrolliter, Liripipia*, qui tria habent Sacramenta, *magistrollica*, Birretum, *Talarem, Liripipium*, seu *Relipendium*. Quę dicunt (Louanienses Theologi) *artic. 23. cum sequentibus octo*, sunt perfectè Marcolfica, nec nisi *in speculo Marcolfi visibilia*: hinc *Marcolfus Nostrollorum*; & *bruta Magistrollia, Sophistæ, Asini, Doctorelli*; quorum alii *Scotistæ*, alii *Scotellistæ*, alii *modernistæ*, alii *Occanistæ*, alii *Gregoriistæ*, alii *Thomastri*, qui non possunt

Lut. lib. de Miss. priu. abrog. tom. 2. lat. VVit.
Lut. con. 32. art. Louanie. to. 2. la. VVit.
Luth. in ludo con. Parisi. to. 2. VVit. la.
Idem con. Sylvest.

Lu.con.Henr. Reg. Angl. possunt errare; *quia Liripipium & Almutium non sunt signa fallibilia:* vt *Thomisticissimè*, imò & *Henricissimè* loquamur.

Lut.con.Catharinum to. 2.la.VVit. & lib.de Missa priuata abroganda. L.to.1.VV.la. in Epit. Resp. Syluest. Quod si cum Doctoribus facultatis Theologicæ, ipsius facultatis adyta subire, & paulò curiosius scrutari velis, reperies omnia esse picta *stultissimis Thomistitatibus* & *Italitatibus, magisteriis nostralissimis*, & *magistralissimis determinationibus*, liceat loqui *Syluestraliter*, imò & *Thomistraliter, Colonialiter, Louanialiter*, & *Catharinaliter*. Ibi videbis quoq; *profanam illam scholasticen, quam Theologiam vocari volunt*, vt inquit in Apologia pro Luthero contra Parisiéses profanus Melanchthon; *qua admissa, nihil salui reliquum est Ecclesiæ. Euangelium obscuratum est, fides exstincta, recepta operum doctrina, & pro Christiano populo, ne legis quidem, sed moralium Aristotelis populus sumus.* Lu.con.Latomum. *Meum consilium dixi*, ait Lutherus, *vt adolescens vitet Philosophiam & Theologiam Scholasticam, vt mortem animæ suæ: non sunt Euangelia tā obscura, vt pueris ea non possint patere. Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam, &c. hanc ego Scholasticam Theologiam interpretor fortiter & cum fiducia.*

L.Serm.conu. tit.de schola. Theol. L.co.Latom. Lu.co.Catha. Inuenies in eadem Facultate S. Thomam Aquinatem, qui Luthero est, ein Wäscher vnd Schwätzer. *Et de Thoma Aquino*, inquit Lutherus, *an damnatus vel beatus sit, vehementissime dubito, citius Bonauenturam crediturus beatum. Thomas multa hæretica scripsit, & auctor est regnantis Aristotelis vastatoris piæ doctrinæ. Quid ad me, quòd Bullarum Episcopus illum canonizauit?* Alibi. *De quo numero & S. Thomas Aquinas, si tamen sanctus est, nam vehementer dubito, cum adeò nihil olfiat spiritus* (Lutherani) *in eo. Non quod negem illum* (S. Thomam) *esse sanctum*, inquit Lutherus in eodem libro contra Catharinum; *quamuis reuera hæretica doceat, & planè Christi doctrinam vastet; sed fortè imprudens, &c.* Ita Lutherus

therus de S. Thoma, prorsus *cochleatiuè*, & *testudinatiuè*, vt ipse libro aduersus armatum virum Cochlæum loquitur.

Et quid verbis opus? *Propè est vt iurem*, inquit Lutherus, *nullum esse Theologum Scholasticum, qui vnum capitulum Euangelii vel Bibliæ intelligat, præsertim Lipsensem, imò ne Philosophi Aristotelis vnum capitulum, quod cum gloria spero me probaturum: si examinandi daretur facultas, nisi id est Euangelium nosse, syllabas pronunciare, vtcunq; tamen. Quare non timeas à facie ignorantiæ: cedat ex animo titulorum ille fragor Doctorum, Vniuersitatum, Magistrorum, laruæ enim sunt.* Et tamen institutioni harum laruarum diem festum Lutherani consecrant, eumq; qui laruas istas VVitebergæ instituit, summis laudibus in cœlum tollunt. 1. to. 1. Ep. 47

Hic iterum occlamabunt, Lutherum loqui de facultatibus Theologicis Pontificiis, vt de Parisiensi, Coloniensi, Louaniensi. Equidem non abnuo: dummodo mihi etiam hoc concedatur, Academiam VVitebergensem multis annis fuisse pontificiam, &, vt Lutherus pro sua nouas voces cudendi felicitate loquitur, *Papensem*; Et eadem studia in eadem tractata, quæ Parisiis, Louanii, Coloniæ, alibi, ac proinde istos festum suum sæculare auspicari non posse ab anno Domini M. DII. nisi contra Lutheri mentem, institutionem *Laruarum, omniúq; ignorantiæ* solennitate aliqua dignandam esse existiment.

A Facultate Theologica procedamus ad Facultatem Iuridicam; quæ & ipsa Vniuersitatis membrum, & quidem à Theologica proximum. Hanc Facultatem condidit & instituit Illustrissimus Academiæ VVitebergensis conditor & institutor; Quocirca qui conditæ Academiæ festum celebrat, is huius quoq; Facultatis festum celebrat. Cæterum vt videamus quid nam sit Fa-

cultas Iuridica, videre oportet ante omnia quid ſit, Iuriſta ſeu Doctor Iuris tam Canonici, quam Cæſarei, idq́; iudicio Lutheri, nihil enim hic afferimus, aut aſſerimus, niſi ex ore & mente Lutheri. Ergo vt à definitione ordiamur, *omnis Iuriſta eſt aut nequiſta, aut ignoriſta*, inquit Lutherus. Notetur vox *Omnis*, quæ omnes comprehendit, nullo excepto; licet ſit Cancellarius, aut Conſiliarius maximi Principis. *Omnis Iuriſta eſt aut nequiſta, aut ignoriſta.* Nil opus multis ambagibus.

L. ſerm. cõui. tit. de Iuriſt.

Fuit olim, qui ſuperiori Scholæ ſuæ limini inſcripſit, *nullus Geometræ expers ingrediatur.* Cur, ſaltem Lutherani Iuriſtæ, hanc definitionem à Luthero traditam, Auditorio ſeu loco, vbi conueniunt, non adſcribunt, & inſcribunt, & quidem litteris grandiuſculis, vt & à cæcutiente de plano pellegi poſſit?

Quod ſi definitio iſta nimis ſtricta videtur & breuis; addant & illud à Luthero repetitum Prouerbium, ein Iuriſt, ein böſer Chriſt. *Iuriſta, malus Chriſtianus.* qui ſi de rebus diuinis diſputare velit; *dic ad illum*: hörest du Geſell/ ein Iuriſt ſoll hie nicht ehe reden/ꝛc. nam cætera adſcribere nolo, videat, qui volet in Colloquiis Sympoſiacis titulo de Iuriſtis: & in Iuridico Luthero M. Conradi Andreæ: qui nuper prodiit.

Imo, qnod mireris, *Iuriſta non eſt maioris pretij, quàm ſartor, aut ſutor. Et quid tandem ſciunt Iuriſtæ, quod ſit alicuius momenti & pretij, licet vehementer ſeſe iactitent; & omnia regere velint; etiam illa, quæ ad Iuriſprudentiam minimè pertinent.* Dann wann ſie viel können/ ſo können ſie ein Kuchen/ vnnd Schmeißhaus auffbawen vnd auffrichten. *Si multa norint, culinam & latrinam ædificare norunt: Quod ſi Iuriſtam diſtillaueris ad quintam eſſentiam, tamen ne vnicum quidem Præceptũ Dei explicare poſſet, quantumuis ſit doctus & prudens. Et omnis*

legiſta

legista purus, est superbus & coecus idololatra, qui omnia intelligẽdo nihil intelligit.

Relinquamus Iuris Cæsarei Doctores; ad Canonistas veniamus. Qui quales sint, & qui, si ex Luthero sciscitetis hoc responsum è vestigio feres. *Canonistæ sunt meri Diabolistæ, meriq; Diaboli. Canonista purus, est magnus asinus.* Quod elogium transfert quoq; Lutherus ad Thomistas. *Ego planè illud verum nunc video,* inquit Lutherus, *Thomistam purum esse asinum verum, siue sit Italus, siue Germanus. Deus perdat & Canones & Canonistas,* vociferatur Lutherus, *qui putant Ecclesiam Dei gubernandam hoc dicto: consuetudo est habenda pro lege. Quid Ecclesia primitiua ad tantos Dominos rerum porcos, sophistas, & asinos canonistas?* Ipsa Iura Canonica nihil aliud sunt, definitore Luthero, quàm Eselsfürtz vnd Bapstsdreck/ ipsum *Decretum,* Dreckket/ *Decretales, Drecketales.* L. con. Cath. Lut. in disp. cont. Concil. Consta thes. 29. & 34. to. 1. lat. VVit. Vide serm. cõuiual. Luth. tit. de Iure Canonico.

Prætereo sciens innumerata alia eiusdem pedoris & fætoris. Quæ cum ita se habeant, consideret, etiam atq; etiam oro prudens lector; an laude dignum facius perpetret ille, qui Collegium *Professorum* vtriusq; Iuris, hoc est, *nequistarum, Ignoristarum, Diabolistarum,* & *Diabolorũ* exstruit, instituit, fundat, & locupletat eos, q ius illud explanãt, q Luther⁹ nõ tãtũ infinitis maledictis proscidit, sed & flam̃is voracibus absumendũ tradidit. *Decretales papæ non dico Apocryphas,* ait Lutherus, *sed impias & Christo aduersarias, solo spiritu satanæ efflatas; qua caussa & eas exussi cum fiducia.* Item an Lutherani, si Luthero & doctrinæ propriæ obtemperare velint, possint diem festum celebrare ob huiusmodi Collegium institutum? Lut. in assert. Art. Ar. 30.

Nec est, quod hic obijciant, Lutherũ loqui de Iuristis Pontificijs; tum quia Iuristæ in Academia VVitebergensi ab initio ad annum vsq; decimum octauum, & vlterius

 terius

terius, Pontificij, hoc eſt, Catholici fuerunt; tum quia Lutherus generatim loquitur: *Omnis Iuriſta, aut eſt nequiſta, aut ignoriſta*; quæ vox *Omnis* tam Pontificios, quàm Hæreticos Iuriſtas complectitur. Mirum ergò, qua conſtantia feſtis diebus VVitebergenſes colant; quod repudiant & abominantur. Mitto dicere, quod Theologis Patronus datus eſt S. Auguſtinus; Iuriſtis S. Catharina; vt dicit Lutherus; mihi hoc inauditum hactenus; nam S. Iuonem Iuriſtis tutorem obueniſſe arbitrabar, vt ipſemet Lutherus alibi ſcribit. Sed fortè Lutherus pluſculum ſe inuitârat, cum prius illud inter Epulas effutiit.

I. Serm. cõuiv. tit. de art. liberal.

Lut. in expl. I. præc.

Vt vt ſit, non ignorant Lutherani, quanta verborum acrimonia hunc patronos deligendi morem incuſârit & reprehenderit Lutherus initio ſtatim ſui Euangeliſmi. *Percurre*, inquit, *ſuperſtitiones ſtulti vulgi*; (en Academici, Theologi, Iureconſulti, Medici, Philoſophi coniiciuntur à Luthero in ſtultum vulgus) *Ærarij fabri S. Eulogium, Sutores S. Criſpum & Criſpinianum, fullones S. Seuerum, Pictores S. Lucam, Medici S. Coſmam & Damianum, Iuriſtæ S. Iuonem, Artiſtæ S. Catharinam, aliquando & Ariſtotelem* (caue ſis mentiaris *Luthere*) *habent Patronos.* Malè itaque factum, quod Theologi & Iuriſtæ VVitebergenſes, inſtar *ſtulti vulgi*, cælites ſibi Patronos delegerunt, ſtatim atq; Academici eſſe cœperunt: Non ergo tale factum feſto die venerandum, ſed ſilentio potius tegendum erat. Reſtat igitur vt iſti præcipitem ſuam celeritatem emendent, & ſæculare ſuum feſtum poſt annos octodecim aut viginti demum feſtiuè celebrent.

Porrò quod dixi de S. Iuone Iureconſultis VVitebergenſibus in Patronum dato; id confirmat Ioannes Zangerus Profeſſor Iuris in Academia VViteberg. & Facultatis ſenior his verbis: *Quod igitur interpretandi & diſcend-*

Zang. in orat. de Iubi. VVit.

ſcend

scendi iuris rationibus optimè prospectum cuperet (Fridericus Princeps Elector) *& à Ioue, quod dici solet, principium faciendum censeret: ideo Iureconsultorum Facultati in Deum tutelarẽ* (nimiũ hoc est; sufficerit in Patronũ, seu Diuũ tutelarẽ) *delegit sanctum Iuonem. Hic natione fuit Britannus, & vixit sub Carolo Quarto, propter doctrinam & singularem eloquẽtiam, etiam mira pietate celeberrimus.* Et post multa in laudem Iuonis adducta, subiungit Zangerus. *Seuerè igitur præcepit Fridericus III. vt nostra Facultas huius Iuonis Iuristarum Patroni festum quotannis decimo nono die mensis Maij in templo solemniter perageret; nimirum, vt Decanus inuitaret Rectorem cum reliquis Professoribus ad Missam super altari Iuonis celebrandam, vt tunc temporis nostri à Rectore proximum occuparent locum, ac, vt in aliis Facultatibus, prima vespera haberentur, &c.*

Si hæc vobis tam seuerè Illustrissimus Princeps vester mandauit; cur mandata eius non obseruatis? Cur festum Iuonis, eo, quo præscripsit ritu, non celebratis? Dices fortassis, hoc ideo fieri; quod ipsemet Princeps decretum suum refixerit & retractarit; idque suasu Lutheri. Non disputo de Principis facto; (nihil enim scriptis meis cum vllo Principe, sed cum Prædicantibus) tantum quæro; an non Luthero saluberrimarum Academici Fundatoris constitutionum abrogationem suadenti, idq;, vt ipse sibi persuadebat, ex sacris litteris, & ipsius Spiritus sancti impulsu; occini potuerit illud ab ipso Luthero pronunciatum, litterisq; mandatum. *Nullus est Morychus* (stultulus) *adeo stupidus*, ἢ οὕτως τε καὶ ἀπαίδευτος (adeo rudis & indoctus) *qui non quidquid probè adpotus somniauit, protinus à Spiritu sancto sibi suggestum esse contendat; & mox Propheta esse laboret.* *Luth. Tom. 2. Ep. ad Antuerp.*

*L*audo autem eximiam huius Iureconsulti; etiam in capi-

capitales hostes, charitatem & beneuolentiam: cum enim Lutherus Iuristas pessimis modis oderit, omniq; ratione perditos desiderarit, iste tamen bonus Iurista, Seniorq; Facultatis Iuridicæ persuadere nobis nititur, Lutherum de Iuristarum professione non nisi honorificè sensisse; Doctoresq; vtriusq; Iuris, suis, hoc est, veris & legitimis pretijs æstimasse, cui propè assentior: Mouet me. I. Iuristarum definitio tradita à Luthero supra iam allata: *Omnis Iurista aut est Nequista, aut Ignorista.* II. Mouet me descriptio Canonistæ sæpius à Luthero assignata. *Canonista est Diabolista*, aut *Asinista*. III. Mouet me Lutherana illa *Paronomasia* Luthero & *Prædicandibus* familiarissima: Decretum; *DreckETUM*. Decretales, *Dreckctales*. IV. mouet me totus titulus de Iuristis in symposiacis Lutheri colloquiis; & totus Lutherus Iuridicus M. Conradi Andreæ, qui Encomia Iuristarum, Legum, & Canonum, diligenter ex operibus Lutheri collegit, & in vnum fascem comportauit: inter quæ maximè eminet hoc præconium: *Iuridicam Facultatem omnium esse spurcissimam, ab omnibus artibus alienam, neq; legibus Romanis fundatam, sed tantum Rabulismum quæstuosum esse.* V. Mouent me nominatim, quod ad ciuiles leges attinet, illa, quæ ex Lutheri tomis nobis exhibet clarissimus vir D. Ioannes *Pistorius*. VI. Maximè moueor exustione Iuris Canonici à Luthero procurata & peracta. Quis enim neget factum hoc fuisse luculentissimum testimonium honorifici illius affectus, quo Lutheri pectus in vtriusque Iuris Professores flagrabat?

Lu. in Coll. la. Franc f. 1571.

D. Pist. spiritu secund. Luth. cap. 6. A 204. 5.

Sed ait Zangerus. Lutherum *non combussisse jus Canonicum in contumeliam aut Iurisconsultorum, aut legum vtilissimarum, quas Pontificium jus complectitur, quasq; in Academiis, jussu Principum, vtiliter conseruant & explicant Doctores; sed*

sed in ignominiam Papæ, & in detestationem impiorum Decretorum, quæ bonis legibus admiscuerunt. Crederem, nisi Lutherus ipse ab assensu me remoraretur per conuicia in totum jus Canonicum; inquè huius juris interpretes largiter effusa;& jam à me aliqua ex parte superius recitata: Anne vllum honorem Iuri Canonico habendum censuit ille, qui in libro ad Nobilitatem Christianam scribere ausus est? *Bonum fore si Ius Canonicum à prima littera vsque ad vltimam funditus aboleretur, præsertim Decretales; satis superque in Bibliis tradi, quomodo vnusquisque in rebus agendis sese gerere debeat. Tale studium impedire sacram scripturam: maxima ex parte olere auaritiam & superbiam; & posito, quòd multa salutaria contineret; meritò tamen debere exterminari; eò quod Pontifex omnia jura Canonica in scrinio pectoris sui captiua teneat, &c. Pereat igitur & concidat in nomine Dei, quod sese in nomine Diaboli extulit. Et nullus sit amplius Doctor Decretorum super terram.* Hæc Lutherus anno Domini 20. quo Ius Canonicum exussit.

Lut. im Buch an Christlichen Adel. *Tom. 1. Ger.*

Ex quibus liquidò apparet, quàm verè scribat Senior Facultatis VVitebergensis, Lutherum non exussisse Ius Canonicū in contumeliam Iuris Professorum & saluberrimarum legum, quæ in illo comprehenduntur. Optabat Luther⁹ Ius Canonicū, Iurisq; Canonici Professores stirpitus excisos esse; & vt hoc votū suū omnib⁹ testatum faceret, volumina Iuris Canonici in flammas abiecit; & tamen hoc non fecit in contumeliam Doctorum & Canonum; si iste vera canit. Quæ tandem contumelia erit, si hæc non sit? Laborabat totis viribus vesanus Apostata, vt Iuris Canonici professio ex omnibus scholis ablegaretur, vt alibi fusius demonstraui;& tamen hoc non redundat vllo modo in contumeliam Doctorum Iuris? Quis VVitebergæ in Facultate Iuridica tantam pa-

Lib. 2. de iure prohib. malos lib. c. 12.

cientiam, tantamq; aliena dicta interpretandi æquitatē reperiri cogitasset?

Placet autem quod scribit, jussu Principum, in Academiis Ius Canonicum auditoribus explicari, & saluberrimas leges in eo comprehendi. Placet inquam hoc; quia nihil est aliud, quàm manifesta condemnatio Lutheri; qui in Ius illud, quod Principes in Scholis retinent, & cui enucleando proprios Doctores honestissimis salariis conducunt; & dictis & flammis tam furiosè debacchatus est.

Nec fuit Lutherus, quod attinet ad affectum, multò æquior in leges ciuiles, earumq; interpretes; vt etiam inuictissimus Imperator Carolus in suo aduersus Lutherū edicto obseruauit, & publicè monuit. Sed affectum formidine supplicii nonnihil cohibuit, quem tamen vsque adeò comprimere nequiuit, quin aliquādo foras promicaret; & quidem luculenter; vt factum est in eo ipso libro, quem supra testem citabam, in libro, inquam, ad Nobilitatem Christianam; vbi post verba, quæ supra adduxi, hæc subiungit: *Fertur, nusquam esse pulchriorem gubernationem & administrationem politicam, quam apud Turcam; qui tamen nec pontificium, nec ciuile jus habet, solo Alcorano contentus. Fateri cogimur, turpiorem administrationem non esse, quam apud nos per Canonica & ciuilia jura; quodq; nullus status naturali rationi, nedum sacræ scripturæ conuenienter viuat & agat. Ciuile jus, bone Deus, in quantam solitudinem degenerauit? Quamuis longè sit melius, artificiosius, & æquius, quàm Canonicum, in quo præter nomen, nihil inest boni: quamuis & hoc nimium excreuit. Reuera sat juris essent prudentia præstantes Reipublicæ gubernatores vnà cum sacris litteris; sicut monet sanctus Paulus 1. Cor. 6. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui poßit judicare inter fratrem suum? sed frater cum fratre judicio contendit, & hoc apud infi-*

infidelem? Videtur mihi quod jura municipalia & consuetudines præferantur Cæsareis legibus. quodq; leges Cæsareæ tantum in casu necessitatis vsurpandæ sint. Vtinam sicut cuiuis prouinciæ sua est consuetudo & indoles, ita quæuis etiam paucis legibus, & compendioso jure gubernaretur; sicut factum, antequam leges istæ nascerentur; sine quibus multæ adhuc prouinciæ administrantur, diffusæ illæ, & longè accersitæ leges nihil aliud sunt, quàm onera hominum; & magis impediendis, quàm expediendis rebus idoneæ.

Hæc Lutherus de legibus ciuilibus, quæ ad ipsos ciuilium legum Doctores ignominiosè redundare, qui non videt, is profectò parum videt, omitto alia Lutheri loca, vbi quo animo fuerit in leges ciuiles, satis prodit. Certè si pœnæ metus non obstitisset, mira & scripsisset & egisset aduersus ciuilia iura: Nec aliunde hausit Carolstadius suum de hoc iure dogma; quam ex disciplina *Lutheri.*

Quale verò dogma Carolstadij? Audiamus Philippum in Epist. ad Fridericum Myconium: *In tota doctrina solebat* (Carolstadius) ἰουδαΐζειν καὶ στασιάζειν. *dnabat omnes leges ab Ethnicis conditas, cõtendebat in foro ius ex Moyse dicendũ esse.* Doctrinæ huius oua, vt sic dicam, posuit Lutherus; sed cum ea à Carolstadio exclusa videret; quasi cohorrescẽs, resilijt; Intelligebat enim huic opinioni, nõ eam propositum iri impunitatem; quæ alijs. Quid enim ad euertendam Rempublicam Christianam aptius excogitari posset, quam si leges humanæ, illa vitiorum fræna & repagula è medio tollerentur? Obijcerẽt fortassis Iubilarij nostri: Lutherum alibi leges ciuiles commendasse. Quid tum postea? Nihil aliud hinc sequitur, quam *Lutherum* bilinguem fuisse; & pro temporis, vel potius furoris sui ratione linguam ad maledicendum aut benedicendum exercuisse. Quæ verò illa laus, si eandem professio-

nem eiuſdemq; Doctores & Profeſſores vno loco dilaudes; altero conuiciorum iaculis obruas? Certè ſi quis aliquem modò nebulonem & ſycophantam, modò optimum & candidiſſimum appellaret; laus non magni penderetur, niſi ab illo, qui neſciret, quid vera ſolidaq; laus à figurata & diaſyrtica diſcreparet.

Sed ſatis de Facultate Iuridica; gradum faciamus ad Medicam, in quam Lutherus ſpeciatim criminationibus & conuicijs, præter ſuum morem & indolem iniurioſus, quod ſciam, non fuit: *Vnum addere placet*, inquit Andreas Schato Medicus VViteberg. *quod ad commendationem noſtræ artis non parum facere arbitror, amaſſe Lutherum doctrinam Medicam, & remedia familiaria, & ſalutaria multa nouiſſe. Ac propterea filio Paulo auctorem fuiſſe, vt poſt religioſæ* (Lutheranæ) *pietatis ſtudium, ad hanc doctrinam, tanquam nobiliſſimam, animum applicaret, quod & præclarè cecidit.* Cohibuit ergò beſtia os ſuum ab hac Facultate ſpeciatim criminanda; quam quod primus Academiæ fundator, in clientelam ſanctis Coſmæ & Damiano tradidit; parum profectò cum Lutheranis placitis & decretis concinit: vt iam antea dictum de Iuone Iuriſtis dato Patroni titulo. Non igitur debebat Schato Facultatis ſuæ incunabula repetere ab Idololatria; ſed ab eo tempore, quo luce Lutherana perfuſa tantum ſplendeſcere cœpit; quantum ſol aut luna; quando deficiunt ſeu *Eclipſantur.*

Schat. in ora. de pſeudoiub.

Erat inter cætera, ait Schato, *quæ ad collegium pertinebant, hoc etiam legibus ab initio conſtitutum, vt Deos quaſi tutelares agnoſceret & coleret* (fallis aut falleris; patronos aut aduocatos, aut tutores dicere debebas, non Deos, quia vnus eſt Deus omnium tutelaris) *Diuos Coſmam & Damianum, &c. Præceptum inſuper, vt dies ille quotannis in honore eſ-*

sit communitati Medicorum, quo festum, solenni ritu, patronorum horum nomine, celebraretur, inuitatis ad hoc, Rectore & cæteris Academiæ Professoribus, ne quid ad splendorem & dignitatem summam sacris iis deesset, in qua etiam festiuitate proximum à Rectore locum princeps Decano & collegio Medico clementer attribuit. Atq; hac cultus religiosi opinione factum arbitror, vt eorum, quales putabãtur,(imò erunt, semperq; erunt; vobis etiam inuitis) *Diuorum imagines sigillo insculperentur; quod publicum Collegio nostro donatum est, &c. Pro horum ergò Medicorum & Martyrum honore & cultu Missa solennis celebrata fuit anno salutis* 1519. *in Æde arcis, &c. Interfuit solennitati illustrissimus Princeps Barnimus Dux Pomeraniæ, &c. Cœperat biennio ante Lutherus purgare*(inquinare)*doctrinam cælestem, &c.* Inter quæ purgamenta hoc etiam vnum fuit; adimere Facultatem Medicam, honoresque à fundatore decretos Diuis Cosmæ & Damiano; Cosmamq; & Damianum Facultati Medicæ.

Quam præclarè fecisset non modò Facultas Medica, sed & vniuersa VVitebergensis Academia, si cum *Luthero* Facultates tutoribus & patronis cœlestibus spoliante egisset; quod ipse se acturum cum Carolstadio scripsit ad suum *Lincum*. Quid illud? *Certum est ei*(Carlstadio)*interdicere suggestu, quod ipse temeritate propria, nulla vocatione, inuitis Deo & hominibus conscendit. Ideo sicut ex Deo nõ venit, ita ex Deo non docuit; & fructus ipse docet, cuius verbum locutus sit, & cuius gloriã quæsierit. Quem Deus misit, verba Dei loquitur.* Quam hæc aptè in ipsum *Lutherum* quadrant! Quam pulchrè ex ore suo seruus hic nequam damnari & jam olim potuisset viuus; & nunc potest ad inferos detrusus! *Lut. to. 2. Epi.*

Vocat nos Facultas Philosophica: Cui inprimis, ex Lutheri dogmate, hoc vitio vertendum, quod S. Catharinam

rinam Patronam & aduocatam apud Deum habuit; eiusque imagine insignia & stemmata, & vt vocant, sigilla decorauit; more aliarum Academiarum; quibus mos iste ante Lutherum solemnis erat: tametsi necdum planè defiit. Nam ante paucos annos visebatur adhuc effigies S. Catharinæ in Sigillo Facultatis *Artisticæ* VVitebergensis. Neq; enim apud ingenuos potest improbitas omnia antiquæ religionis monumenta obliterare & dispungere.

Geor. Scherer cont. Herb.

Sed mittamus Patrocinium S. Catharinæ Lutheranis dogmatis nequaquam consentiens; contemplemur, quod nam sit præcipuum huius facultatis munus; quod officium, & inde colligamus, num commendationem mereatur, qui talem Facultatem condit.

Artisticæ Facultatis potissimum officium erat, eo præsertim tempore, quo Academia VVitebergensis cōdita est, tradere Iuuentuti Rhetoricam, logicam seu Dialecticam, Physicam, Metaphysicam, Ethicam: idq; ex Aristotele: Iste enim in Christianis scholis à multis iam sæculis primas tenet. Quis verò Aristoteles? *Nisi caro fuisset Aristoteles,* inquit Lutherus, *verè Diabolum eum fuisse non puderet asserere.* Eidem Luthero est Aristoteles *Proteus, histrio, qui græca larua Ecclesiam lusit, vaferrimus ingeniorum illusor, calumniosissimus calumniator, sycophanta impiissimus, Princeps tenebrarum, triceps Cerberus, tricorpor Gerion, verè* ἀπολλύων, *id est, perdens & vastator Ecclesiæ; merus logodædalus & logomachus, vastator piæ doctrina, bestia, caligo hominum, & quidem teterrima.* Ecce qualem Academiæ Conditor Doctorem iuuentuti à Philosophica facultate explanandum proposuit: num dignus est, Lutheri calculo, vt huiusmodi institutio sæculari cultu & memoria cohonestetur?

L. to. 1. Epi. 9.

Lut. Ep. con. Eckium. to. I. VVit. lat.
L. li. co. Amb. Cath.
L. in resolu. de indulge. to. 1. lat. VVit.

Ar

Atrelicto Aristotele videamus, num saltem ipsæ scientiæ, quarum interpretatio ad *Artisticam* Facultatem pertinet; fructuosæ sint Auditoribus. Id nobis Lutherus de singulis pulchrè expeditum dabit. Auspicemur à Dialectica. *Quaeris*, inquit Lutherus ad Spalatinum; *quatenus vtilem dialecticen arbitrer Theologo. Ego sanè non video, quomodo non sit noxia potius Dialectice vero Theologo. Esto quod sit fortè vtilis iuuenilium ingeniorum lusus vel exercitatio: sed in sacris litteris, vbi mera fides & superna exspectatur illustratio, foris relinquendus vniuersus syllogismus, non aliter, quàm Abraham sacrificaturus reliquit pueros cum asinis, &c. Quod si vlla necessaria est Dialectica, naturalis illa ingenita sufficit, quâ homo pomptus est conferre credita cum creditis, & sic concludere vera. Ego sæpius cum amicis disquisiui, quidnam nobis videretur vtilitatis accessisse ex tam anxiis studiis Philosophiæ & Dialecticæ, & certè vno consensu admirati, imò lamentati nostri ingenij sortem, nihil vtilitatis, totum autem nocentiæ pelagus inuenimus.* L. 10. 1. Ep. 54. Et post multa in eandem sententiam, sic affatur Spalatinum. *Si ergo meo iudicio credis, prosit tibi Dialectice vbi potest, in sacris litteris etiam nocebit.* Alibi idem Lutherus. *Ego simpliciter credo, quod impossibile sit Ecclesiam reformari* (deformari) *nisi fûditus Canones, Decretales, Scholastica Theologia, Philosophia, Logica, vt nunc habentur, eradicentur, & alia studia instituantur, atq; in ea sententia adeo procedo, vt quotidie Dominum rogem, quatenus id statim fiat, vt rursum biblia & sanctorum Patrum purissima studia reuocentur.* L. Ep. 47. Hæc Lutherus de Dialectica.

Quid de Physica? *Physica Aristotelis*, inquit Hæresiarcha, *est prorsus inutilis materia omni penitus ætati. Contentio quædam est totus liber super re nihili, & velut assumpto argumento. Eiusdem farinæ & metaphysica & de anima sunt. Indignû est itaq; id ingenij* (loquitur de Melanchthone) *in eo nuga-* L. Ep. 100.

rum

rum cœno versari. Melius legitur (Aristoteles) *non intellectus,* (*pro dispensatione*) *quam intellectus.*

De Ethicis Aristotelicis ita nobis suam sententiam promit Lutherus. *Philosophia Aristotelis de virtute morali, de obiecto, de actu, de actu elicito, talis est, quæ nec in populo doceri possit, nec est ad scripturæ intelligentiam vtilis, quia continet duntaxat portenta verborum, non nisi ad contentiones verborum conficta.* Et: *Ethica lectio est planè ad Theologiam, lupus ad agnum.* Deniq; *tota ferè Aristotelis Ethica, pessima est gratiæ inimica.*

To. 2. la. VV. inter acta à Paris. Acad. damn. L. to. 1. Ep. 59. L. tom. 1. VV. lat. in disput. quadam.

Quid de Rhetorica? *Rhetorica exercitatio nullius vsus, nisi velis exemplum Rhetoricæ declamationis cernere, vt si de stercore, vel alia re nihili ingenium, & artem quis exerceat. Ira Dei voluit tot sæcula his nugis & eisdem nihil intellectis humanũ genus occupari.*

L. *Ep.* 100.

Et quid longis verborum ambagibus vtimur? *Duodecima & vltima facies* Regis *faciebus potentis* apud Danielem, *est chaos illud, & ianua patens inferni, incredibili facie spectabilis, vniuersitates inquam, in quibus periuria & abusus nominis Dei sunt introitus. Deinde conuersatio in omne scelus libera & licentiosissima. sub iis tamen peccatis & perditionibus promittitur scientia & sapientia, etiam præstitutis titulis & gradibus vice mercedum. Quid autem præstant tandem? Primùm electiores Christiani populi adolescentes hic prostituuntur, & in patens guttur inferni proiiciuntur, vt per idolum Moloch figuratam hanc perditionem, cui filios & filias olim dilectissimos lustrabant per ignem. Deinde proposito Aristotele, nec ipso rectè intellecto, cum gentilibus & humanis litteris ingenia Christiana occupantur, imo excæcantur & opprimuntur. Et pro verbo Dei, Papæ dogmata tractantur, vt videatur ad Euãgelium funditus exstinguendum, nec astutius, nec efficacius inuenisse Satan commentum, quàm Vniuersitatum erigendarum, vbi sub titulo doctrinæ Christianæ*

L. con. Catha.

non

non nisi pugnantissima doctrinæ Christianæ docerentur, &c. Et mihi sanè hæc facies vltima omnium nocentissima esse videtur.

Hæc & alia cum Lutherus de Aristotele, Aristotelica doctrina, ipsisque vniuersitatibus docuerit, publicisque litterarum monumentis ad posteritatis memoriam consignârit, plusquam mirificum videri potest, quomodo *Lutherani*, si parentis sui doctrinam veritati consonare censent, audeant festum celebrare in honorem Academiæ institutæ, quæ duodecima, & vltima, omniumque nocentissima facies est Regis illius *faciebus potentis.* vel si dicant, jam non esse; saltem à primo suo ortu per octodecim annos talis fuit; in qua, vt & aliis omnibus Academiis *generalissimus Rector non Christus*, si vera dicit Lutherus, *non Angelus Domini, sed Angelus abyssi, id est, mortuus & de mortuis ac damnatis fuit; Aristoteles nimirum, qui in vniuersitatibus regnat.* Luth. li. cont. Cathar.

Et tamen Lutherani lætis vocibus die suæ Academiæ Natali cantitant: *Salue festa dies, toto venerabilis æuo.* obliti illius, quod Helias Witebergensis & Islebicus scripsit, vniuersitates esse vnum ex tribus illis *Væ*, quæ Angeli Apocalyptici mundo inuexerunt. *Quintus Angelus tuba cecinit*; ait S. Ioannes. *Is primus est inter tres*, subiicit Lutherus, *qui tria væ inducturi erant super terram, is est, qui primus Vniuersitates instituit vel confirmauit, quem mihi non facilè fuerit nominare, ita variantibus historiis.* Luth. loc. cit. Apoc. 9.

Ecce qui Academias instituit, *væ* super terram induxit, auctore Luthero; hoc tamen *væ* VVitebergenses solennitate sæculari celebrant. At cum Lutherus nesciret, quis nam primus Academiarum institutor fuerit; subdidit. *Sit quisq; fuerit, Stella de cælo in terram lapsa, vel Alexander de Hales, vel quod magis credo, S. Thomas fuit, qui post Vniuersitates approbatas, & tubam huius Angeli, vel primus, vel*

maximus fuit Auctor inuehendæ in orbem Christianum Philosophiæ, solus Aristotelicissimus, ac planè Aristoteles ipse, in quem velut in terram de cælo à Christo cecidit fretus auctoritate impijssimi illius Angeli(fundatoris primi Academiarum) *eiusmodi studia probantis.* Hæc Lutherus.

Quæ quomodo cum Lutheranorum festiuitate conueniat, equidem non video: nisi fortè dicant isti Lutherum alibi aliter & honorificentius scripsisse de Academiis, & scientiis, præsertim de Dialectica; idq; potissimum in sermonibus conuiualibus, vbi alioquin honorificentissimè & modestissimè (scilicet) de omnibus loqui solet. At quid ad nos, si ipsemet Lutherus sua vineta cædat, & ex eodem ore calidum simul & frigidum efflet? An ideo illa, quæ recitauimus, non scripsit, quia alibi alia scripsit? Antilogias, enantiologias & contradictiones Lutheri in concordiam redigere, mihi nunquam proposui; quia impossibilia mihi non proposui. Inanem laborem capiet, quisquis hoc tentauerit; non secus ac si quis (vtar exemplo Lutheri) conaretur verbum SVM *regulariter* iuxta communium regularum præscriptionem coniugare: *Sum, Jus, sunt.* Aut si quis prouinciam hanc suscipere velit, faciat id aliquis, vt Lutherus loquitur, *Magisterculus* ex illis 64. quos nobis Iubilæus VVitebergensis peperit.

L. serm. conuiu. ti. de art. liberal.

L. serm. conu. tit. de Iurist.

Lut. Ep. 36.

Ego ad alia pergo; in primis ad hoc, an non Academia VVitebergensis auctoritate & consensu summi Pontificis erecta, & ab eodem confirmata fuerit? Hunnius nobis, oro, hanc quæstionem expediat. Sed nil opus Hunnio. Quæstionem hanc iam nobis expeditam dedit senior Facultatis Iuridicæ, in sua Iubilaria oratione: qui ait, Academiam VVitebergensem *Anno supra sesquimillesimum octauo, à Iulio secundo Pontifice Romano, Priuilegiis datis confir-*

confirmatam esse, licet iam antea sub ipsa sua primordia. Anno 1502. à Rainumdo Cardinali, nomine Pontificis, approbata & sedis Apostolicæ auctoritate munita fuisset. Quod si ita est, mirari iterum subit, qua ratione audeant Lutherani celebrare festum Vniuersitatis institutæ approbatione eius; qui, vt Lutherus lingua digna exsecari blasphemat, non est vicarius, sed *Vaccarius Dei in terris*? Qua conscientia repetunt incunabula suæ scholæ ab Antichristo? Hoc enim conuicio summum Pontificem insectantur. *L. lib. cont. Catha.*

Illud etiam perquam scire velim; num priuilegia illa suo in Archiuo Academici adhuc retineant: Et si retinent; qua conscientia retinere possint displomata, vt ipsi credunt; Antichristi? Fortè ideo retinent, quia, vt Zangerus ait; *Raimundus Card. concessit Academicis VVitebergensibus vt Quadragesimalibus & aliis diebus, quibus butyri, casei & aliorum lacticiniorum esus esset prohibitus, duntaxat septimana, qua memoria passionis & mortis Christi celebrari solet, excepta, butyro, caseo & aliis lacticiniis absque conscientiæ scrupulo liberè vescerentur nõ obstantibus decretis generalium vel particularium synodorum: cum in his locis oleum oliuarum non crescat, neq; sine magnis impensis ex remotissimis oris adferri possit, cumque oleum nucum & similium rerum raucedinem, & alia corporis incommoda pariat.* At vix credo diplomata Pontificia asseruari ab istis ob hanc caussam; quia potestas illa à Raimundo Card. concessa durauit duntaxat ad viginti annos. Itaq; cum anno 1502. concessa fuerit, necesse est, vt exspirauerit anno Domini 1522. quo, vt & aliquot antegressis, nacti sunt VVitebergenses longè benigniorem & liberaliorem dispensatorem, Martinum Lutherum, qui etiam carnium edendarum potestatem plenissimam fecit; non modò Quadragesimæ diebus; sed &

in ipsa passioni dominicæ singulari cultu antiquitus dedicata hebdomade; & simpliciter quouis totius anni die; vt proinde Raimundi pro butyro, caseo & lacticiniis Bulla amplius non egeant. Sed satis de his. Hunnium iam grandiloquentia sua subsellia replentem, audiamus; facite, auditores, vt *vacuæ* sint ædes aurium: non aliò mentes, aliò aures conuertantur; sed hoc agant, quod agendum est; ne tantus orator verba incassum fundat; qui vbi narrasset ex omnibus Saxonici Electoratus oppidis pro Academia fundanda VVitebergam delectam fuisse à Principe Friderico, à sapientiæ laude nomen & elogium *sapientis* adepto; præsagiente immensam ex hac schola vtilitatem ad vniuersam Ecclesiam & Rempublicam Christianam exundaturam esse; sic fari pergit.

QVod (a) præsagium sermone suo verè vatidico confirmans D. Fleckus, Monasticæ quidē professionis homo, sed qui nullam in omni vita b Missam celebrasse legitur, ipso die inaugurationis Academiæ pro concione dixisse fertur; ab hoc Albo monte (Witebergam designans) totum orbem Christianum sapientiam esse mutuaturum.

(a) Ne quid celebritati Academicæ desit, ornāda quoq; est vaticiniis & quidem Fleckianis, cuius prædictio similis est Lutheri prędictionibus collectis à Christophoro Walthero, & Ioanne Amsterodamo: præsertim illi, quam Lutherus spiritu Prophetico afflatus effudit anno Domini 1521. in die diuisionis Apostolorum. *Carolum* (V. Imperatorem) *impeti bellis, nihil mirum; nihilq; vnquam habebit prosperum, & cogetur alienæ impietatis pœnam soluere, infelix iuuenis. quod veritatem VVormatiæ malis consultoribus in faciem sic repudiarit: & Germaniam inuoluet calamitate sua quoq;, quod impietati consensit.* An nō verum hoc Lutheri vaticinium? An non Carolus V. post hoc oraculum Italiam, Germaniam, Libyam, Galliam domuit, capto potentissimo Rege; captis

Lut. Ep. 236.

ptis item Illustrissimis Imperii Principibus? Quis ergò de veritate Lutherani vaticinii dubitet? præsertim cum ipsemet Lutherus in Sermon. Conuiual. tit. de Principibus, vaticinationem suam refellat, & mendacii coarguat. Simile prorsus est hoc Flecki vaticinium, nisi quis verum putet ideo, quia ab hoc monte Albo mutuatus est Zwinglius suam sapientiam Zwinglianam: Oecolampadius, Oecolampadianam: Caluinus Caluinianam; Pacimontanus Anabaptisticam; Swenckfeldius, Swenckfeldianam; Seruetus, Seruetianam; Illyricus, Illyricam; alii aliam. Omnium enim Hæreticorum huius æui parens fuit Lutherus, Albi huius montis niger incola. Omnium huius ætatis hæreseων oua posuit Lutherus, quæ postea alii exclu-serunt. Qui enim docet solam scripturam legendam & audiendam esse, contemptis omnibus antiquorum monumentis, spretoq; Ecclesiasticæ intelligentiæ Canone; quam ille fenestram ad peruersas, sceleratasq; opiniones & sectas non pandit?

Vt tamen in specie exempla aliquot sapientiæ, ex hoc albo mõte profectæ indicemus, nouerit lector, hinc fluxisse illam plusquam mirificam sapientiam, quam habet Lutherus in Epistola ad Amsdorffium, his verbis comprehensam: *De animabus tuis non satis habeo, quod tibi respondeam, procliue mihi est concedere tecum in eam sententiam, iustorum animas dormire, ac vsq; ad iudicii diem nescire vbi sint.* En sapientiam Witebergensem, quæ ex animabus glires facit; vel certè somniculosos Epimenides. At ne hæc tanta sapientia nuda sit, vestienda est scripturis. *In quam sententiam*, inquit Lutherus, *trahit me verbum scripturæ: dormiunt cum Patribus suis. Et mortui resuscitati per Christum & Apostolos idem testantur, cum velut à somno euigilarint; ignari vbi fuerint. Nec habeo, quibus hanc sententiam subuertere possim.* Tom. 2. Epist. pag. 44.

En nouam & inauditam huius Albi montis sapientiam, quæ tamẽ, *an vniuersale hoc sit omnibus animabus, non audet asserere, propter raptum Pauli, Heliæ & Moysis, &c. quis enim nouit, quomodo Deus agat cum animabus separatis? Nonne potest eas æquè sopire alternis vel quãdiu voluerit, atq; viuentes in carne sopit? &c. Idem de damnatis sentio, posse aliquas sentire pœnas statim à morte, aliquas verò separari vsq; in illum diem, &c. Verisimile autem est, exceptis paucis, omnes dormire insensibiles.* Hæc Lutherus anno Domini 1522. die octaua Epiphanię. Quo eodem anno die Veneris post Inuocauit ad Fridericum Electorem hæc scripsit Lutherus: *Certò scio, & firmißimè persuasum habeo, verbum* Tom. 2. Epist. f. 304.

bum seu initium Euangelij mei, non à me, sed à Deo profectum esse, & postea. Es muß recht seyn / was ich schreib. *Necessariò rectum est, quod scribo:* vt proinde nemo amplius dubitare queat, num rectum & verum sit; quod de animarum extra corpus statu Lutherus ad Ambstorffium effutiuit: vt nec de illo ad Erfordienses Prædicantes effato: *Quid de mortuis statuerit aut agat Deus, nihil nos scire voluit.*

Tom. 2. Epist. fol. 82.

Ab hoc item Monte Albo manauit illa sapientia Carolstadiana; qua statuit, *gradus* & promotiones in Vniuersitatibus; illicitas esse; & hoc propter illud Matth. 23. *Vos autem nolite vocari Rabbi, vnus est enim Magister vester, omnes autem vos fratre estis.* Quare ipsemet deposito habitu seu Doctorali seu Prædicantico, nolebat amplius salutari Doctor, sed *frater Andreas* seu, vt Lutherus refert, Nachbar Andre: rusticus ex doctore factus; qui Anabaptistic Enthusiasmus occupauit quoq; Philippum, qui Magistri titulo abiecto pistor effectus est: quem Witebergæ imitati non pauci alij, ex Lutheri etiam disciplina enati, multa salute studiis scholisq; dicta, labori manuum se dedere cœperunt; quia scriptum est: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Et, *labores manuum tuarum manducabis, beatus es, & bene tibi erit.* Et quid verbis opus est? Omnia plena erant nouorum fratrum & opificum. Vacabant scholæ; Muta erant pulpita Academica. Imminebat bonis litteris perpetuum ab his fratribus exilium. Sed subsidio accurrit Lutherus ex sua Pathmo, inscio Electore Friderico: Videns enim in quantam, quamque intolerandam messem excreuissent semina Euangelica à se sparsa, cunctandum minimè ratus est; ne spiritus Lutheranus nimium se prodens suo iudicio soricis instar periret. Properandum itaq; fuit; & Euangelio supra modum furenti & in omnia tam sacra, quam profana; tam Ecclesiastica, quam politica; tam litteraria quam mechanica grassanti; frenum iniiciendum, ne, quod dicitur, iumento suo malum sibi arcesseret; & quo in solo exstiterat, in eodem etiam certo exitio interiret.

Luth. Serm. Sympos. Tit. de art. lib.

Lut. in Symp. Colloq.

Quam pulchrè autem hanc suorum metamorphosin dissimulat vbiq; Lutherus, præsertim in Epist. ad Fridericum Electorem; vbi sese excusans, quod ex Pathmo sua, inscio Principe, Witebergam rediisset; caussas tantummodo generales adducit; vlcusque ipsum vix suspensa manu tangit. *VVitebergæ*, inquit, *me absente,*

Tom. 2. Epist.

sente, Satanas irruit in gregem meum, & vt iam vbiq; omnium clamores testantur, idq; verißimè, tantum excitauit turbarum, vt mihi scriptis duntaxat hos tumultus reprimere non sit integrum, sed necesse est me viuum, præsentem, loquentem & audientem ibi agere, adesse, præesse & prodesse.

En quàm cautè insanas Carolstadij & Philippi sui turbas tangit. Cur principi non pandis, quid in specie designarint, potissimum circa litteras, gradusq; & honores Academicos? At non audet Apostata. Norat se harum seditionum primum auctorem, & ex spiritu Lutherani Euangelij spiritum Carolstadianum & Philippicum progeneratum esse. Quid enim Lutherus de Academiis & litteris senserit; satis superq; elucescit ex illis, quæ supra ex ipso Luthero adduximus. *Nonnè Lutherus totam Philosophiam Aristotelicam appellat Diabolicam?* inquit Erasmus. *Nonne idem scripsit omnem disciplinam tam practicam, quàm speculatiuam esse damnatam? omnes scientias speculatiuas esse peccata & errores?* Quid ex huius spiritus Lutherani vberibus suxit Philippus? *Nonne Melanchthon damnabat aliquando scholas publicas?* inquit idem Erasmus. *Nonne paßim & publicè clamabat Pharellus: omnes humanas disciplinas esse inuenta diaboli? Ex isto sodalitio exstiterunt*, ait Erasmus, *qui priuatim atq; publicè docuerunt, disciplinas humanas nihil aliud esse: quàm retia dæmonum; tantūq; profecerunt, vt perquā raros in isto grege conspicias, qui seriò dent operam litteris vel sacris vel profanis: quæstui & voluptati studetur affatim.* Fuit & Argentorati prædicans, *qui disciplinas omnes pro concione damnaret, excepta lingua Hebraica, & paucula portione linguæ Græcæ.*

Erasm. Epist. ad frat. inf. Germ.

Epist. contra Pseudoeuang.

Erasm. ad frat. inf. Ger.

Porrò Spiritus ille Lutheranus & Carolstadianus de exterminandis gradibus & honoribus Academicis non continuit se Witebergæ; sed & Tubingensem Academiam inuasit; vt alias taceam; in qua multis annis huiusmodi graduum collatio, *tanquam ridicula, stulta, & puerilis* intermissa & penitus abrogata fuit; vt testatur Smidelinus; licet culpam non in Lutherum & Philippum, sed in Zvvinglianos cōferat. At esto, relegarint Zvvingliani ex Tubingēsi Academia gradus & honores Academicos. Vndénam hoc hauserunt, nisi ex Lutheri fonte? qui præter alia, quibus ad hoc facinus furiosis exoptatissimam occasionem dedit; Wiclephi insuper articulum tuebatur; qui asserebat: *Vniuersitates, studia, collegia, graduationes & magisteria in eiisdem vana gentilitate introducta esse; & tantum prodesse Ecclesiæ, quantum prodest Diabolus.*

Smid. in orat. qua Candid. quibusdam licentiam cōceßit 1584.

Itaq;

Itaque per Lutherum non stetit, quo minus omnes liberaliũ artium studiosi agerent cum libris, quod Lutherus refert quendam suum contubernalem egisse; qui librorum alioquin negligentissimus & incuriosissimus, cum semel monitis aliorũ inductus librum lectitare cœpisset, vix semihora durare potuit. Qua exacta, ira fremens, codicem abiecit; pedibusq; conculcauit: hac addita increpatione: *An tu me ad insaniam redigere tentas? Studeo, studes, studui, studere habet stultum in supino.* Plura sapientiæ ex Witeberga vbertim profectæ exempla adduci possent. Sed quia breues esse cupimus hæc paucula satis erunt.

Luth. sermo. sympo. tit. de Studiis.

(b) Vbi hoc legitur, nisi in tui similium chartis? An ideò credibile? præsertim cum, vt Zangerus ait in sua Orat. *Fleckus prior fuerit Cœnobii Steinlaußig ad Muldam fluuium prope oppidum Bitterfeld.*

Sic ergo quod felix, faustumq; toti Christianitati (*c*)fuit, (*d*) & est, & vt speramus ac precamur, (*e*)erit etiã ad posteros, ante centum annos, hoc est, anno millesimo quingentesimo secundo, die, qui Lucæ Euangelistæ antiquitus sacer est, hoc celebratissimum emporium studiorũ solenniter excitatum, introductũ, & vt eius ætatis hominibus loqui mos erat, intronizatum est, primo renunciato Rectore, Martino Pollichio Mellerstadio, qui post ad summum honoris gradum in tribus facultatibus superioribus euectus, & (*f*) lux mundi nominatus fuit. De hoc percelebri viro refert (*g*) insignis Theologus, Ioannes Mathesius in concione de Luthero prima funebri, quod cum Mel-

(*c*) Fuisset, nisi flagitios' Apostata faustitatẽ interrupisset.

(*d*) Non est in præsenti.

(*e*) Prophetia Lutherana, hoc est, vana & inanis, peribit falsitas, regnabit denuò veritas, etiam vbi nunc hæresis sceptra tenet. *Fiet enim vnum ouile, & vnus pastor.*

(*f*) Non opinor eo sensu, quo verba hæc Lutherus alicubi Germanicè interpretatur.

(*g*) per Antiphrasin.

Mellerstadius multò antè quàm mutatio Religionis inciderat, audisset in publica disputatione Lutherũ (h) principia scholasticè Theologiæ oppugnantem & demonstrantem, quod scripta Prophetarũ & Apostolorum omni Theologiæ Thomæ, Scoti, Alberti & aliorum eiusdem farinæ scholasticorum lõgissimè sint (i) præferenda; Mellerstadius jam tum Lutheri hac de re cùm argumentationes, tùm solutiones (k) admirari satis nõ potuerit; & aliquando in mensa (l) in hanc vocem eruperit: Hic Monachus vniuersã Ecclesiæ Romanæ (m) reformabit doctrinam. nam insistit (n) scripturæ Prophetarum & Apostolorum, quam nulla Sophistica seu Thomistarum, seu Scotistarum, seu aliorum, quorumlibet Scholasticorum expugnare potest & euertere.

(h) Principia scholasticæ Theologiæ sunt articuli fidei. oppugnauit ergò Lutherus articulos fidei.

(i) Quis hoc vnquam negauit?

(k) Si hoc verum est, tũ satis indicat, se *lucem mũdi* immeritò vocatum esse. Quid enim in Lutheri disputationibus argutum, quid ingeniosum, quod scholasticorũ Theologorum disputationes adeò euerterit, aut euertendas esse significarit.

(l) fortè postquam calices meraciores hauserat.

(m) lege deformabit Et ita fortasse dixit Mellerstadius.

(n) Non aliter ac Arius, Sabellius, Eunomius, Macedonius, Nestorius, Eutyches, Berenarius, Wiclephus, Hussus. Eandem seu fabellam, seu historiolam de Mellerstadio narrat Philippus Præfat. in secundum Tomum Lutheri Lat. Witeberg. Sed aliter ac Hunnius, hæc enim sunt Philippi verba. Cumq; eum (Lutherum) *attentè audirent viri sapientes, Doctor Martinus Mellerstadius & alii, sæpè dixit Mellerstadius tantam esse vim ingenii in hoc viro, vt planè præsagiret mutaturum esse vulgare doctrinæ genus, quod tunc in scholis vnicum tradebatur.* Cæterum siue Philippus, siue Hunnius, siue vterq; mentiatur,

difficile non erat de futuris Lutheri actionibus coniectare; si quis eum propius nouisset. Incredibili enim odio ardebat in Aristotelem; & quod hinc est consequens, etiam in scholasticos Theologos; partim ex arrogãtia, partim ex ignorantia. Et hoc antequam Tragœdiam de Indulgentiis incœptaret. Nam anno Domini 1516. die 8.
Lu.Ep.8. Februarii hæc ad Ioannem Langum Augustinianum scripsit: *Mitto has litteras ad eximium D. Iodocum Isenacensem, plenas quæstionum aduersus Logicam, & Philosophiam, & Theologiam, id est, blasphemiarum & maledictionum contra Aristotelem, Porphyrium, Sententiarios, perdita scilicet studia nostri sæculi. Sic enim interpretabuntur, quibus decretum est, non quinquennio cum Pythagoricis, sed perpetuò & in æternum cum mortuis silentium tenere, omnia credere, semper auscultare, nec vnquam saltem leui præludio contra Aristotelem & sententias velitari & mussitare; quid enim non credant, qui Aristoteli crediderunt? &c. Nihil ita ardet animus, quam histrionem illum (Aristotelem) qui tam verè Græca larua Ecclesiam lusit, multis reuelare, ignominiamq; eius cunctis ostendere, si ocium esset. Habeo in manus Commentariolos in primum Physicorum, quibus fabulam Aristei denuò agere statui in meum istum Protea (*Aristotelem*) pars crucis meæ vel maxima est, quod videre cogor fratrum optima ingenia, bonis studiis nata in istis cœnis vitam agere, & operam perdere. Nec cessant Vniuersitates bonos libros cremare & damnare, rursum malos dictare, imò somniare. Vellem quod & M. Vsinger, vnà cum Isennach abstinerent, imô continerent aliquando ab istis laboribus: plena sunt mihi omnia armaria contra eorum editiones, quas video esse prorsus inutiles.*

Lu.Ep.18. Alibi ad eundem Langum eodem 16. anno. *Dicito istis mirabundis, vel potius mirabilibus* Theologis, *mecum non esse disputandum, an Gabriel hæc, an Raphael ista, aut Michael ista dicat.* Scio quid Gabriel *dicat; scilicet omnia bene, præterquam vbi de gratia, charitate, fide, spe, virtutibus dicit: vbi cum suo Scoto, quantum Pelagisset, non est, vt per litteras nunc proferam.* Hac mente cum Lutherus esset, eamq; non tacitè in præcordiis circumferret, sed lingua & calamo passim proderet; Oedipo nullo opus erat, qui coniiceret, à Luthero, si altiores radices in Academia Witebergensi, & aula Electorali ageret; Aristotelem, omnesq; Theologos Scholasticos, ex Scholis Saxonicis exterminatum iri.

Et

Et hoc suum consilium processu temporis magis atq; magis patefecit, & in rem conferre studuit. Nam anno 17. ita ad Langum scribit. *Sex aut septem Magistrandos paro ad futurum examen, &c. non nisi ad ignominiam Aristotelis, cuius vellem hostes citò quàm plurimos fieri.* *Lu. Ep. 28.*

Tandem anno 18. scribens ad eundem Langum, sperat expulsum iri ex Academia lectiones Aristotelis: & ad Spalatinum suum, putat bonum videri, *vt non modò Physica Thomistica cadat, verùm vt ruat quoq; Logica Thomistica, inq; eius locum substituatur Ouidius Metamorphosiacus*, sic enim loquitur *Metamorphosiacus* Lutherus, quod & in alia Epistola ad eundem Spalatinum fieri optat. Admodum enim *Ouidius Metamorphosiacus* Luthero curæ, cordiq; fuit. Ergo mirandum non est, si qui ex moribus, dictis, & scriptis Lutheri de futuro euentu coniecturam fecerunt. *Lut. Ep. 42.* *Lut. Ep. 78. & 90.*

αὐτίκα μὲν φυτὰ δ' ὕλα ἃ μέλλει κάρπιμ' ἔσεσθαι.

Vrit maturè, quod vult vrtica manere.

Et lupus, etiam in cunis lupus est, aut certè lupulus.

Quòd verò Lutherus hæc omnia ex spissa quadam ruditate & inscitia Philosophiæ aduersus Philosophiam & Theologiam Scholasticam aggressus sit; id vno vel altero exemplo manifestissimum fiet. Demonstrare enim volens suo Spalatino Dialecticam nihil prodesse Theologiæ. *Quomodo*, inquit, *prodest Dialectica, cum postquam accessero ad Theologiam, id vocabuli* (corpus) *quod in Dialectica sic significabat, cogar reiicere, & aliam eius significationem accipere? Corpus in arbore Porphyriana significat rem constantem materia & forma, at tale corpus non potest homini contingere, cum in scriptura corpus nostrum solam materiam significet, non etiam formam, vt ibi: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem occidere non possunt.* Quo, quid imperitius dici aut fingi potest? Passim enim in scriptura vsurpatur vox *corporis* pro composito ex materia & forma, vt 1. cor. 15. *corpora cœlestia, & corpora terrestria.* Inter quæ terrestria corpora vtiq; & homo est. Sic 1. cor. 12. *corpus non est vnum membrum:* & 11. *hoc est corpus meum: Reus erit corporis & sanguinis Domini; non diiudicans corpus Domini*, & plurimis aliis scripturæ locis vocabulum corporis non accipitur pro sola materia, sed pro composito ex materia & forma prout dat esse corporeum, vt proinde nihil insipientius affirmari queat, quam Categoriarum seu logicæ doctrinam Theologo esse inutilem, imò noxiam, eò quod vox *corporis* aliud in prædicamentis, & aliud in *Lut. Epist. 54.*

sacra scriptura significet. Et vt vox *corpus* aliud in scriptura, & aliud in Dialectica significatum haberet; an ideo Dialectica Theologo infructuosa esset, cuius vel maximè proprium est homonymias & ambiguitates vocabulorum in sua significata distinguere?

Pergit ineptire Lutherus. *Deinde intuli, absurdè dici, Angelum nec rationalem, nec irrationalem. Item, quod nullus vsus sit scripturæ hominem vocari sensitiuum, rationalem, corporeum, animatum, & breuiter totum illud commentum arboris Porphyrianæ dixi, & adhuc dico, minus quàm anile figmentum, aut somnium ægrotantium. Deinde & prædicamenta, ac nonnulla alia Philosophiæ, tantum Theologiæ nocere.* Quæ omnia tum bruta sunt & stolida; tum ab omni sensu & ratione aliena, vt suspicer à contubernali Lutheri, de quo supra ex Luthero, migrasse ad Lutherum verbi *studeo* supinum; ab illo inquam contubernali, qui librum pedibus conculcans clamabat, *studeo, studes, studui, studere habet stultum in supino.* Nam si homo secundum scripturam non est *animatus*; cur ergo Gen. 2. dicitur *factus in animam viuentem?* Si non est sensitiuus, cur in scriptura dicitur homo videre, audire, gustare, odorari, tangere? Si corporeus non est; quorsum ergo illud: *corpus quod corrumpitur aggrauat animam?* Et, *seminatur corpus animale, resurget spirituale.* Si homo rationalis non est, hoc est, facultate intelligendi, aliudq; ex alio colligendi præditus; cur in scriptura iubetur quęrere & inquirere Deum, pacem, & id genus alia? An hæc aliter quæruntur & inquiruntur quam ratione, ratiocinatione, discursu, & intellectu?

L. ser. Conu. ti. de studiis.

Nimis longum facerem, si reliqua stultitiæ argumenta, quæ Lutherus in argumentis Philosophicis & Theologicis dedit, persequerer. Quid stultius & stolidius illis syllogismis, si vanitatem materiæ spectes, quos Lutherus proponit Catharino tanquam insolubiles contra primatum Pontificis Romani?

Lut. lib. cont. Catharin.

Nullum cedens portis inferi est petra
Omnis peccator cedit portis inferi
Ergo nullus peccator est petra.

Nullum cedens portis inferi est Ecclesia supra petram ædificata.
Secta Papistarum cedit portis inferi,
Ergo secta Papistarum non est Ecclesia supra petram ædificata.

Omnis papa peccans cedit portis inferi.
Papa peccat,
Ergo papa cedit portis inferi.

Omitto

Omitto reliquos, quibus ita exultat, ita triumphat; quasi nulla penitus vi argumentationes istæ infringi & eneruari possint; cum qui vel à limine Dialecticam & Theologiam salutauit in, promptu habeat non vnam machinam, qua totam istam vanitatem disiiciat & dispergat.

Porrò Lutherum quoq; Hæreticum futurum non adeo arduum erat diuinare siue Mellerstadio, siue cuicunq; alteri perspicacioris ingenij homini. Vt enim olim S. Gregorius Naziãzenus de Iuliano Apostata, qualis & quam pestilens futurus esset, argumentum cepit ex vita & moribus, & tota corporis conformatione; ita ex Lutheri studiis, dictis & factis nullo negotio quiuis colligere poterat, quorsum fastuosus ille & arrogantissimus Spiritus euasurus esset. Vtinam plures Epistolæ exstarent ex illis, quas Lutherus ante annum Domini M.D.XVII. scripsit. Repræsentarent enim nobis, tanquam viuæ imagines, pectus illud Lutheri, iam tum variarum sectarum seminarium; sicut & illæ paucułæ, quæ superant, satis superq; Lutherum nobis depingunt, in quarum vna ad Spalatinum, qua dissuadet, ne Staupitius creetur Episcopus; hæc euomuit. *Non sunt hæc temporaeius felicitatis, vt beatum, imò non miserrimum sit præsulari, id est, pergræcari,* Sodomitari, Romanari. Hæc flagitiosus Apostata. Sed ad Hunnium. *Lu.ep.13.*

Hic ergò Mellerstadius, vt dixi, primus fuit Academiæ Rector, & in Facultate Theologica primus omnium Decanatum gessit eximius (o) Magister noster (vt tum dicebãtur) Ioannes Staupitius Augustiniani Ordinis Eremitarum Generalis per Germaniam Vicarius. De cuius viri laudibus disserere temporis angustia prohibet. Satis est indicasse, quod è tenebris (p) refulgentem (q) Euangelii (r) veritatem (ſ) suo calculo comprobauit, & fideli corde (t) suscepit. Cuius itidem vox de

(o) imò, vt Lutherus loquitur, *Magistrollus nostrollus.*

(p) Tartareis (q) ebullientem. (r) Lutherani. (ſ) falsitatem.

(t) circumuentus dolis &

& imposturis Lutheri. Sed cur taces, quomodo idem Staupitius, pœnitentia ductus, Saxoniam deseruerit, & ad Archiepiscopum Salisburgensem sese transtulerit, vt ipsemet Lutherus scribit in Serm. Epularibus tit. de Doctis? Et quia vltra biennium in illa diœcesi non superuixit, ideò Lutherus mortem illam, tanquam desertæ veritatis Lutheranæ supplicium, interpretatur, vanus nimirum & hic & alibi interpres; *quia placens Deo factus dilectus, & viuens inter peccatores translatus est. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius*; sicut jam antea deceperat.

Luthero memorabilis & vatidica in illis, quas dixi, concionibus Domini Matthesii exstat. (v) Etenim cùm Staupitius anno 1512. nomine Principis Electoris mandaret Luthero, vt summum in Theologia gradum susciperet, (x) Lutherus autem variis in medium allatis rationibus se excusaret, Staupitius festiuo vultu respondisse fertur; Omninò (y) videtur instare mira rerum conuersio, in qua Domino DEO nostro multi obiicientur labores in cœlo & in terra, ad quos expediendos opus erit strenuis & laboriosis Doctoribus; siue ergò viuas, siue moriaris, Deus in consilio suo tuam requirit operam.

(v) Factus est Lutherus Doctor, siue jussu & procuratione Ducis Saxoniæ Friderici Electoris, siue sumptibus cuiusdam matronæ, Vicarii fraude pecuniis interuersis. Quandoquidem illa certam pecuniæ summam, pro alterius fratris ad Doctoratum promouendi subsidio deputauerat Nurenbergæ. Vnde factum est, vt frater ille fraude intellecta, & pecunia illa sibi prærepta, præ dolore & indignatione aufugerit occultè: vt nemo adhuc hodie sciat, quonam peruenerit. Hæc Cochlæus init. Act. Lutheri.

(x) Nimirum Lutherus ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ Doctoris insignia capessiuit. Volens corde, nolens ore, vt solent hypocritæ & auræ popularis cupidi, qualis vel maximè Lutherus. Erphordienses certè Lutherum ob Docturæ gradum Witebergæ susceptum, periurii accusare non sunt veriti, tametsi hoc crimen à se amoliri nititur Epistola ad eos data. Nescio tamen num verè amoliatur. Illud negari

non

non potest, Lutherum fuisse *gloriæ animalculum*, vt ipse de Eckio loquitur, ac proinde excusationem eius meritissimo simulatoriam cēseri.

(*y*) Habemus jam tres Prophetas, Fleckum, Mellerstadium, & Staupitium: At Wittbergenses, nec ex tripode, sed ex Leucorio vaticinantes. Et quidem si Staupitius per miram rerum conuersionem intellexit illam rerum euersionem, cuius Lutherus Auctor exstitit, tum non immeritò judicari posset Staupitius afflatus fuisse à Dæmone illo, quem Lutherus perquam familiarem habuit: Nam cum Lutherus adhuc in Monasterio Erphordiæ degeret, *visus est fratribus nonnihil singularitatis habere*, inquit Cochlæus, *siue ex occulto aliquo cũ Dæmone commercio, siue ex morbo comitiali: tum propter alia quædam indicia, tum præcipuè, quòd semel in choro, cum in Missa legeretur Euangeliũ de eiecto à surdo & muto dæmonio, repentè conciderit vociferãs, Non sum, Non sum. Multorum itaq; est opinio, eum occulta vsum esse familiaritate Dæmonii cuiuspiam, quandoquidẽ & ipsemet talia de se aliquando scripsit, quæ lectori suspicionem de huiusmodi commercio nefariaq; societate ingerere possint. Ait .n. in quodam ad populũ habito sermone, se benè cognoscere Diabolũ, & ab eo se vicißim benè cognitũ esse, seq; plusquã vnũ frustũ salis cum eo comedisse. Et proprium deinceps edidit Germanicè librũ de Angulari, vt vocat, Missa, vbi Diaboli contra Missam disputationẽ secũ habitã noctu commemorat. Sunt & alia non pauca hac de re argumenta, quod etiam corporaliter visus quibusdã fuerit cũ eo cõuersari.* Ita Cochleus init. Actorũ Lutheri. Ab hoc igitur Spiritu instinctũ oportuit Staupitium, si per conuersionem euersionem illam à Luthero profectam intellexit. Solēt autem maligni spiritus ea, quæ facturi sunt, prædicere per suos, vt præscientiæ famam & sibi, & suis concilient.

Quod ad Lutheri operam attinet, ea Deo tam fuit necessaria & grata, quàm opera Arii, Eunomii, Nestorii, Eutychis, & similiũ, qui magnũ operæ pretiũ facerẽt, si opera sua supersederent. Comparat posthæc Hunnius Academiam witebergensem grano sinapis.

Nam à tenuibus principiis cœpta mox felicissimis augmentis omnium spem & exspectationem anteuertit, euocato nimirum ex Erphordiana Academia Luthero, ex Tubingensi porrò Philippo Melanch-

thone

thone. Sub quorum ſanctis & indefeſſis, tametſi (z) diſtinctis (a) ſuo tamen modo coniunctis operis & laboribus, incredibile eſt, quantum paucorum annorum ſpatio creuerit, & in quantam ſe diffuderit amplitudinem, vt eius fama non Saxoniæ limitibus, non Germaniæ terminis, non Europæ finibus clauderetur, ſed vniuerſum Christianum orbem (b) peruagaretur, imò ad aſtra cœlorum vſq; (c) pertingeret: dum & ſacroſancta Theologia priſtinum ſuum adepta decus ex horrendis erroribus regni *Pontificii* paulatim ad primæuam illam ac natiuam primitiuæ Eccleſiæ Apoſtolicæ (d) faciem longè nitidiſſimam reuocaretur; & Philoſophia pariter omnis ab inculta barbarie ſuperiorum temporum (e) vindicata in clariſſimam lucem erumperet.

(z) Benè diſtinctis, quia Lutherus Lutheranus fuit: Philippus Sacramentarius & Zwinglianus. Deinde quia Lutherus nomine ſaltem Theologus erat; Philippus Grāmaticotheologus, vel, Theologogramāticus.

(a) Rectè, quia vt ſanctus Auguſtinus loquitur in Pſalm. 80. *quamuis opinionum varietate diſcordarent, ſimili tamen vanitate colligabantur. Ergò in peius ſibi iſti conſentiunt*, inquit ille idem ſanctus Antiſtes, *quamuis diſſentire à ſe inuicem videantur.*

(b) Eo modo, quo fama Alexandrinæ Eccleſiæ & Academiæ Pragenſis totum Christianum orbē peruagata eſt propter Arium & Huſſum.

(c) Vel quaſi, cur non ſuper aſtra? grandior enim foret oratio.

(d) Ad eam videlicet faciem, quam Theologiæ olim appinxit & affinxit Simon Magus ſola fide hominem juſtificari aſſerens, Cerdo, Ebion, Marcion, Apollinaris, Arius, Eunomius, Eutyches, Neſtorius, & ſimiles. Quæ ſi Hunnio nitida eſt; quæ tandem erit facies fuliginoſa?

(e) videlicet per compendia Philippi, quibus nihil inſulſius & ἀφιλοσοφώτερον. His ita decantatis, & pleno ore dilaudatis proponit prædicans auditoribus conſiderandum admirandum Dei conſilium, vt ipſe putat, quo Witebergam ciuitatem tantulam Romanæ vrbi oppoſuit.

Nec

Nec opposuit tantũ, *inquit Prædicans*, sed ita suis armis instruxit, vt & pugnaret (*f*) feliciter; & gloriosè (*g*) vinceret; & in Dei oculis, conspectuq; beatorum Angelorũ, totiusq; militantis Ecclesiæ de regno Pontificio fracto, debilitatoq; splendidissimos ageret (*h*) triumphos.

(*f*) Multo certè felicius Arius & alij, si qua est in hæresi & oppugnatione veritatis felicitas (*g*) vbi illa victoria? *Portæ inferi nõ prævalebũt aduersus eã.* Christi hæc vox est, quę in æternum inconcussa subsistit. (*h*) *Imaginarios & verbales* triumphos video, quos triumphat Hunnius, quoties lubet, *reales* nullos. Vtar hic iure aduersus ipsum blateronem verbis Lutheri, qui hæc ad suum Spalatinum de disputatione Lipsica Epist. 116. *Quando vnquam auditum est à sæculo, hanc esse gloriam veram & stabilem, quæ seipsam prædicat, & ante tempus iactat? Nonne in hanc sunt prouerbia edita? Encomium ante victoriam; rumor ante salutem.* Hæc Lutherus. Absciderunt sectarij isti ab Ecclesia Romana aliquot orbis particulas; & iam splendidissimos triumphos sibi decernunt, Ne triumpha Hunni; multum tibi tuisq; laboris superest. Nondum deuicit Witeberga Caluinianos, nondum Svvenckfeldianos, nondum Anabaptistas, nondum Seruetianos; nondum alios Hæreticos; & orthodoxorum pauculas dũtaxat prouincias Lutherani cõcordistæ deuicerunt & sub iugum hæreticum coniecerunt; *& tamen fractum iam est regnum Pontificium.* Non frangitur, ô prædicans; stat & stabit vsq; ad *consummationem sæculi;* quia supra immobilem petram fundatum est. Non fregit Arius hoc regnum, non Mahometh, non alij, quorum comparatione culices & muscæ vel locustæ estis; Deficietis, *sicut deficit fumus; sicut fluit cera à facie ignis, sic peribunt peccatores* (hæretici) *à facie Dei. Vidi impium superexaltatum & eleuatum sicut cedros Libani,* inquit beatus Dauid. Quis exitus? *Et transiui, & ecce non erat, & quæsiui eum, & non est inuentus locus eius.*

Verè ausim & possim affirmare, historiis etiam contestantibus, non inclytam Carthaginem, &c. tam pugnasse feliciter aduersus Romam

ſub Ethniciſmo quàm contra illam VVitеberga (*i*) pugnauit ſub Chriſtianiſmo, &c. Fuit (*k*) nequitia regni Pontificij cunctis externis armis ſuperior, ſpiritualis quippe, & in ipſis conſciẽtiarum fibris altiſſimè defixa & radicata. Proinde potentiſſimi quiq; Imperatores operã luſerunt omnem quando (*l*) carnalibus armis Antichriſtum oppugnabant; & è ſolio deiicere moliebantur. Spiritualibus armis opus erat, quibus olim Apoſtoli mundum expugnarunt, nempe (*m*) verbo Dei, tanquam gladio diuini *S*piritus inuicto, &c. Nam (*n*) Dei Spiritu cõficiendus erat (*o*) Antichriſtus, &c. Lutherus ergo ex ſuo (*p*) Muſæolo cum (*q*) precibus ad Deum, tum (*r*) ſalutaribus ſcriptis ſuis, &c. ſtupendum in modum (*ſ*) quaſi tonabat, & fulgurabat, & fulminabat, &c.

(*i*) Atqui ſi fidem Romanam obolere felicitas dici debet, longè felicius contra Romam pugnauit Mahometh, quã Witeberga. Habeat ergo primas huius laudis Mahometh, ſecundas Witeberga, quando ita placet Hunnio.

(*k*) Nota nequitiam prædicantis.

(*l*) Cur ergo toties arma corripuiſtis, & Germaniam bellis turbaſtis? Nihilne vnquam audiſti de bello Schmalcaldio? Nihil de aliis in gratiam Lutherani Euangelij ſuſceptis? Si carnalibus armis abſtinendum; quid ergo ſibi vult illa Lutheri vox? Wirdt nur der Türck auff Rom ziehen / ſo ſehe ichs nicht vngern. Ingratum *mihi non foret, ſi Turca Romam bello peteret.* Serm. Conuiual. Tit. de Turcis. Quid ſibi vult illud Lutheri claſſicum Tom. 1. lat. Witeberg. in Epilogo Epitomes Syluestri ad Lutherum: *ſi fures furca, ſi latrones gladio, ſi hæreticos igne plectimus, cur non magis hos Magiſtros perditionis, hos Cardinales, hos Papas, & totam iſtam Romanæ Sodomæ colluuiem, quæ Eccleſiam Dei ſine fine corrumpit, omnibus armis impetimus, & manus noſtras in ſanguine iſtorum lauamus, tanquam à communi & omnium periculoſiſſimo incendio nos noſtrosq; liberaturi!* Omitto plurima alia huius generis Lutheri celeuſmata.

(*m*) Ergo non verbo Lutheri. Verbum enim Lutheri non erat verbum Dei.

(*n*) Er-

(*n*) Ergo non Lutheri ſpiritu, quia non eſt Dei ſpiritus.
(*o*) Lutheranus videlicet & Hunnianus.
(*p*) Gurguſtiolo.
(*q*) Aſſiduiſſimis nimirum & efficaciſſimis, nam toties orabat domi ſuæ; quoties in ſua pathmo: *Ego otioſus hic & crapuloſus ſedeo tota die*, inquit ad ſuū Spalat. Epiſt. 229. Item Epiſt. 243. *Ego hic benè habeo* (propter lautam culinam) *ſed ſegneſco & langueſco, atq; adeo frigeſco Spiritu miſer.* Ibid. *Adhuc ſum ſtertens & otioſus ad orandū & opponendum.* Et ad Philipp. Epiſt. 234. *Hic induratus & inſenſatus ſedeo in otio, proh dolor, parum orans, nihil gemens pro Eccleſia Dei, quia carnis meæ indomitæ vror magnis ignibus, &c. Octo iam dies ſunt, quod nihil ſcribo, neq; oro, &c.* Quod ergo fecit in Pathmo, hoc fecit & in Muſæo. Sed quibus ſtipatus ſociis? Audi ex Epiſt. 251. quid Lutherus dicat. *Non eſt vnus Satan mecum, vel potius contra me,* (imò tecum, nil opus correctione) & Epiſt. 249. *Adſunt enim multi & mali & aſtuti Dæmones, qui mihi tempus, quod aiunt, eludunt, ſed moleſtè.* Iſti ergo familiares & commenſales Lutheri mirificè inflammarunt mentem eius ad preces; & ad mirificas quoq; preces.
(*r*) In quibus omnia oblita ſunt ſtercoribus, merdis, cacationibus, omnia plena ſuibus; clunibus; latrinis, & id genus aliis ſpurcitiis, vt ſileam Diabolos, qui ſingulas propè pagellas ſturnatim obſident non ſine Diabolicis conuiciis & calumniis in omnes omnium ſtatuum ordines.
(*ſ*) Trotz/botz/blotz/plitz/donder/ po, pu, pa, plump, &c. En tonitrua ex Lutheri cœlo emiſſa; quæ iam olim ipſi quoque Zwingliani non immeritò riſerunt. Tom. 2. operum Zwingl. fol. 376.

Genus dicendi & ſcribendi Lutheri non malè depinxerunt Tigurini Miniſtri in ſua confeſſione his verbis. *Neminem vnquam mortalium Luthero vel fœdius, vel inciuilius, vel inhoneſtius, idque præter omnes Chriſtianæ modeſtiæ, & ſobrietatis terminos, in negotiis illibatæ religionis noſtræ, & aliis magnis & arduis diſputationibus ſcripſiſſe, luce clarius conſtat, nec à quoquam etiam negari poteſt. In omnium enim manibus verſantur Lutheri Heintzius Anglicus contra Angeliæ Regem editus; & alius neſcimus quis Heintzius cum Meinzio quodam in ſpurco ſuo libro, quem Hans Worſt appellari voluit. Accedit his eiuſdem contra Iudæos liber, vbi fæda & ſpurciſſima quadam de Iudæorum bibliis & litteris, quas non legere, ſed vorare illi debeant, deblaterat. Exſtat præterea eiuſdem Schem hamphoras liber prodigioſus, porcorum frequenti-*

mentione, & oleti ac sterquilinii crebra & fœda commemoratione spurcus atq; fœtens, quem si fortè subulcus aliquis (non insignis huiusmodi animarũ pastor) scripsisset, aliquam fortasse, quamuis non adeò splendidam, excusationem mereretur. Hæc Tigurini.

Contemptim Luthero nostro Papicolæ solent obuertere, nullis eum (t)claruisse miraculis.

(t)Meritò Luthericolis Catholici hoc obiiciunt. Nullam enim fidẽ meretur, qui extraordinariam doctrinam inducit, nisi extraordinaria opera faciat. *Probent se nouos Apostolos esse,* acclamat Tertullianus Hæreticis, *dicant Christum iterum descendisse, iterum ipsum docuisse, &c. Sic enim Apostolos solet facere, dare illis præterea virtutem, eadem signa edendi, quæ & ipse. Volo igitur & virtutes eorum proferre, nisi quod agnosco maximam virtutem eorum, qua & Apostolos in peruersum æmulantur: illi enim de mortuis viuos faciebant: isti de viuis mortuos faciunt.*

Tertull. de præscript.

Non malè Erasmus cõparans inter se pseudoeuangelicos & Apostolos: *Apostolorum doctrinam tot res orbi commendabant; cœleste erat ac plausibile quod docebant. Narrabant ea, quæ viderant oculis, audierant auribus, nihil adferebant, quod non erat olim multis modis & figuris adumbratum, & Prophetarum oraculis prædictum. Accedebat tãtus in prædicando consensus. Eadem loquebantur, quia eodem spiritu. Aderat præsentanea miraculorum vis, aderat Spiritus ille igneus, qui sese moribus illorum, atque etiam vultu, oculisq; promebat. Nihil vi gerebant, tantum vtebantur gladio Spiritus. Neminem agebant in exilium: nullius facultates inuadebant, &c: Deniq; non aliter loquebantur apud suos, aliud in tormentis. Adde nunc tot Martyrum mortes. Et tamen talis doctrina tot rebus commendata, paulatim ac sensim occupauit orbem. Vos postulatis vt intra nouem annos mundus aspernetur, quod ante annos mille* (imò longè pluribus) *à Maioribus est traditum, & in vestra dogmata pedibus eat, ac manibus, nulla harum rerum, quas recensuimus, commendati. Quale est autem quod exigitis? vt credamus Ecclesiam annis mille quadringentis caruisse Christo, sed sponso stertente, sponsam pro Deo coluisse laruas, & idola, in sacris literis enarrandis fuisse prorsus cæcam, miracula Sanctorum nihil aliud fuisse, quàm præstigias Dæmonum. Arduum est, quod profitemini,* inquit ille idem, *& Apostolorum negotio durius, quemadmodum antea demonstratum est; nec vos subleuant vlla vel vaticinia, vel miracula.*

Eras. Epist. in pseud.

Quod

Quod si vita quoq; non solum non commendat doctrinam vestram, sed fidē potius abrogat, si neglecta hac commendatione fiduciam in improborum cōspiratione, in seditiosis tumultibus, in maledicis libellis, in armis, in fucis & technis reponitis, piget commemorare quid vobis metuam; sed magis miseret me tot hominum millium, quos ea calamitas inuoluet. Hæc ille.

In sua verò Ecclesia edi signa & (v) prodigia. (x) Valeant illi cum suis prodigiis, quæ à (y) pseudoprophetis, & pseudochristis editum iri, per cooperationem Satanæ; Christus olim discipulis suis prædixit, & Paulus ex Spiritu sancto pronunciauit. Lutherum quod attinet, (z) satis est miraculi, quod vnus ipse propè totius mundi sustinuit impetū, quod solo verbo, (a) sine vllo armorum strepitu, contra omnem humanam potentiam & resistentiam diuinum illud saluificæ religionis opus, (b) Deo excelso fretus, (c) instaurauit, doctrinamq; Christianam non ab errore vno vel alio (d) vindicauit, sed ab erroribus in vnum omnibus (e) in solidum repurgauit: Eoq; sublimius meritò censetur opus, quod de illo jam olim Deus nō vno modo vaticinari (e) dignatus est, &c.

(v) Et quidem euidentissima.

(x) Valebimus, vt spero & opto, etsi non eo sensu, quo tu precaris.

(y) Non sequitur, nisi per Hunnianam consequentiam: Falsi Prophetæ edunt miracula; ergò vbicunq; miracula fiūt, ibi sunt falsi Prophetæ, & falsi Christi. Christus & Paulus prædixerunt fore, vt à falsis Prophetis miracula patrarentur: ergò hæc sunt illa ipsa, quæ in Catholica Ecclesia fiunt. pulchræ consequentiæ.

(z) Similia prorsus miracula fecit Arius, Nestorius, Eutyches, alii.

(a) Falsum. Vnde enim bellum rusticum, nisi à Luthero? vnde Schmalcaldicum, nisi à Luthero, tametsi jam mortuo; sed in seditiosis suis scriptis adhuc viuente, minasq; truculentas spirante?

(b) Diabolo fretus, cum quo noctu disputauit, vt ipsemet fatetur in libro de Missa angulari.

(c) Non corruerat. non ergò instauratore isto egebat.

(d) Non aliter ac Arius.

(e)Planè vt Simon Magus, aut Eunomius. Ne lac quidem lacti similius est; quàm vindices & repurgatores isti Luthero.

(e)Per D. Petrum, opinor, 2. Petri 2. *Fuerunt verò & Pseudoprophetæ in populo, sicut & in vobis erunt Magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum, qui emit eos, Dominum negant: superinducentes sibi celerem perditionem. Et multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur, &c.* & cap. 3. *venient in nouissimis diebus in deceptione illusores, iuxta proprias concupiscentias ambulantes, &c.* Vbi enim in scriptura sacra de Lutheri secta aliquid prænuncietur, præterquam dictis, & id genus aliis locis; nemo poscentibus ostendet.

(f)In Apologia Confessionis Augustanæ sub titulo de votis legitur, quod Ioannes Hiltenius Monachus laudatæ vitæ ac (g) sanctimoniæ à suo sodalitio ob reprehensos quosdam manifestos abusus in carcerem coniectus, dixerit, se has iniurias æquo animo propter Christum tolerare, &c. Sed alius quidam, inquit, veniet, anno 1516. qui destruet vos, nec poteritis ei resistere.

(f)Fide digna historia, quia ex Philippi officina profecta, & ab Illyrico in Catalogo testium feritatis repetita. Sed faciamus esse veram. An ideo impius non erit Lutherus, quia impius eius furor prædictus est à Monacho siue bono, siue malo; siue à bono, siue à malo Spiritu impulso. Certè hæc prædictio non magis iuuat Lutherum, quàm prędictio Sibyllæ Erythréæ iuuit & excusauit Arium; de Arii enim aduentu multis sæculis ante vaticinata est Sibylla, vt testatur Constantinus Magnus in Episto. ad Arium. Non modò boni & bona, sed mali quoq; & mala prædici possunt tam à bonis, quàm à malis, siue id fiat instinctu boni spiritus, siue mali, vt interdum accidere potest.

(g)Nimirum sanctus est apud Lutheranos, quisquis Monasticam vitam carpit & insectatur.

Iam de vaticinio gloriosissimi (h) Martyris Ioannis Hussi, &c. quid dicam? Certè Lutherus ipse, rebus durissimis, dira moliente Papa, dira minitante Cæsare, non mediocriter illo se solatus est. Itaq; in sua (i) glossa super

(h)occurrit, quod aliquoties Donatistis à S. Augustino dictum est. *Cum viuatis vt latrones, mori vos iactatis vt Martyres: qui faciunt opera la-*

super edictum Cæsareum, quod tamen non (k) Cæsari, sed alii cuidã artifici tribuendum censet, scribit his verbis: (l) Sanctus Ioãnes Hussus de me (m) vaticinatus est, cum scriberet ex carcere ad Bohemos: Hodie assabunt anserem (nã Huss anserem significat) post centum verò annos audient (n) canentẽ cycnum; hunc ferant necesse erit.

tronum & Dæmonum, & gloriam sibi vendicans Martyrum.

(i) Si profanus Apostata impudentissimis scholiis Caroli V. tanti Monarchæ decreta exagitare ausus est, veniam dabit nobis Hunnius, si nos orationem sæcularem glossis veris illustremus.

(k) Finxit se nescire, cuius esset edictum, vt eò furiosius in illud debacchari posset.

(l) pertinet iste Sanctus ad Martyrologium Rabi aut Foxi.

(m) Vnde sciuit Lutherus Hussum de se vaticinatum? Quid si vaticinatus est de Carlstadio? Quid si de Zwinglio? Quid si de Oecolãpadio? nam quod paulò plures quàm centum anni à vaticinio vsque ad istos elapsi sunt, id non refert; quia isti Prophetæ chronologiam non semper acu tangunt. Ad ipsam quoq; Lutheri Apostasiam ab incendio Hussi plures sunt, quam centum anni. Sed vaticinatus sit anser ille assandus & vstulandus de Luthero, an ideo Lutherus non erit Hæreticus, quia Hæreticus aduentum eius prædixit? imò S. Paulus de Luthero vaticinatus est tot ante sæcula. 2. Tim. 3. *Hoc autem scito, quod in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, blasphemi, &c. ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes.* De Lutheranis verò temporibus ead. Epist. cap. 4. *Erit enim tempus, cum sacram doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi Magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.*

(n) Qualis cycnus sit Lutherus, quamquè suauiter cantet, docet M. Conradus Andreæ in libellis, quos inscripsit den Schwannischen Luther/ den Sawbern Luther/ den Keuschen Luther/ *Lutherum Cycneum, Mundum, Castum,* Et D. Pistorius in Anatomia sua; Nos item aliquid diximus de canore huius Cycni in Commentariolo super duo Numismata nuper ab Hæreticis cusa. Hoc loco lector vnico huius oloris concentu contentus esto, quem edidit ad finem glossæ

suæ

suæ in duo edicta Cæsarea. Quis ille concentus? Audi. *In fine Christianos omnes* adhortor, seu potius obtestor, vt mecum coniungant preces suas *pro tam miseris & fascinatis principibus, quos Deus citra dubium inflammatus ira, tanquam pestes & alastoras immisit nobis. Ne temere consentiamus ad suscipiendam expeditionem, aut conferendas pecunias aduersus Tyrannum Turcicum, cum Turca longè solertia, consilio, integritate, moderatione nostros principes antecellat. Num sperandum est tam inconsideratis, tam improuidis contra Turcam ducibus omnia secunda fore, qui extremè adeò tentare Deum, & blasphemiis afficere non veremur?* En qualis Cycnus?

(*o*) Ita est. Lutherus manet cycnus grunniens, id est, porcus.

(*p*) Periphrasis Prædicantiũ Lutheranorum.

(*q*) *Esse Martyr non potest, qui in Ecclesia non est, ad regnum peruenire non potest, qui eam, quæ regnatura est, derelinquit,* inquit beatus Martyr Cyprianus.

Et adiecit Lutherus (*o*) da soll es auch bey bleiben/ ob Gott wil. Idem vero Hussus (*p*) ad sanguinariæ illius meretricis Babylonicæ Prælatos, hostes suos, dicebat in die (*q*) Martyrij. (*r*) *Post centum años respondebitis Deo & mihi;* quæ verba Bohemi pòst in (*s*) moneta quadam ad effigiem Ioannis Hussi curarunt procudi & exprimi.

(*r*) Quemadmodum qui amant, sibi somnia fingunt; ita hæretici vaticinia. Quis scit, num verum sit quod primum Hussitæ, postea Lutherani iactarunt? Et certè vera esse nequeunt. Quia nec Deo, nec Husso ob incendium Hussi responderunt Catholici post centum annos. Quod si Hussus tempore Lutheri vixisset, eandemq; doctrinam tradidisset, quam suo tempore tradidit in Bohemia; benignius à Luthero exceptus nõ fuisset, quam Carolstadius, Zwinglius, & alij. Et tamen, quia ante Lutherum vixit, iam *gloriosissimus Martyr* audit: quo titulo isti etiam cohonestarent Zwinglium, si centum annis ante Lutherum suam doctrinam per mundum disseminasset; inq; bello pro suis dogmatis pugnans cecidisset: minimum ab Illyrico in Catalogum testium Veritatis receptus fuisset. Nunc inter *Svvermeros* collocatur, & mille maledictis laceratur.

Totum hoc genus vaticiniorum tam verum non immeritò reputamus; quàm vera erat prædictio, quam olim Huss iactabat his verbis, prout in concilio Constantiensi refertur. *Ecce completa est prophe-*

prophetia, quam prædixerat Iacobus de Theramo, quod anno Domini millesimo quadringentesimo nono surget vnus, qui Euangelium, Epistolas & fidem Christi persequetur, per hæc denotando Dominum Alexandrum, qui in suis bellis mandauit libros VVicleph cremari.

(*s*) Bohemos imitati Lutherani cuderunt & sparserunt nuper numisma de colloquio Ratisbonensi, deque suo ansere, olore, corace.

Imo (*t*) compertum habemus indubiis documentis in Apocalypsi Ioannis cap. 4. & 18. notanter (*v*) incomparabilem hunc religionis vindicem Apostolico vaticinio prænunciatum esse.

(*t*) Vnde verò id compertum habes, nisi ex tuo cerebro? quod tribus Anticyris sanari nõ posse, indubiis documentis doceri potest.

(*v*) Incomparabilis est; quia comparari Lutherus non potest, nisi irregulariter, sicut *malus, peior, pessimus.* Porrò si quis ex Hunnio quærat, quomodo probet Lutherum à sancto Ioanne *notanter*, vt ait, prænunciatum esse; more suo id admodum eruditè probat in hunc scilicet modum. Posthæc vidi alterum Angelum volantem per medium cœli, habentem Euangelium æternum, vt Euangelizaret habitantibus super terram, & omni genti & tribui & populo, ergo Angelus iste *indubiè* alius non fuit, quàm Lutherus; quia quando Erphordia Witebergã volauit, tunc volauit per medium cœli; & ad concionem eius statim ruit regnum Papisticum, ita vt ne stipula quidem de illo supersit. Et licet solis Germanis, iisq; non omnibus Euangelium suum annunciârit, omni tamen genti & tribui & populo illud annunciauit. Quis ergo *indubiis istis documentis* non persuadeatur, ipsum Lutherum sancto Ioanni ante oculos versatum esse tunc, cum visa illa cœlestia vidit? Quod si quis adhuc de rei veritate ambigat, en alteram demonstrationem.

Quia posthęc vidit sanctus Ioannes alterum Angelum descendentem de cœlo, habentem potestatem magnam, & terra illuminata est à gloria eius, & exclamauit per fortitudinem voce magna dicens: cecidit, cecidit Babylon magna; quis ergo dubitet, quin Angelus iste fuerit Lutherus, qui tomis suis, præsertim Thalia sua seu opere mensali totum mundum contaminauit *stercoribus, porcis, podicibus*, & impleuit *suibus, meretricibus, Diabolis,* criminationibus, conuiciis, calumniis, sarcasmis, dictisq; de dictis melioribus, quibus

Q parasiti

parasiti Plautini & Terentiani menstruales dapes olim sibi comparassent. Ergò vt conclusionem in *omnem sempiternitatem Hunnianam* inconcussam hinc inferamus; irrefragabilis euentus edocet his tam illustribus vaticiniis *Lutherum, ceu digito, palam notatum esse.* Nec est hæc res amplius in quæstionem vocanda. Quia demonstrata est ab Hunnio.

Hic ergo (x) heros inuictus per occasionem (y) turpissimæ nundinationis Indulgentiarũ Papalium, &c. Cum Romano Pontifice congressus est. (z) At quis homo? (a) Cum quo hoste? (b) Quibus armis?

(x) Si Heros, ergo semideus: Quia Heroës sunt semidei. At qualis? Fortè Faunus, quia Fauni proles, vt non nemo putat.

(y) Imò turpissimæ æmulationis. nam Dominicanos in promulgatione Indulgentiarum sibi antepositos esse, ægerrimè tulerunt Fratres Augustiniani, inquit Cochlæus, inprimis Ioannes Staupitius, &c. & Martinus Lutherus, veluti præcipui duo gregis sui arietes.

(z) Non homo, sed monstrum hominis.

(a) Cum Pontifice Romano, Christi vicario; quem, cum hostis non esset, sed Pater, Lutherus pro hoste habuit.

(b) Mendaciis, dolis, audacia, impudentia, criminationibus, conuiciis fermè plusquàm Diabolicis, fauore Aulicorum, præsertim Spalatini, per quem aditus ad Electorem Fridericum patuit, vt & per Staupitium; *qui principi sese insinuauit familiarius*, inquit Cochlæus, *instillans eius pectori frequentes indulgentiarum abusus, & quæstorum ac commissariorum scandala, &c. Lutherus verò ardentioris naturæ, magisq; iniuriarum impatiens, arrepto calamo, mox ad Germaniæ primatem Archiepiscopum Moguntinum & Magdeburgensem in eandem sententiam indignabundus scripsit Epistolam, &c.* Tandem subdit Cochlæus. *Confidebat ingenio & eruditioni suæ Lutherus, atq; etiam potentiæ & gratiæ sui protectoris Ducis Friderici Electoris, & vafris Staupitij sui consiliis ac practicis.*

Nimirum homo (c) imbellis, cum illo præpotenti Monarcharum omnium Monarcha, &c. solo fretus (d) Dei præsidio, solius scripturæ (e) armatus gladio, &c. Neq; verò solum-

(c) *Filii hominum, dentes eorum arma & sagittæ & lingua eorum gladius acutus.* Ps. 56.

(d) Diaboli, Spalatini, Staupitii, imperiti vulgi.

ſolummodò ſigna contulit, & eminus fortè ſcriptorium illum calamũ vibrauit, ſed cominus conflixit, Leoninam, in qua ſe ille (*f*) Cumanus abdiderat, &c. (*g*) extra portam Elſteranam huius oppidi, flammis vltricibus exuſſit, &c. Et qui ſæculis anteactis putabatur eſſe omnium ſanctiſſimus, &c. hunc *L*utherus ex (*h*) indubitatis teſtimoniis (*i*) Spiritus ſancti demonſtrauit eſſe nobilẽ illum in Prophetarum etiam ſcriptis decantatum (*k*) Antichriſtum, eſſe hominem illum ſceleroſum, eſſe filium illum perditionis, &c. (*l*) Hoc pacto Chriſtus Ieſus ſine manu, quod Daniel prædixit, ſolo Euangelii verbo, atq; ſic oris ſui Spiritu conficere cœpit Antichriſtũ in cordibus (*m*) Electorũ, &c. Quidquid enim (*n*) Deo duce ac preſide, Lutherus præclarè geſſit, eius non minimam ſibi depoſcit partem illuſtris hæc ciuitas ſcholaſtica, cuius ipſe (*o*) membrum fuit apprime nobile, eoq; meliori jure ſe in huius glorię communionem offert, quod etſi *L*utherus (*p*) ſolus iſtius (*q*) reformationis fecit initium, tamen ipſius collegę & (*r*) παραστάται, Academię noſtræ ciues, arduos illius conatus ſuo quiſq; loco (*s*) fideliter juuerint.

(*e*) Planè inſtar Arii, Neſtorii, Eutychis.

(*f*) Epitheton Hunnii.

(*g*) De hoc Lutheri ſacrilegio fusè egi lib. 1. de jure prohibendi libros noxios. Hic tantum illud Lutheri addo, *non eſſe artis, neq; ingenii papyrum* (jus Canonicum) *exurere, quod lixæ noſtri & pincernæ etiam poſſunt. Ignis* (*aiunt*) *non ſoluit argumẽta.* Hæc contra Latomũ Lutherus: quæ valent in illum, jus Pontificium exurentem; non in Catholicos opera Lutheri concremantes.

(*h*) vbi illa teſtimonia?

(*i*) Non Sancti, ſed Diabolici.

(*k*) Elogia Lutheri & Hunnii.

(*l*) Tàm verè hoc prædicat Lutheranus de Luthero, quã verè Zwinglianus de Zwinglio; Caluinianus de Caluino; Seruetianus de Serueto; Arianus de Ario. Scilicet quod Dæmonis ope effectum eſt, id ad Chriſtũ tanquam ad auctorem, referre oportet; vt turpitudo facinoris ſpecioſo Chriſti & verbi diuini nomine veletur.

 (*m*) tali-

(*m*) Talium Electorum, quales olim erant Electi Manichæi.
(*n*) Illéne quidquam, Deo duce ac præside, egit; qui publicè dixit coram Illustrissi. Ducis Georgii Consiliariis, quodq; ex dicentis ore excepit D. Emserus: *rem istam non esse propter Deum cœptam, nec propter Deum finiendam.* Quo nihil verius ex Lutheri ore exiit. Vide Cochl. in Act. Luth. anno 1518.
(*o*) Tale videlicet membrum, quale struma in corpore, & latrina in domo.
(*p*) Non solus, nam *non vnus Satan mecum est*, inquit alicubi Lutherus.
(*q*) deformationis.
(*r*) Fortè legendum: parastantes.
(*s*) Præsertim Carlstadius & Islebius; quibus Lutherus quoq; debitam & fidelem mercedem persoluit. Nam Carlstadio postquam multum in vinea Lutherana laborarat, hos denarios annumerauit. *Carlstad est Diabolus*, Schwermer/ Rottengeist/ Falscher/ böser Geist/ mörderischer Geist/ der Bubenstuck treibet/ Bildstürmer/ Judischer Heylig/ Bub in der Hautt/ dem ein Fürst soll den Kopff vber ein kalte Klingen habē laßē hupffen/ ꝛc. Ein Heyd/ Gauckler/ Narr/ Peter vonn Naschhausen/ den der Teuffel reit/ voller Teuffel. Omitto id genus alia sine modo & more maledicta. In libro wider die himmlischen Propheten. At Islebio his nummis satisfecit: Toller dürstiger Narrenkopff/ ein stoltznarrichen/ tollnarrichen/ zornigs Teuffelin/ Narr grickel/ den der Teuffel reüttet/ Meister Grickel/ verlogen Maul/ falscher Mensch/ ohnmächtiger ellender Maußkopff/ Meuchler/ Leckerlin/ Lugner/ Zweyzüngiger Judas vnd Verräter/ ꝛc. Prætereo alia, quæ plena manu in Islebium coniicit tam in Sermon. conuiualibus, quàm in libro inscripto: Bericht von M. Jßleben.

Aliam olim monetam miserat Lutherus ad Islebium, vel potius ad vxorem Islebij puerperam, & ad infantem recens natum. *Aureum vnum offeres*, inquit Lutherus Epist. 227. ad Islebium, data *ex regione volucrum*, (sic enim nominat suam Pathmon) *recenter natæ proli, alterum matri puerperæ, vt vinum bibat & lacte abundet. Ego enim præsens, fuissem compater omnino*, Sed hæc olim fuerunt.

Postea

Postea, aliis temporibus succedentibus alia salaria operariis Lutheranis distribuenda erant: Nunc ad propositum. Confert Hunnius Lutherum cum Iulio Cæsare; Alexandro Magno, Hercule. Non vitupero collationem; dummodo lector norit, similitudinem præcisè in hoc consistere, quod, sicut Iulius Cæsar & Alexander impij fuerunt, & à Deo alieni; libidinibus spurcitiisq; & rapinis dediti; ita & Lutherus impius, à verò Deo alienus; omniumq; libidinum cœno contaminatus fuerit. Optima item comparatio Lutheri cum Hercule, præsettim furioso. nisi quod Lutherus ipso furioso Hercule furiosior videtur.

Sed valeant Ethnici, *clamat prædicans.* Nos comparationem multo digniorem instituemus præstantissimi huius & ad posteros celebrandi κατορθώματος cum aliis (t) Augustissimis, & à primo æuo decantatis operibus, in Ecclesia gestis perfectisq;.

(t) Vulgo dicitur diametrum non esse *commensurabilem* & *comparabilem costæ.* Pari modò Lutheri facta incomensurabilia sunt factis sanctorum virorum; cum quibus conferri nullo modo possunt. Hinc frustra est prædicans cum Lutheri euersionem & desolationem contendit cum facto Moysis Israelitas ex Ægypto educentis. Lutherus enim Christianos in Ægyptum induxit, cum antea in terra promissionis degerent. Itaq; si legitima comparatio instituenda est, comparandus erit Lutherus cum Iohanan filio Caree, Hier. 43. *Tollens enim Iohanan filius Caree & vniuersi Principes bellatorum vniuersos reliquiarum Iuda, qui reuersi fuerant de cunctis gentibus, ad quos fuerant ante dispersi, vt habitarent in terra Iuda, viros & mulieres, & Paruulos & filios Regis, &c. Et ingressi sunt terram Ægypti, quia non obedierunt voci Domini.* Ita etiam fecit Lutherus; qui ex Ecclesia tot millia eduxit, & in Ægyptias tenebras coniecit contra expressum Domini mandatum. Conferatur insup cum Rege Babylonico filios Israel Hierosolymis Babylonem; hoc est; ad omnium rerum confusionem transportante: & cum Nabuzardan Principe militiæ *incendente domum Domini, & domum Regis, & omnes domos Hierusalem;* cumq; reliquis Chaldæis, qui sacrosanctum illud templum expilarunt, Tulerunt enim *lebetes, & creagras, & psalteria, & Phia-*

las, & mortariola, & omnia vasa ærea, quæ in ministerio fuerunt; & hydrias, & thymiamata, & vrceos, & pelues, & candelabra, & mortaria, & cyathos. Quotquot aurea, aurea, & quotquot argentea, argentea, &c. Hierm. 52. His aliisq; locis inueniet prædicans viuam spirantemq; imaginem cum ipsius Lutheri, tum actionum eius, maximè quod attinet ad profanationem & expilationem templorum. Nec est quod prædicans longè abeat; vel ad ipsum templum, in quo orationem hanc sæcularem recitauit, oculos conuertat, videbitq; quantus Lutherus sit Chaldæus.

Erasm. Epist. ad Grun.

Non abs re Erasmus, cum nescio quis Grunnius nescio quem Hæreticum cum Moyse conferret. *Si cum Mose conferendus est, edat miracula, & has calamitates, bella, penuriam, pestilentiam suis precibus à nobis depellat.* Idem Hunnio Lutherum cum Mose comparanti dictum volo. Mirificè prædicant isti libertatem in quam asserti à Luthero; excusso ceruicibus iugo. *Excussum est iugum humanarum constitutionum,* inquit Erasmus, *sed vbi sunt, qui submiserunt ceruicem suaui iugo Domini? Et interim constitutiones humanæ constitutionibus humanis, imò parum humanis mutantur. Titulus modò mutatus est; vocatur enim verbum Dei, cæterum res adeo nihil est mitior, vt complures boni viri præferant vltroneum exilium isti magnificè decantatæ libertati. Atque adeo proceres quidam & antesignani huius factionis, cum nondum ad Episcoporum dignitatem, opes ac ditionem peruenerint, tamen eiusmodi specimen de se præbent, vt ego me malim in Episcoporum, quàm in horum potestatem tradere, si detur optio; malimq; Cæsaris potentißimi ferre iugum, quàm quorundam Magistratuum Euangelicorum, quamuis humili sorte. Sic excutiunt iugum hominum, qui vestro Euangelio submittunt ceruicem. Magis vereor ne pleriq; pro graui iugo hominum, portent grauius iugum Diaboli. Excussa est obedientia Episcoporum, sed ita, vt ne profanis quidem magistratibus pareatur. Iactant isti liberatas conscientias. Perfecta pietas habet quietam conscientiam; sed habet & summa impietas. At ego malim irrequietam conscientiam, quam fidei semen perpetuo stimulans non sinat esse tranquillam. Insanabile malum est, quod non sentitur.*

Erasm. Epist. contra Pseud.

Quod igitur ex Antichristi captiuitate, &c. De⁹, &c. (v) beati Lutheri ministerio nos eduxit: quibus laudibus sacrosanctum nomen Dei vehemus? quas gratias agemus?

(v) Beatus est Lutherus sed sicut Arius, Eunomius, Nestorius, Eutyches. Beatus est, non in cœlo, sed in orco, *Foris*

canes

canes, qualis Lutherus, *& venefici, & impudici*, qualis Lutherus, *& homicidæ*, &c. qualis Lutherus, *& omnis qui amat & facit mendacium*, sicut Lutherus. Præclarè S. Basilius Hom. in Psal. 61. *Multi sunt qui actiones improbas laudent, atq; scurrilem, suauem ac lepidum* (damnatũque beatum) *appellent: obscœnis verbis vtentem; vrbanum ac festiuum; acerbum & iracundum, non contemnendum; tenacem atq; à largitione abhorrentem, vt rei familiari optimè consulentem laudibus efferant; profusum ac decoctorem, vt liberalem; impudicum & libidini deditum, vt voluptatibus bellè fruentem, atq; hilaritate præditum. Atq; vt rem vno verbo complectar, vitia omnia vicinas virtutes esse statuunt;* (damnationem beatitudinem) *qui per verborum laudem maledictionem omnem animæ suæ accersunt, vt qui per ea, quæ comprobant, sempiternæ pœnæ obnoxios se reddant.*

Parietes, (x) me Christe, templi huius, ipsęq; valuæ, quæ primas viderunt Theses Lutheri de Indulgentiis, operis, de quo loquimur, admirandi primitias, æterno Deo (y) gratias agere gestiunt, pro hoc ipsius inenarrabili dono atq; munere, &c. Certè diuinum illud opus (z) translationis Bibliorum ex Hebræis & Græcis fontibus in linguã vernaculam, nullus non modò hominis oratione, sed ne quidem (a) Angelorum linguis dignè satis vnquam (b) celebrari potest. Non Oceanus tantam fundit aquarum vim atq; copiam, quantam (c) cœlestis sapientiæ, &c. ex hoc perenni latice scripturæ in nostram conuersę linguã largissimis venis atq; riuis ad fideles emanat. Quæ res, &c. vel sola triumphum sibi (d) festum-

(x) En nouum iuramenti modum.

(y) Non magis quàm parietes templi Hierosolymitani, qnando Chaldæi illud spoliarunt, & profanarunt: imò si quis sensus parietibus illis fuisset, Theses Lutheri in minutissimas partes cõcidissent; & Hunnium hæc deblaterantem lapidibus ex sua compage erutis abegissent, vanitatisq; impudentis coarguissent.

(z) De illis, opinor, Bibliis tibi sermo est, quorũ fraudes, deprauationes & imposturas, si quis particulatim persequi vellet

que diem quodam ſuo iure depoſceret.

vellet, opus naſceretur Iliade maius; quas non modò orthodoxi ſępiſſimè notarunt & dignis animaduerſionibus caſtigarunt; ſed & ipſi Hæretici, Zwingliani præſertim: & Lutheranus ille prædicans, qui Biblia Lutheri virgis cecidit.

(*a*) En hyperbolicum ſuperattendentem.

(*b*) lege, vituperari.

(*c*) Errorum; & inſuper hoc emolumentum; quod etiam mulieres Euangelizant. Nihilne vnquam audiuiſti de Catharina Zellin Argentoratenſi quæ cum non poſſet eſſe *miniſter* veſtræ Eccleſiæ; facta eſt *miniſtra*, & quidem per decennium? Eadem arte Bibliorum vernaculorum dementauit olim Huſſus Boëmicas fæminas, & opifices.

(*d*) Tamen jam Pomeranus, Epiſcopus veſtræ Eccleſię, vt à Luthero nominatur, inſtituit feſtum translationis Bibliorum; quod, vt opinor, incidit in ipſa Bacchanalia. Nullus enim locus in toto Calendario dignior eſt tali feſto. Túne homo tam feſtiuus feſtum hoc ignoras?

Sed & hoc obiter perſtringo, quod ex Witeberga noſtra, ſolennis Eccleſiarum noſtrarum (*e*) confeſſio, in comitiis Auguſtanis anno 30. oblata cæſari, inuictaq; conſtantia defenſa.

(*e*) De illa, niſi me fallit animus, confeſſione loqueris, quam *filii Mempheos & Taphnes*, hoc eſt Prędicantes, *conſtuprauerunt vſq; ad verticem*, vt loquitur Hieremias capit. 2. quæ *in omni colle ſublimi*, & *ſub omni ligno frondoſo* ſeſe tanquam *meretrix*, prædicantibus ſubſtrauit: quam ita vitiarunt & corruperunt, vt præter primū articulum vix inuenire ſit vllum; qui non ſæpius ab iſtis corruptoribus ſit corruptus. vt cum aliunde, tum ex Harmonia Andreæ Fabricii luculentiſſimè patet. Et hæc tam corrupta confeſſio pro integra imperitæ multitudini aliquot annorum decadibus diuendita, dilaudata & obtruſa eſt: donec tandem Concordiſtæ confeſſionem ex Prototypo, Concordiæ inſeruerunt, eiuſq; editione cæteras omnes, fraudesque & corruptelas ſuorum Prædicantium condemnarunt; Etſi neq; in prima Concordiæ editione incorruptam confeſſionem euulgarunt, vt alibi dictum.

Quia verò huc delapsa est oratio, quærere lubet ex Prædicantibus, qualemnam Confessionem Augustanam miserint Constantinopolim, & Constantinopolitano Patriarchæ obtulerint; corruptã an incorruptam? Sinceram an vitiatam? Equidem Præcones Euangelij decebat cum externo Patriarcha, externa in regione, absq; omni fuco & dolo agere, vel ob vetus illud verbum: *Inter bonos bene agier oportet.* Et posset quis primo adspectu censere, Prædicantibus iniuriam irrogari, si quis vel suspicaretur eos Constantinopolitanæ Ecclesiæ aliam quàm incorruptam Confessionem obtulisse.

Verùmenimvero, qui Acta inter Confessionistas & Patriarcham Græcum (in quibus etiam Augustana Confessio continetur) percurrit; is vel inuitus credere cogitur, Prædicantes non modò Germanorum, sed & Græcorum seductores esse. Vitiatam enim, & à Prædicantibus falsatam confessionem Patriarchæ obtulerunt. Et vt Germanos multis annis falsata illa & deprauata confessione ludificarunt; ita & Græcos ludibrio habere conati sunt; obtrusa non confessione Augustana; sed alia quadam, eius larua: Vitiata enim Confessio Augustana; non est Confessio Augustana Cæsari oblata, & à Principibus subsignata; vt rectè ait Hunnius Prædicans.

Vt verò omnibus perspicuum redderent, se cum Græco non agere fide Germana, sed Græca, hoc est fraudulenta & subdola: amputarunt ex ipso falsatæ confessionis vestibulo præfationem protestantium ad Carolum V. Imperatorem. Qua, obsecro, de caussa? An quia Paulus Dolscius tantum Græcè non norat, quantum Præfationi illi in Græcam linguam transferendæ satis esset? Difficile hoc est creditu. Aliam igitur omissæ præfationis caussam subesse oportet. Tametsi quid si transtulisset. Certè non ipsam legitimam & genuinam præfationem transtulisset, sed mutatam, adiectione & detractione corruptam; quæ non est præfatio, qua Carolum Cæsarem in Comitiis Augustanis Principes allocuti sunt, sed alia quædam veræ illius & genuinæ simulacrum? Cum enim Dolscius veram Confessionem in Græcum sermonem non conuerterit; sed falsatam & vitiatam, (vt ex lectione Actorum, & ex eorundem collatione cum Augustana Confessione ex prototypo desumpta, luce clarius elucescit;) Probabilissimum fit Dolscium nobis quoq; & Patriarchæ Græco daturum fuisse præfationem falsatam Græcè loquentem; si dare voluisset. *Hun. lib. de Sacr. præfat.*

Quocirca mentiuntur Smidelinus & Crusius, cum in Epistola ad Patriarcham Constantinopolitanum scribunt, se transmittere compendium quoddam antiquæ doctrinæ, Carolo eius nominis Quinto Augustæ Vindelicorum à Principibus exhibitum. Fallitis, impostores. Nam compendium doctrinæ, quod ad Patriarchã transmisistis, non fuit illud, quod Principes nõnulli Carolo V. exhibuerunt; quia corruptum, deprauatumq;, & à Carolo V. nec visum, nec lectum transmisistis. Mutatum autem compendium doctrinæ vestræ, non est illud Augustæ Imperatori exhibitum, & à Principibus subscriptum; vt disertè non semel fatetur Hunnius.

Mentitur rursus Crusius cum in sua Turcogræcia dicit, Confessionem Augustanam oblatam fuisse *Hieremiæ Patriarchæ, Theodosio Zygomalæ. Metrophani Berrhœæ Metropolitæ. Gabrieli, qui postea factus est Philadelphiæ Metropolita. Simeoni Hierodiacono. D. Michaeli Cantacuzeno, qui sibi in vulgarem linguam transferendam curauit*: non enim illa oblata est; quam Carolus V. vidit, quæq; Confessionis Augustanæ nomen verè habet; sed alia, quam Cæsar nec vidit, nec legit: quam Principes non subsignarunt; Postea enim à Prædicantibus cusa & excogitata est. Vide autẽ miram Confessionis falsatæ felicitatem. Ex prædictis sex Confessionis corruptæ exemplaribus, *vnum in Ibericã seu Georgianam linguam conuersum, in illam regionem abiit.*

Lib. 7. f. 496.

En quanta gloria huius Confessionis. Etiam Ibericè loquitur.

Quid si & Æsopus in Ibericam linguam conuerteretur; an ideò Æsopus non esset? Libri Theodori Mopsuestheni in Armenicã linguam translati sunt; an ideo scelerati, impii & execrabiles non erant? Scire autem velim ex Prædicantibus, an Iberi suum judicium de hac confessione necdum significârint. Aut si significarunt; cur eius non faciunt mundum participem? O si patriarcha perspectam habuisset hanc Prędicantium fraudem in ipsa confessione commissam; quam egregiè illos excepturus fuisset: vel saltem excipere debuisset; si candoris amans, & impostorum osor erat.

Eiusq; sonus ex loco tam illustri tamq; celebri haud aliter in omni Europa percrebuit, (f) atq; Paulus Apostolus à Thessalonicensibus olim sermonem Domini in Macedo-

(f) Atq; olim Thalia Arij ex Alexandria.

nia & Achia cæterisq; locis pertonuisse scribit. (g) Qui dies exhibitæ Confessionis nostræ, &c. ex celebratissimis ante finem mũdi nequaquam postremus est, (h) stabitq; in omnia sæcula Confessio nostra, VVitebergæ primùm septendecim articulis inclusa, dehinc dilatata (i) in totius orbis Christiani oculis atq; auribus clarissimã in lucẽ edita, (k) stabit, inquam, immota prorsus & (l) inconcussa, quamlibet contra (m) insurgat mundus, tumultuetur Antichristus, ringantur Papicolæ, fremat orbis & orcus.

(g) Habemus ergò, aut certè habebimus nouũ festum exhibitæ Confessionis Augustanæ. Fortè etiam Argentinẽses, Memmingenses, Lindauienses diem festum suæ Confessionis exhibitæ solenniter instituent. Ita nec modus nec finis festorum erit; sicut nec Confessionum.

(h) Hunnius propheta qualis Hananias Hierem. 28. & qualis Sedecias filius Chanaana 3. Reg. 22. cornutus videlicet. Et Prophetia eius tam vera, quàm illa quadringentorum circiter vatum: *Ascende* (in Ramoth Galaad) *& dabit eam Dominus in manu Regis.*

(i) Vel quasi.

(k) Aut certè sedebit, aut iacebit.

(l) Ne ipsi quidem Prædicantes hoc permittent: denuò concutient, & turbabunt: neq; enim quietiores sunt antecessoribus suis.

(m) Nil opus insurgere, ruet sponte sua; quia non super Petrum, sed super Philippum ædificata est.

Atq; hic transitum faciamus ad alterum beneficium priori connexũ, merito itidem suo celebrandum. Rectè canit Poëta:

Non minor est virtus, quàm quærere parta tueri.

Magnũ est in Academia nostra (m) cœlitus accensam esse Euangelij (n) lucem, &c. Non minus autem est sacrosanctum illud depositum in

(m) Ex orco.

(n) Lutherani.

tantis furoribus Satanæ & mundi ſartum tectum potuiſſe conſeruari,&c. Quid nõ molitus eſt (o) Diabolus, quo lucem Euangelicæ doctrinę rurſus exſtingueret? Huc ſpectat, quod ſectarios immiſit, quod (p) diſſidia excitauit in negotio religionis conflato (q) infelici certamine (r) ſacramentario, excitato ad oppugnationem doctrinæ ſanæ (ſ) Carlſtadio, pòſt Zvvinglio, Oecolampadio, Suencofeldio, Anabaptiſtarum, aliorumq; fanaticorum multiplici Lerna atq; hydra, &c. Quin idem accidit Luthero, quod Paulus Apoſtolus ſuo tempore futurum ominabatur; ex (t) vobis ipſis exurgent viri, loquentes peruerſa, vt abducant diſcipulos poſt ſe.

(o) Nihil prorſus molitus eſt, vt Lutheraniſmũ exſtingueret; quem fouet & amat, vt ſuum fœtum. Hoc tamen curauit vt Lutheri ſectæ alias ſectas adiungeret; quò ſi qui fortè à Luthero abhorrerent, in alias naſſas & pedicas inciderent.

(p) Et quidem perpetua, à primo ſtatim Euangelij Lutherani ortu vſq; ad hodiernum diem.

(q) Diabolo felix fuit hoc certamen.

(r) Non hoc tantum, ſed & vbiquetario, & plurimis aliis.

(ſ) Horum omnium parens fuit Lutherus. Nec ab alio excitati ſunt iſti, quàm ab excitatore Lutheri. Cur verò in hoc ſectariorum Catalogo non comparet Illyricus? Cur non Philippus, & quidem ante omnes? Philippum enim ſacramentarium fuiſſe, remq; ſacramentariã ſedendo & tacendo plus amplificaſſe, quã alios vociferando & ſcriptitando; non inficiaberis, opinor; & quidem viuo adhuc Luthero, quem inter & Philippum diſſenſio adeo excreuit, vt Philippus Witebergã abire ſtatuerit, comite Caſparo Crucigero, qui ſocius vt ſententia erat, ſic & periculorum & exilij eſſe cupiebat. Sed Lutherus, re intellecta, mox famam compeſcuit, & cum Melanchthone ad ſe accerſito certis legibus tranſegit. Vide Sclüſſelb. lib. 2. de Theolog. Caluiniſt. fol. 101. & ſeq. & fol. 110.

(t) Diſſimilis ſimilitudo. Nam illi; quos alloquebatur Apoſtolus in vera Eccleſia erant. Vnde qui ab illis exierunt, de vera Eccleſia exierunt. Sed qui cum Luthero erant, ab eoq; abiere, ab Apoſtata apoſtatarunt,

tarunt, desertoremq; deseruerunt; facti duplices aut triplices Apostatæ & perfugæ, cum antea simplices tantummodo essent.

Et sicut olim ex Ecclesia Antiochena Paulus Samosatenus, ex Alexandria Arius, ex aliis nobilissimis Ecclesiis alij exorti sunt hæretici; sic ne quidem nostra cathedra Academica potuit ab huiusmodi hominibus prorsus esse immunis, quin post mortem Lutheri (v) nouum exoriretur hominum genus in eadem cathedra, dogmata à Lutheri doctrina planè diuersa profitentium, atq; nihilominus impio conatui (x) nomen obducentium ipsius Lutheri. Hinc (y) noui procusi Catechismi; hinc (z) infelix ille partus, in ipso prope partu ingulatus & confossus, quod στερέωμα seu fundamentum grundtfest sese nominabat; hinc alij venenati libri, quibus (a) Nestorij hæresis velut ex orco resuscitata studiosissimam iuuentutem miserandum in modum inficiebat, ita vt ex (b) VVitebergà sub alieno pallio atq; nomine Caluinismus, longius latiusq; fuerit disseminatus, quàm Caluiniani ipsi suis ex nidis propagare multo tempore potuissent.

(v) Non magis nouum, quam est ipsum genus Lutheranum; nam & hoc & illud ex Nouatoribus constat. Nouo autem hoc hominum genere complectitur Hūnius Petzelium, Crucigerum, Widebramum, Mollerum, Peucerum & alios, quos Schlüsselburgius Antilutheranos Witebergenses nominat. Huc pertinet Philippus; à quo Philippistæ. Maior à quo Majoristæ & Synergistæ. Flaccius à quo Flacciani, omnes nouum hominum genus, si vetustissimo Hunnio credimus. Nec silendus Huberus nouissimus sanè; qui cum Hunnio placita non doceret, solū vertere coactus est.

(x) Lutherus impio conatui suo obtendit nomen Christi & Euangelij, isti nomen Lutheri. Qui nam magis impij?

(y) Ex his Catechismis etiam vnus est ille; quem Antilutherani Witebergenses *ex impuro corpore Philippi*, inquit Schlüsselburg. consarcinatum, *in scholas introduxerunt, mirabili prætextu.*

(z) Displicet Hunnio liber iste, quia reiiciebat vbiquitatem, monstrum illud dogmatis. Et quia approbabat disputationem Ingolstadiensem de Maiestate Christi hominis contra Vbiquistas; quæ secundò Witebergæ typis excusa & iuuentuti studiosæ *tanquam norma sacrorum verborum commendata fuit*, vt ait Schlüsselb. Hoc nimirum prædicanti huic est *cordolium.*

(a) Mendacium. Refellere vbiquitatem non est Nestorianum; vt vbiquistæ, verissimi Nestorianistæ & Eutychianistæ fabulantur.

(b) Si Witeberga Caluinismum tandem perfectè amplexa fuisset; quid aliud egisset, quam quod lupum exuisset, & lupũ induisset, vt de quodam hæretico dicit S. Ambrosius. Vt prior sit paulò mitior, attamen lupus est. Et fermè tantundem est siue quis per Caluinismum, siue per Lutheranismum ad inferos tendat. Ducunt enim ad eundem terminum: Etsi in via nonnihil est discriminis.

Et quidem aliquoties hoc molitus est Satanas, vt Academiam hanc constitueret (c) adamati sui Caluinismi sedem & arcem, ex qua virus suum in orbem Christianum plenis cataractis effunderet: idq; tam immani conatu, vt bis terq; de (d) puritate doctrinæ cœlestis in articulo personæ maiestatisq; Domini nostri Iesv Christi actum videretur & conclamatum.

(c) Diabolus etiam amat Lutheranismum, tanquam primogenitum.

(d) De Vbiquitate; hanc enim intelligit nomine *puritatis.* Atqui sæpius periclitata est Nympha ista inter Hamadryadas pulcherrima, & quidẽ periculosissimè 1571. in Synodo Dresdensi, in qua omnes Superintendentes Saxoniæ, Doctoresque Lipsenses & Witebergenses eam damnarunt *tanquam horribilem profanationem omnium articulorum Symboli & renouationem omnium hæreseon.* Simile periculum prius adierat 1566, & postea regnantibus Antilutheranis Witebergę. *Et Heshusius cum Hoffmanno in Colloquio Quendelburgensi testatus est*, inquit Georgius Sohn Caluinianus Minister, *Vbiquitatem corporis Christi non posse defendi: testimonia Scripturæ, quæ ad probandam Vbiquitatem corporis*

In disp. de omnipræs. Christi Thesi 19.

ris allegantur, deprauari: argumenta item quæ adhibentur, ἀσυλλόγιστα *esse, & nihil concludere: de subscriptione libri concordiæ se & alios quosdam circumuentos, nec candidè, vt in tantis rebus fieri debuisset, secum actum esse: testimonia Lutheri de Vbiquitate in libro Concordiæ omitti debuisse, atq; iterum expungenda esse; deniq; non posse se vel in libro Concordiæ, vel in Apologia acquiescere.* Ita senserunt de bella ista Vbiquitate ipsimet primarii prædicantes.

Semper autem Deus misericorditer respexit hanc verbi sui cathedram, semper (e) ὡς ἀπὸ μηχανῆς tantis malis medicinam fecit, detectis illorum hominum dolis occultis, & machinationibus illorum, prouida cura magistratus, & salutari vigilantia sincerorũ Doctorum (f) repressis ac dissipatis. Interim verò dissensionum istarum caussa & culpa tam (g) non est impingenda doctrinæ per Lutherum nobis redditæ, quàm nec exortæ olim hæreses conferri poterant in doctrinam Apostolorum, &c.

(e) Deus iste ex machina fuit Smidelinus visitator Saxoniæ, qui Vbiquistas & Panistas in sedem suã restituit, expulsis Antilutheranis.

(f) per carceres, exilia, & id genus alia asperiora medicamina: Ita enim actum in Saxonia cum Crucigero, Mollero, Petzelio. Widebramo.

(g) imò impingenda est: quia quidquid est caussa caussæ, id etiam est caussa caussati, quo axiomate ipsemet prædicans alicubi vtitur, si rectè memini. Sed Lutherus est caussa caussæ; nempe suæ doctrinæ, quæ dissensionum istarum directa & per se caussa fuit: ergò est etiam caussa caussati, hoc est, ipsarum dissensionum & prauorum dogmatum Carolstadii, Zwinglii, Oecolampadii, Caluini, Flaccii, Huberi, aliorum. Ex doctrina enim Lutheri per se tanquam ex suo seminario Zizania hæc enata sunt. Ex doctrina autem Catholica, quæ est doctrina pacis & concordiæ, oriuntur talia dissidia non nisi per accidens.

Cæterum vt contra impetum sectariorum Deus hanc almam scholam benignissimè protexit, sic non minus potenter & clementer eam

(h) Mendacium euidens seditiosi Prædicantis. potuissent enim in bello Schmalcaldico Pontificii hanc ciuitatem funditus euertere, jam enim totam in suam potestatem redegerant; an euerterunt?

(i) repetitum mendaciū.

(k) Et quid tandem mali passi estis? Non erant Witebergenses in manu Cæsaris & Regis, quos tu impudens caput, *colluuiei Pontificiæ* adnumeras? Bone Deus, si vobis talis fortuna obtigisset, quas strages edidissetis in Catholicorū vrbibus.

(l) De lenitate victoris facilè id sibi Witebergēses persuadere poterant. si enim viuis pepercit, etiam prædicantibus, mirum non est, si in defunctum nihil seuerius statuit. Vos si vel ipsum Domini sepulchrum, & sacratissima Apostolorum Petri & Pauli ossa in potestate vestra haberetis, longè aliter cum illis ageretis.

tutatus est contra vim omnem hostilem, &c. Certè Pōtificiorum colluuies nullam sub sole ciuitatem tàm oderunt acerbè, (h) tàm cupiūt euersam funditus, quàm nostram hanc VVitebergam; quodq; lapis adhuc manet super lapidem, id non (i) illorū voluntati, sed æterni Dei clementi protectioni acceptum ferendum est. In bello Schmalcaldico, cum post partam victoriam, (k) Cæsar Carolus & Ferdinandus Rex cum Hispano milite oppidum nostrum, adeoq; templum hoc nostrum ingrederetur: quis tum ciuis ab hoste victore & furente milite nō extrema quæuis metuenda esse putabat? Quis (l) sepulchrum Lutheri, &c. quis corpus eius, quis ossa intacta mansura saltem somniare poterat? Sed ecce, Deus misericors, qui corda Regum, &c. in sua manu continet, hosti superbienti, ceu frenum immisit, & diuino suo nutu ceu retinaculo quodam cohibuit, victoriæq; insolentiam sic moderatus est, vt nemo (m) quisquam non modò ciuium, sed ne præsidiariorum quidem militum, qui more belli hostium loco haberi, & ad vnum omnes contrucidari poterant tantillum læderetur: Lutheri quoq; sepul-

ſepulchrũ & cadauer intacta prorſus & inuiolata manerẽt.

Taceo nunc breuitatis ſtudio bellorum motus alios, & (n) tempeſtates Germaniæ ſæuiſſimas, ſub quibus omnipotens Deus hanc ſcholam ſub alarum ſuarum vmbra benignâ (o) protexit, &c.

(m) Hæc lenitas Catholicorũ damnat veſtram crudelitatẽ & ſæuitiam, cuius eſt nemini parcere; ſi quando victoria, etſi exigua, à veſtris ſtat partibus. Et tota hęc orthodoxorum laus, vituperatio & inſectatio veſtri moris eſt, qui non multum abludit à Turcico; profectus à Turco, qui in ſinu veſtro recubat. *Palpa ſinum tuum*, inquit Lutherus ad Lutheranos (nam nos Pontificii vocem hanc tam deteſtabilem non audimus,) *& Turcum palpaſti. Interim Deus eò magis in pœnam, principes in mutua bella tradit, vt nos magis quàm Turcos puniat, quia peius polluimus ſacra quàm illi.* Hæc Lutherus in explicatione ſecundi præcepti?

(n) Quis excitauit niſi Lutherani ſagi & ſagæ, hoc eſt prædicantes & prędicantinm animæ mulieres?

(o) An ignoras *quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit*, & totam tuam Academiam? *Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis juſti judicii Dei* Rom. 2.

Quoniam verò horrendum in modum (p) frendet ac fremit Satanas, tumultuatur ob acceptam plagam (q) Antichriſtus, dira moliuntur, & ſanguinem noſtrum ſitiunt Pontificii, cumprimis (r) ſuitæ, (s) ranæ Apocalypticæ & infernales locuſtæ, quæ ex abyſſo prouolantes (t) accẽdunt & inflammant animos Regũ & Principum in Lutheranos, & nullum non lapidem mouent (etiamſi ſcorpius ſub vnoquoq; dormiat) vt Academiarum Euangelicarum ſta-

(p) Certè nõ contra vos tam fidos ſodales & amicos. Tubam porrò prædicanticam audis lector, & claſſicum ad arma, nõ orationis Epilogum. Quando ad rauim vsq; præcones iſti ſeditioſiſſimè calũniantur & mẽtiuntur; tum primùm pacis ſtudioſiſſimi, imò pacis filii ſalutari & nuncupari volunt: quid enim his clamoribus huius

 prædi-

prædicantis ad perniciosissima dissidia & excidia accommodatius?
(q)Gaudet Antichristus, etsi adhuc in lumbis parentum suorum ob plagam à vobis orthodoxæ fidei inflictam. Et cum venerit, magnas aget vobis gratias.
(r)Epithetum Hunnii & Prædicantium à sue Luthero; qui quantus quantus, sus fuit, à nescio qua Circe in hoc brutum transformatus.
(s)Elogia Sectæ Lutheranæ, vel resonabili Echo teste, quæ rogata, quid est secta Lutherana? Absq: mora respondebit: *Rana.*
(t)omnia hæc prædicantium sunt, non Catholicorum.

tus pulcherrimus turbetur, imò cõuellatur, vt data religioni pax annihiletur, vt nos omnes radicitus exterminemur, & deleamur funditus, vt Ecclesiæ (v) præclarissimè constitutæ sub jugum (x) intolerabile Romani Antichristi retrahantur, vt pestilentiæ cathedra reficiatur, vt vulnera (y) Babylonicæ meretrici (z) inflicta sanẽtur, vt Papatus totus in integrum restituatur, vt (si mundus tamdiu consisteret) ipsi suum quæstorium jubilæũ maiori numero & vberiore quæstu celebrare, deq; nobis deuictis triumphum agere pro suo libitu valeant, idcircò pœnitenti corde te precamur, æterne Deus, Pater Domini nostri IESV Christi, vt delicta nostra, quibus tuam iram sumus promeriti, &c. paternè nobis condones, neq; (a) nobiscum agas secundum peccata nostra, &c,

(v) Vbi præclarissima hæc constitutio, nempe in Hunnianis hyperbolis.

(x) *Vade, & dices Hananiæ* (Hunnio) *Hæc dicit Dominus. Catenas ligneas contriuisti, & facies pro eis catenas ferreas: quia hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel. Iugum ferreum posui super collum cunctarum gentium istarum* (Lutheranarum) *vt seruiant Nabuchodonosor* (Luthero) *Regi Babylonis* (auctori omnis confusionis) *& seruient ei: insuper & bestias terræ* (prædicantes) *dedi ei.* Qualis differentia inter jugum Christi & Diaboli, talis item est inter jugum Pontificis & Lutheri. hoc enim, etiamsi interna duntaxat spectes, infinitis partibus

bus grauius est, quàm illud. Constat quali tyrannide Prædicantes sua ad placita alios cogant, & in eis detineant. Væ illi, qui vel contra mutire ausit, iis potissimùm in locis, vbi Prædicantes sceptra tenent. *Scio quosdam coniectos in carcerem*, inquit Erasmus, Epist. ad frat. infer. Germaniæ, *quod verbum ipsis excidisset in Ecclesiastas* (Prædicantes) *quendam etiam de capite periclitatum. Sibi tutum esse volunt in Episcopos, Reges, & Principes, quidquid libet conuiciorum effundere, experiatur qui velit, an si simili modo debacchetur in Ecclesiastas aut magistratus istorum, impunè sit ablaturus. Ego priuatam quorundam mansuetudinem abundè sum expertus.*

(y) Encomium Matris Hunij. Hunnium enim ex Apostata parente (monacho an sacerdote?) natum esse scribit D. Pistorius. Quæ alia igitur mater eius, nisi meretrix?

(z) Tam pœnitenti, quàm fuit cor Iudæ, cum dixit: *peccaui tradens sanguinem iustum*:

(a) Aget, quia iustus est. Et istæ preces ex corde prædicantico ne nubes quidem penetrant; quomodo cœlum? quæ prædicantem istum non magis expiant, quàm olim Piamina seu Februa sub ipsum festum sæculare populo distribui solita; quæ erant *tædæ*, *sulphur*, & *bitumen*. Et hæc in festum illud sæculare seu Iubilæum Lutheranum; quo verè nunquam cantabitur:

Iam fides, & pax, & honor, pudorq;
Priscus, & neglecta redire virtus
Audet, apparetq; beata pleno
Copia cornu.

Verius illud Hunnio accinetur.

Protinus irrupit venæ peioris in æuum
Omne nefas: fugêre pudor, verumq; fidesq;
In quorum subiêre locum fraudesq; doliq;,
Insidiæq;, & vis, & amor sceleratus habendi, &c.


Quam enim sanctè Euangelici viuant; graphicè depingit vnus ex Iubilariis oratoribus Witebergensibus M. Erasmus Schmidt Græcæ linguæ Professor; qui ipso S. Catharinæ festo, anno Pseudo-iubilæo, hæc ad studiosam iuuentutem verba, præter cætera, fecit. *Vita nostra cum omnium ætatum, tum maximè iuuentutis ea est, vt nomen Dei inter gentes blasphemari faciamus. Tot iam vigent idololatriæ, non externæ illæ, sed internæ, illis nocentiores: Tot audiuntur Blasphemiæ, tot abusus nominis diuini, tot exsecrationes, tot inania iuramenta: tot fiunt*

periuria, tot profanationes sacrorum; tot experimur inobedientias & ἀστοργίας liberorum erga parentes, discipulorum erga præceptores; subditorum erga magistratus: tot iurgia, tot rixas, tot percußiones, tot homicidia, tot adulteria, tot scortationes, tot furta, tot rapinas, tot fœnerationes, tot mendacia, tot calumnias, tot appetitus illicitos, tot deniq; inordinata, vt Iouem fulminibus inermem breui futurum credant Ethnici, si omnia ista vlcisci vellet: nobis verò ipsis mirum fiat, Deum tam patienter & μακροθύμως ista adspicere posse; & nobis multò magis ô secularis Orator.


Lut. tom. 2. Epist. ad Langum pag. 54.

Sed quinti Euangelij arbor non fert alios fructus. Vera est illa Confessio Lutheri de se & suis. *Sumus ijdem, qui antea, duri, insensati, impatientes, temerarij, ebrij, lasciui, contentiosi. Summa, Symbolum illud & insignis Christianorum charitas nusquam prodit: Et fit illud Pauli; regnum Dei habemus in sermone, non in virtute.*

FINIS.



Ad



Ad Lectorem.

SCripſeram hęc iam dudum, viuente Hunnio: Interea, dum editionem differo, deſcendit ille ad cœlum, vnde negant redire quēquam: neq; enim meliora habeo, quæ de prædicante in ſua perfidia exſtincto, mihi polliceri queam: In cuius Iubilæum & abitum cum mihi luſus quidam poëtici ab amicis oblati eſſent, eorum ſpecimē huc adſcribere placuit.

I.

Dum, VViteberga, tuos numerare ſcit Hunnius annos,
Non, VViteberga, ſuam ſcit numerare Fidem.
Hunni, iam centum tua fert Academia ſoles;
Sed tua quot ſoles, dic, habet, Hunne, Fides?

II.

Hunni Romanos imitaris mimice mores:
Roma ſuos ſeruat, tu tibi Mime tuos.
Dum ludis Papas, imitaris perfide Papas;
Nunc imitator obis, nunc imitator abis.

III.

Mortuus in Stygios cùm vergeret Hunnius ignes,
Flens Hunnus, Meus hîc an Paradyſus? ait.

IV.

Infera Saxonios luſtra venatiô ſaltus,
Hunnius in prædam iam parat ire tuam.


Hunnius exspirat, moritur miserabilis Hunnus;
Iamq; miser vixit, iam miser ergo perit.
Immani fauces distende tricerbere rictu;
Pinguior hac nunquam præda futura tibi est.

V.

Hunnius extremam vitæ cùm cerneret horam,
Quam miser est Hunnus! dixit, & ingemuit.
Quid tantum dic Hunne gemis? Te dignior hora
Non fuit illa tibi, quam fuit illa tibi.

Illud etiam te lector nosse velim, hanc eandem Hunnij orationem refutatam iam esse erudito libro Triboniani Cassij à SEESTERVVRT, Moguntiæ excuso; qui fermè effecisset, vt hæc mea in spongiam incumberent. Sed quia postea animaduerti vtrumq; nostrum ad eiusdẽ quidem aduersarij expugnationem, diuersa tamen via tendere; ideo passus quoque sum, vt hæc mea qualiacunque in lucem prodirent.

FINIS.



Disceptatio

IACOBI GRETSERI SOCIETATIS IESV THEOLOGI.

Vtrum verum sit,

ZVVINGLIVM PRÆCIPVVM doctrinæ suæ de Eucharistia caput à Diabolo didicisse.

Cum

REFVTATIONE ARGVMENTORUM, quæ pro defensione Zvvinglij refert Marcus Beumlerus Sacramentarius.



Ad



Ad Lectorem.



Æreses à Diabolo tanquam ab auctore proficisci, docent non vno loco sancti patres. *Videns enim Diabolus templa dæmonum deseri,* inquit S. Augustinus, *& in nomen liberantis mediatoris currere genus humanum, hæreticos mouit, qui sub vocabulo Christiano, doctrinæ resisterent Christianæ. Videns idola derelicta,* ait S. Cyprianus, *& per nimium credentium populum sedes suas ac templa deserta, excogitauit nouam fraudem, vt sub ipso Christiani nominis titulo fallat incautos. Hæreses inuenit, & schismata, quibus subuerteret fidem, veritatem corrumperet, scinderet vnitatem. Rapit de Ecclesia homines, & dum sibi appropinquasse iam lumini, atq; euasisse seculi noctem videntur, alias nescientibus tenebras rursus infundit, vt cum Euangelio Christi, & cum obseruatione eius & lege non stãtes, Christianos se vocent; & ambulantes in tenebris, habere se lumen existiment, blandiente aduersario, atq; fallente, qui, secundum Apostoli vocem, transfigurat se in Angelum lucis, & ministros subornat suos, velut ministros iustitiæ, asserentes noctem pro die, interitum pro salute, desperationẽ sub obtentu spei, perfidiam sub prætextu fidei, Antichristum sub vocabulo Christi.*

S. Aug. lib. 18. de ciuit. Dei cap. 51.

S. Cypr. lib. de vnit. Ecclesiæ.

Porro licet ex testificatione sanctorum Patrum nobis manifestum non esset, quisnam sit magister & institutor Hæreticorum, & ex qua schola hæreses prodeant, id tamen hac ætate, probè exploratum haberemus testimonio ipsorum Hæresiarcharum Zwinglij, & Lutheri, qui publicis librorum monumentis testatum fecerunt, se Diaboli magisterio vsos, & ex intricatissimis nodis exsolutos & expeditos fuisse: quam confessionem non possum non vehementer laudare;

dare; *Est enim benignum & plenum ingenui pudoris, fateri per quos profeceris*, vt iam olim rectissimè Plinius scripsit.

Ergò pudori ingenuo conuenienter, candidè fassus est Zwinglius, cui Doctori profectum suum acceptum referat. Fassus est idem adhuc candidius & liberalius Lutherus. Zwinglij confessionem sæpissimè obiiciunt Lutherani Zwinglianis, & quidem meritissimò, vt hac tota disceptatione planum facere conati sumus. nec, vt opinor, successus conatum fefellit.

Illud autem immeritò agunt Lutherani, quòd non vident manticæ ea, quæ in tergo sunt; quòd inquam obliuiscuntur, qua in schola, & à quo Doctore Lutherus institutus sit; cum tamen Lutherus magistro suo Diabolo *didactron*, seu *Mineural* longè maius & honorificentius persoluerit, & beneficia ab illo accepta ore multò pleniore & sonantiore celebrauerit, quàm Zwinglius.

Nec illud admiratione caret, quòd Zwingliani tam excordes sunt, vt Lutheranis Zwinglio nigrum Doctorem obiectantibus, vicem non referant; illudq; Comici nonnihil mutatum reponant: Vitium quòd de parente nostro prædicatis, id itidem vestro parenti est. In eodem ludo, sub eodem ludimoderatore eductus & edoctus est. Eidem ferulæ manum subiecit, testante id ipso Luthero, non obiter, & quasi aliud agendo, sed accuratè, attentè, sollicitè.

Recitant quidem Ministri Tigurini in Confessione sua aduersus Lutherum ex libro Lutheri *de Missa Angulari* hanc Diaboli cum Luthero disputationem; sed recitant tantùm; non improbant: aut si improbant, ipsam per se disputationem non improbant: sed quædam eius adiuncta, seu circumstantias: vt quod Lutherus, enarrata illa disputatione, valde prædicat vim & efficacitatem Diaboli in loquendo & disputando, quam ait esse tantam, vt puncto temporis animam ex corpore exsoluere possit; eaq; ratione Oecolampadium animam efflasse, & in strato suo exanimem repertum esse. Quare pro Oecolampadij fama, tanquam pro aris & focis, pugnant, Lutherumq; calumniæ & mendacij arguunt.

Illud item vitio vertunt; quòd *tanta cum vanitate & offendiculo coram infirmis de Satana & viribus potentiaq; ipsius disputet*; quasi tantorum mysteriorum minimè sint capaces. Non ergò improbant ipsam disputationem, validosq; atri illius disputatoris lacertos; sed hoc tantùm, quod Lutherus vires magistri sui linguâ vernaculâ tantopere celebrarit. Hoc illos cruciat; nam dogmata, de quibus Diabolus

bolus cum Luthero disseruit, quæq; adeo eidem persuasit; Zwingliani quoq; obuiis vlnis amplectuntur. Missam enim *pro mera Idololatria* reputant; & in Eucharistia Christi corpus & sanguinem *substantialiter* adesse aut adorari negant: quæ prima fuêre capita, à Diabolo Luthero proposita. quæ cum à ministris Tigurinis pleno assensu probentur; non possunt, si constare sibi volunt, congressum Lutheri cum Diabolo, vel si mauis Diaboli cum Luthero, reprehendere, cum suam doctrinam inde hauserint; si non totam, certè partem eius.

Serar. Orat. de disputat. Diaboli cum Luth. excusa Ingolst. 1603.

Verùm de disputatione Diaboli cum Luthero religio fuerit aliquid dicere pòst Nicolaum Serarium nostrum; qui certamen hoc duorum tam insignium lanistarum scita, erudita, & planè Apellea manu nuper depinxit; totiq; mundo spectandum proposuit. Ego Zwinglij cum Diabolo congressum hac lucubratiuncula Lectoris oculis subiicere statui. Multum enim refert nosse; à quibus Hæresiarchæ huius ætatis placita sua acceperint: vt si minus eorum sectatores dogmatum absurditate absterreri possunt ab hæresi; turpitudine certè magistri, & infamia tam nefarij magisterij absterreantur.

Hun. de Cœn. Domin. ca. 14.

Cæterum obseruatione dignissimum arbitror; non modò Zwinglium & Lutherum à Diabolo eruditos & instructos fuisse; sed ipsum etiam Carolstadium sub eodem præceptore meruisse; quod ipse de seipso litteris prodidit; ne nesciremus; *gloriatus enim est*; inquit Lutheranus prædicans Hunnius, *venisse ad se quendam virum, qui monuerit de explicatione verborum cœnæ, quòd vocula (Hoc) eum in modum, quem ipse tradebat, esset accipienda: & hunc virum fuisse patrem cœlestem: Respondit autem Lutherus, virum illum non patrem cœlestem, sed aut Diabolum ipsum, aut certè huius fuisse matrem.*

Suos igitur errores didicerunt Lutherus & Zwinglius determinatè à Diabolo; Carolstadius aut à Diabolo, aut à *matre Diaboli*, interprete Luthero. Docebat autem Carolstadius, *Christum vocabulo Hoc, monstrasse corpus suum, quatenus visibiliter in mensa sedebat, ita vt diceret, porrecto pane: accipite, edite. Deinde manu ad ostendendū Apostolorum oculis corpus suum versa, subiunxerit: Hoc est Corpus meum.* Quæ profectò explicatio manifestè indicat, virum illum, qui Carolstadio apparuit; alium non fuisse, quam eum qui cum vigilante Luthero disputauit; stertentiq; Zwinglio, rebus in arctis, opem tulit. Quis verò iste Zwinglij monitor fuerit abundè ex hac disceptatione cognosces.

Finiam,

Finiam, vbi verbũ addidero de prædicante Hunnio, qui & ipse Zwinglianis Zwinglij somnium opprobrat; immemor disputationis Diaboli cum Luthero; prius rectè, posterius malè: vt & illud, cum has ampullas aduersus Zwinglium effundit: *Indubitatum planè & in omnem perpetuitatem irrefragibile est, Deum articulos doctrinæ, hodiè præsertim, per somnia non reuelare.* Quàm facile occurrere potest Zwinglianus si dicat multò magis indubitatum & irrefragabile esse; Deum per Diabolum non patefacere articulos fidei, eo modo, quo Lutherus scribit, se ex disputatione Diaboli nonnulla cognouisse; quæ ipse pro articulis fidei habet. Illud etiam addet Zwinglianus: Zwinglium nouam explicationem articuli per Somnium didicisse; non nouum articulum: articulum enim prius exstitisse. At quis nescit fieri posse, *vt occultißimorum sensuum, quos ne tenui quidem vigilantes opinatione percepimus, quiescentibus nobis, & vel soporis stupore demersis, intelligentia reueletur*; vt iam olim notauit Cassianus? Hæc respondere in promptu erit cuiuis paulò perspicaciori Zwingliano. Quocirca si quid Lutheranus præco aduersus Zwinglium effectum volebat; minimè inficiandum erat per somnium aliquid cognosci posse, aut solere, quod ad scripturæ, articulorumq; fidei declarationem spectet.

Hun. lib. de Sacrament.

Caß. collat. 14. cap. 10.

Illud potius toto conatu agendũ erat; vt ostenderet, hoc quòd Zwinglius per Somnium didicit; à magistro Lutheri, hoc est, à Diabolo prouenisse; & monitorem illum Zwinglianum aliũ non fuisse; quam qui cum Luthero disputauit; & quidem non semel, sed sæpius; fatente id ipso Luthero his verbis: *Corpus ille* (Diabolus) *perimere vel iugulare nouit. Nec id modò, verum & animam disputationibus suis ita vrgere & in angustum coarctare nouit; vt in momento quoq; illi excedendum sit; quo sanè me quoq;* NON SEMEL, *tantùm non perpulit.* Sæpius ergo Diabolus cum Luthero pedem contulit: Etsi vnum dũtaxat congressum ex omnib' Lutherus præcipuè litteris illustrãdum duxit. In quo Lutherũ succubuisse non vanis coniecturis ducti affirmant Ministri Tigurini; non quidẽ propter illud, quòd Luther' de interitu Oecolampadij scripsit; vt ipsis videtur; sed propter dogmata, quæ sibi à Diabolo persuaderi passus est. Et quia ille idem quẽ supra nominaui Serarius noster libello quoq; Germanico vniuersam Lutheri cum Diabolo familiaritatem & necessitudinẽ egregiè descripsit; ideò rectà me ad Zwinglium confero, & de Luthero, ne verbum quidem amplius addo.

Luth. lib. de Missa Angulari.



Disceptatio

VTRVM VERVM SIT, ZWINGLIVM PRÆCIPVVM DOCTRINÆ SVÆ DE EVCHAristia caput à Diabolo didicisse.

CVM

REFVTATIONE ARGVmentorum, quæ pro defensione Zvvinglij adfert Marcus Beumlerus Sacramentarius.



T rem ipsam statim aggrediamur, omissis omnibus verborum anfractibus; Respondeo; Zvvinglium præcipuum doctrinæ suæ de Eucharistia caput à Diabolo didicisse, nonmodò verum est, sed & verissimum: Cum autem dogma aliquod à Diabolo dupliciter disci possit, primò generatim, & quasi mediatè, quo pacto Diabolus omnium hæreticorum Magister est, omniumq; hæreseon repertor (*quæritur*, inquit Tertullianus, *à quo intellectus interpretetur eorum, quæ ad hæreses faciant? A Diabolo scilicet, cuius sunt partes interuertendi veritatem*) Secundò, speciatim, & velut immediatè: nouerit lector, nos, cum asserimus, Zvvinglium, Diaboli Magi-

Tertull. de præscript. cap. 40.

Magisterio vsum esse; id non tantum intelligere de primo illo & generali institutionis modo; sed & de secundo & speciali. Hunc enim suum tam fidelem & ingeniosum discipulum pleniore gratia (vt & illum alium in Saxonia, Lutherum) lucifugus iste, Tartareusq; professor dignatus est. Ne autem id temerè & absq; argumentis affirmare videamur, ipsa Zvvinglii verba ex libro, quem *subsidium* siue *Coronidem de Eucharistia* inscripsit, exscribemus: re tamen prius paulò altius repetita: vt omnia planiora euadant.

Exstat Tom. 2. oper. Zvvinglii.

Cum Zvvinglius cum suis apud Tigurinum Senatum valdè instaret, vt Missa, omnisq; Eucharistiæ cultus, & veneratio penitus abrogaretur; suamq; illam hæreticam expositionem illorum verborum: *Hoc est corpus meum*, id est, *hoc significat corpus meum*, senatoribus obtruderet; multisq; scripturæ locis comeret & phaleraret; restitit Zvvinglio in faciem scriba quidam, qui hac oratione senatum compellauit, vt refert ipse Zvvinglius, *Equidem, Patres conscripti, non eo sum ordine aut loco, vt mihi coram vobis verba facere liceat, dummodo causa ageretur, quantumuis magna, quæ ad Rempublicam attineret: Cum autem hic animarum salutis cardo verseur, ipsaq; fides periclitetur, cuiusque esse sentio, vt in medium adducat, quæ sentiat. Ego igitur firmiter credens in isto pane verum corpus ac sanguinem edi, testor me in hac esse opinione, neq; me patiar ab ea diuelli, speroq; de vobis, quod nullo pacto sitis me ad opinionem Zvvinglii adacturi, &c.* Et post multa alia, quæ Zvvinglius refert partim à scriba obiecta; partim à se, suisque collegis responsa esse: subiungit Zvvinglius.

Cum ergò duodecimo Aprilis die ad senatum rediremus, atq; vt Missa, in vniuersum aboleretur, ageremus, prodit denuò scriba iste; atq; eandem cantilenam canit. additq;, me quidem sic docuisse,

vt ista vox EST in præsentibus Christi verbis pro SIGNIFICAT posita sit; at ægrè scripturæ testimoniis probauisse ad hunc modum accipi debere. Nam isti sermones; Semen est verbum Dei, Luc. 8. &, Ager est mundus. Inimicus homo est diabolus, &c. Mat. 13. ad hoc propositum nihil faciunt, Christus enim hic parabolicè locutus est, non etiam istic; cum dicit; hoc est corpus meum.

Cum Zvvinglius cum Collegis ad hæc & alia huius generis, quæ obiiciebantur, more suo respondisset, *secutum est*, inquit, *Senatus decretum totius Ecclesiæ nomine ad hũc ferè modum. Eucharistia Deo volente, juxta institutionem Christi, Apostolorumq́ ritum posthac vtiminor. Infirmis, ac in fide adhuc rudioribus fas esto hac vice tantummodo, vetere more vti. Missa in vniuersum sic abolita, antiquata, & ablegata esto, vt ne crastino quidem die repetatur.*

Restabat adhuc haud minimus conatus, quo scilicet exempla proderemus, quæ nulla cum parabola coniuncta forent. Cœpimus ergò cogitare omnia, omnia reuoluere, attamen aliud nihil exemplorum occurebat, quàm quod in Commentario proditum est; aut quod occurrebat, erat illorum simile. Cum verò tredecima Aprilis lux appeteret, visus sum mihi in somno, multo cum tædio denuò contendere cum aduersario Scriba, sicq́ obmutuisse, vt quod verum scirem, negante lingua beneficium suum, proloqui non possem: qui me angor, vt solent nonnunquam somnia fallaci ludere nocte, (nihil enim altius, quàm somnium narramus, quod ad nos attinet: tametsi leue non sit, quod per somniũ didicimus gratia Deo, in cuius solius gloriam ista prodimus) vehementer turbare videbatur. Ibi ἀπὸ μηχανῆς visus est monitor adesse, (ater fuerit an albus, nihil memini, somnum enim narro) qui diceret, Quin ignaue respondes ei, quod Exo. 12. scribitur, Est enim Phase, hoc est, transitus Domini. Protinus vt hoc phasma visum est, simul expergefio, & è lecto exilio. Locum apud Septuaginta primum vndiq́ circumspicio, ac de eo coram tota concione pro virili dissero: qui

sermo-

sermo, vbi acceptus est, quemadmodum paulò post dicemus, omnibus sacrarum literarum candidatis, qui adhuc nonnihil propter parabolæ obstaculum hærebant, omnem nebulam discußit. Factúq; est, vt tribus istis diebus Cœnæ Domini, Parasceues, ac Resurrectionis tantum Pascha Christi celebratum sit, quantum ipse nunquam vidi, eorumq; numerus, qui ad allia, ollasq; Ægyptias respectarent, opinione longè minor esset.

Hæc Zvvinglius paulò tectius & subtiliꝰ, quã Lutherus; q disertis verbis confitetur, eũ, quo cum disputationem iniit, hoc est, Magistrum suum, fuisse Diabolum. Zvvinglius, cautius, vt dicebam; Attamen tam apertè, vt quiuis non obstipæ mentis nullo negotio colligere queat, monitorem istum alium non fuisse, quàm Diabolum: Idq; ostendo primùm testimoniis & auctoritate Lutheranorũ, qui ita sentiũt. nominatim ita sentit & scribit Smidelinus contra Grynæum, & Beumlerum Sacramentarios; Wittebergenses in refutatione orthodoxi consensus, & Schlusselburgius, vt alios prætercam. *Luth. lib. de Missa angul.*

Accipe verba Schlusselburgii. *Narrat ibid: Lauatherus somnium Cinglii somniatoris, quod 13. die Aprilis, anno Domini 1525. consecutum sit, quando Spiritus iste, de quo dubitat Cinglius, num ater vel candidus fuerit (hic astutè gener Lauatherus verba ista soceri sui omisit) ei exemplum suggesserit, Exod. 14. Est enim Phase Domini; vbi EST pro significat exponeretur. Valde Sacramentarii sibi hoc somnio sui præceptoris Cinglii placent, sicut etiam Beza atheos contra Heshusium in blasphema creophagia sua id somnium deprædicat; idq; eam solum ob caussam, vt vniuersæ Ecclesiæ Dei innotescat, quisnam sit ille Spiritus, à quo Cingliani suam opinionem sacramentariam hauserint, nempe spiritus iste tenebrarum ater, qui noctu obambulans lucem fugit. Hic Spiritus fallax sua fallacia somnia Cinglio somniatori inspirauit.* Schluss. lib. 2. Theol. Caluin. f. 76. *Lauath. in hist. Sacram.*

Hæc

Hæc Lutheranorum testimonia, vt apud Zvvinglianos nullius sint momẽti, (tametsi immeritò) apud nos tamen non iniuria plurimùm valent: cum enim Lutherani eum ducem parẽtemq; sequantur, qui & ipse in schola Diaboli strenuè militauit; facilè agnoscunt stylum, genusq; dicendi & docendi, quo Diabolus vti solet: Vnde tanquam probi discipuli illius, qui Diaboli probus discipulus fuit; fidem merentur, cum hoc Zvvinglii dogma à Diabolo profectum esse tradunt.

Secundò idem liquet ex huius suggestionis fine; qui erat euersio Missæ, abnegatio præsentiæ Christi in Eucharistia, veterum cæremoniarum abdicatio, templorũ & Monasteriorum profanatio. vno verbo, desolatio & abominatio, qualis olim à Daniele Propheta propheticè adumbrata; imò & disertè prænunciata est. Licet enim paucis diebus ante hoc somnium Missa à senatu Tigurino interdicta & abrogata fuisset: plurimi tamen adhuc nutabant, & impostori Zwinglio fidem habere renuebant; quos Zwinglius *imbecilliores* & *rudiores* vocat. At vbi hoc somnium Zwinglio obtigit, idq; Zwinglio ipso patefaciente, in vulgus manauit, jam velut ruptis omnibus religionis & conscientiæ repagulis, furor hæreticus furere, & omnia sacra funestare cœpit. Quis ergò dubitet monitorem illum Zwinglii fuisse furuum, non candidum: coruum non cycnum? etiamsi Zwinglius nihil scriberet; quo id, quod volumus, perspicuè probaremus.

Tertiò, falsa interpretatio vel collatio scripturæ nec à bono Deo, nec à bono Angelo proficiscitur. At quod vocula EST, in his verbis: *Hoc est corpus meum*; accipiatur pro *significat*; Etiamsi concederemus in illo loco Exodi 12. *Est enim Phase, id est, transitus Domini*, accipi verbum

bum Est, pro *significat*, id falsissimum est; vt sæpissimè cōtra Zwinglianos demonstratum est; adeò vt hic vsurpare liceat illud Lutheri; & quidem lōgè meliore jure. *Quidquid in Scripturis & Patribus contra nos produci potest, productū & declaratū est. De reliquo manet illos gloria tantum maledicendi, mentiendi, calumniandi, quam cur eis inuideamus, cum nullis aliis virtutibus possint & velint nobiles fieri.* Fieri ergò non potest, vt interpretatio illa à bono monitore, hoc est, à Deo aut sancto Angelo profecta sit.

Vide Bellarm. lib. 1. de Euchari. cap. 11. Luth. Epi. ad Amsdorff. Tom. 1. latino VVitteber.

Quartò, cum Zwinglius ipse dicat, se non meminisse, vtrum monitor iste *ater fuerit an albus*, caussæ nihil est, cur Album fuisse credamus, nam quod aiunt, dubia in meliorem partem interpretanda esse, id non diffitemur; quando dubia non sunt tantummodò dubia & ambigua apud eum, qui agit, scribit, aut loquitur; sed & apud eos, qui agentem vident; scribentem, legunt: loquentem audiunt. Iam vt maximè Zwinglius dubitârit, *ater an albus* monitor fuerit; nos tamen consideratis aliis circumstantiis, minimè dubitamus, sed certissimò nobis persuademus monitorē illum & instructorem fuisse *nigrum*: quare id quod dubium fuit apud Zwinglium; & quod dubiè scripsit; (si dubium fuit, & si dubiè scripsit) non cogimur in bonam partem interpretari: imò non satis prudenter aut religiosè ageremus; si certissimis & euidētissimis argumentis conuicti animum non induceremus credere, monitorem Zwinglii fuisse tenebrosum & stygium.

Quintò. Cur Zwinglius plus exigit à nobis, quàm à se? Cur ipsemet monitoris illud spectrum in meliorem partem non est interpretatus? Cur nobis imponit onus, cui ipse suos humeros subiicere detrectauit? Ipsemet dicit, seu verè, seu fictè, se nescire, vel non meminisse, vtrū monitor ille *ater fuerit, an albus*; Et vult tamen, vt nos albo

calculo album esse statuamus. Idem à nobis efflagitant Zwingliani. Sed cur ipse Zwinglius definitè non dixit, fuisse *album*? Certè vel hac tam aperta assertione non persuasisset nobis fuisse album. *Etenim sæpè illud, quod Apostolus dicit, probatum est euenire: Ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum lucis; vt obscuram ac tetrā caliginē sensuum pro vero lumine scientiæ fraudulenter offundat. Qui nisi humili & mansueto corde suscepti, maturißimi fratris vel probatißimi senioris reseruentur examini, & eorum judicio excußi, aut abiiciantur, aut recipiantur à nobis; sine dubio venerantes in cogitationibus nostris pro Angelo lucis Angelum tenebrarum grauißimo feriemur interitu.* Ita Cassianus. Nunc cum ipse Zwinglius *albus an ater* fuerit, dubitet; postulat à nobis, vt absq; vlla dubitatione credamus fuisse album. Quæ hæc impotentia? ne dicam impudentia?

Cassian. colla. 16. c. 11.

Sextò, Si monitor iste albus fuisset, nemo id melius & certius nosse poterat, quàm Zwinglius; sed Zwinglius id non nouit. Nam *albus an ater* fuerit, se non meminisse dicit; cur ergò à nobis petitur, vt *albū* fuisse affirmemus, cum nostro intellectui seu phantasiæ imago monitoris illius minimè obiecta fuerit?

Septimò. Si Zwinglius putabat suggestionem illam à Deo proficisci; haud sine blasphemia asserere potuit; se nescire, num monitor ille *ater an albus* esset. An nescit, num Deus *ater* sit an *albus*? tenebrosus an lucidus? aut si blasphemiam à suo parente Zwingliani amoliri conabuntur; extremæ inscitiæ suum Euangelistam condemnent oportet; quippe cui exploratum non fuerit num Deus qui habitat *lucem inaccessibilem*; *ater* sit an *albus*.

Octauò. Idem argumentū iisdem viribus in Zwinglium vibrari potest; si ab Angelo bono suggestionem il-

lam

ſam manaſſe credebat. Quæ enim impietas; dicere, te ignorare, *albus* an *ater* fuerit monitor, quem tu Angelum ſanctum eſſe credas? An tam impius eſt Zwinglius, vt Angelum lucis non cenſeat eſſe candidum? aut tam ignorans, vt Angelum lucis neſciat eſſe candidum?

Nonò. Quid ſibi vult illud ἀπὸ μηχανῆς, *Deus ex machina*? Hoc profectò non *albo* ſed *nigro* monitori competit. Nam candidus monitor non venit *ex machina*, ſed ex cœlo: illud enim ex *Machina* propriè illis competit, quorum nominibus & titulis, tanquam numinum, Spiritus ater & infernalis ad mortalium perniciem olim abuti ſolebat. Sic enim olim in tragœdiis Iuppiter, Apollo; aut alius de eadem tribu Deus ex machina quapiam apparebat, nodosq; tanto vindice dignos diſſoluebat. Vt ergò olim fictitii tantummodo dii; & qui Dæmonum perſonam ſuſtinebant, cum fabulæ agerentur, ex machina ſeſe oſtentabant: ita & jam Choragus Zvvinglius, fabulam verè fabuloſam exorſus, & in labyrinthum inextricabilem delapſus, *Deo ex machina*, hoc eſt, *Dæmone*, indiguit; qui impeditiſſimam difficultatem expediret, & & ad improbitatis curriculum abſq; obiice decurrendũ, Zvvinglio viam ſterneret.

Decimò. Cur monitorem illum, ſeu monitoris apparitionem vocat *phaſma*? Hoc enim vocabulũ malè ſonat; cum idem ſit, quod Germanis Geſpõnſt. quod non niſi Diabolicis preſtigiis & illuſionibus tribuitur. Vbi enim apparitio Dei aut ſãcti Angeli in ſacris litteris appellatur phaſma? Ergò hoc etiam vocabulo ſatis ꝓdidit Zvvinglius, quid de monitore iſto ſentiendum ſit.

Vndecimò. Aut mentitur Zvvinglius, cum ait, ſe non meminiſſe, vtrum monitor ille *albus* an *ater* fuerit;

aut non mentitur; si mentitur, vt equidem mentiri existimo; jam vel hinc apparet, quid de hoc mendaciloquo sycophanta statuendum sit. Mentiri autem Zwinglium, inde coniicio, quod longè difficilius fuerit, ipsum locum Exodi à monitore suggestum & insusurratum memoria tenere; quam ipsam monitoris formam intellectui aut imaginationi in somno obiectam. Quis enim credat Zwinglium tam imbecilli fuisse memoria; vt nominatum scripturæ locum animo firmiter com pecteretur? species autem monitoris statim ex mente elaberetur; præsertim cum simul atque hoc phasma apparuit, ipse se expergefactum esse, & ex lecto exiliisse dicat.

Item cum meminerit, atq; adeò etiam litteris mandarit, quomodo cum Scriba Tygurino, aduersario suo, contenderit; Etsi somniando; quomodo item sibi obmutuisse visus sit, vt quod verum sciret, *negante linguæ beneficium suum, proloqui non posset*, nemini verisimile fiet; Zwinglium non meminisse, qua forma monitor ille se conspiciendum præbuerit; maximè cum ex huiusmodi visis nihil tenacius in memoria hærere consueuerit, quam forma. Omni igitur probabilitate caret, quod ait, se non meminisse num monitor iste *albus an ater* fuerit. Sciuit vtique; sed quia dicere non audebat expresse, qualis fuerit, dixit obliquè; & quidem ad perpetuam nominis sui ignominiam: *Sed sic à DEO ordinatum est*, ait alicubi Lutherus, *vt impii semper seipsos confundant*.

Si autem verè nesciuit, aut non meminit Zwinglius, vtrum Magister & institutor sibi missus *ater* an *albus* fuerit; non nisi summa temeritate, in re tanti ponderis institutionem & commonefactionem eius sequi potuit: &

& hoc ipso Diabolica mente se præditum demonstrauit; quòd nouam illam expositionem aduersus totius mundi tunc florentis & vigentis sensum arripuit & disseminauit; quæ tamen, num ab *atro* aut *albo* monitore, hoc est, à Diabolo, an à DEO profluxerit, ignorabat.

Tamne fatuus erat Zwinglius, vt in præcipuo propemodum Christianæ religionis articulo tam ludicrè luderet, aut potius mundo illuderet? Tam fatui ne alii erant, vt Zwinglio ob hanc verborum Dominicorum expositionem tantopere applauderent; cum ipse propalator & præco illius nescierit; vtrum à Deo, an verò à Diabolo esset? Dicent: *Sciuisse à DEO esse*. Mentitur ergò, cum ait, se nescire, num monitor ille fuerit *ater* aut *albus*: aut certè summam & prorsus intollerandam impietatem prodit cum de DEO, aut bono Angelo tam blasphemè loquitur: vt jam supra diximus: vt non attingam spissam illam ignorantiam, si fortè ad aliud responsum confugiant.

Duodecimò. Ipse futilis, friuolus & ludicrus huius somnii describendi modus satis indicat, vno & eodem Auctore somnium hoc & Zwinglio obiectum, & à Zvvinglio in litteras relatum esse. Quis enim vnquam vbi vel DEI, vel Angeli alicuius apparitione & conspectu dignatus est; tam scurriliter & profanè beneficium Dei prædicauit & extulit, vel potius depressit? Apparuit Angelus Domini in somnis Ioseph, cum D. Virginem abs se dimittere cogitaret, inq; hoc cogitationũ æstu fluctuaret. An experrectus cum Zvvinglio dixit. Hæc me de vxoris meæ dimissione cogitãte; ibi ἀπὸ μηχανῆς, ex *Machina* Tragica & poëtica, visus est monitor adesse (*ater fuerit an albus, nihil memini, somnium* Mat. 1.

 enim

enim narro) qui diceret: *quin ignaue noli timere accipere Mariam coniugem tuam.*

Mat. 2. Alia vice rursus apparuit Angelus Domini Iosepho in somnis, monens de fuga in Ægyptum, vt & tunc, quādo reditum ex Ægypto significauit. An hic Iosephus ad Tragicas *Machinas*, ad *phasmata confugit?* An dixit beatæ Virgini: Dormienti mihi visus est ἀπὸ μηχανῆς adesse monitor; *ater an albus fuerit, nihil memini; somnium enim narro;* qui dicebat: *surge & accipe puerum, & matrem eius, &*

Mat. 2. *fuge in Ægyptum;* Absit hæc profanitas tam à Iosepho, quàm ab Euangelista somnia hæc litteris mandante: Vt enim ab Angelo sancto profecta erant; sic non nisi sanctè efferri, & in chartā referri debebant. Alia Zwingliani somnii ratio est: quod quia à *nigro* & stygio monitore manauerat; alia non merebatur encomia. *Satis* superque erat dicere: Visus est *tanquam ex machina* mihi adesse monitor; *albus an ater fuerit*, nihil memini. *Protinus, vt hoc phasma visum est, expergefio.*

Decimo tertiò. Cum Diabolus Principi omnium Lutheranorum, tàm beneuolè, humaniter, & amicè, & quidem, vt probabilissimum fit ex ipsis Lutheri verbis, forma aspectabili; videndum, & audiendum sese exhibuerit, discipulumq; suum cominus tam sedulò instruxerit; non est cur, positis supradictis argumētis ex ipso Zwinglii libro desumptis, inficiemur, Zvvinglio Sacramentariorum huius temporis satori primario, si non similē, certè adsimilem gratiam obtigisse.

Dico adsimilem; Quia carus ille professor Luthero vigilans vigilāti, aspectabilis aspectabili apparere dignatus est: Zvvinglio in somnio duntaxat & per somniū. Et visione imaginaria, seu intellectuali. Quod ideò fortè fecit,

fecit; ne ostensione conspicua sui crebrius repetita, faceret auctoritatis & existimationis suæ aliquam jacturam: nam vt vulgò dicitur, *nimia familiaritas parit contemptum.* Neq; enim niger iste disputator ignorabat illud: *Modus omnibus in rebus est optimum habitu. Nimia omnia nimium exhibent negotium hominibus ex se.*

Ex his igitur planum testatumq; relinqui arbitror id, quod initiò demonstrandum proposuimus; Zvvinglium, præcipuum suum de Eucharistia caput à Diabolo didicisse; placetque, quod Zvvinglius ait: se *hoc in solius Dei gloriam litteris prodidisse.* Verè enim ad gloriam Dei cedit, nosse Zvvinglium, sacramentariam suam hæresin à Diabolo hausisse; & hoc doctore Christum ab Eucharistia ablegasse; celsissimo & sacratissimo Christianæ Religionis mysterio in nudum, elumbe, languidum & emortuum symbolum commutato. Vtinam hoc, quod Zvvinglius ad gloriam Dei se prodere testatur, cæci mortales in ima pectora demitterent, non ita præcipites, & quasi clausis oculis ad interitum, & ad ipsum Zvvinglii Magistrum ruerent.

Exprobrauit olim Tertullianus Hæreticis commertia cum Magis, Philosophis, & id genus aliis. *Notata sunt etiam commercia Hæreticorum cum Magis quampluribus, cum circulatoribus, cum Astrologis, cum Philosophis, curiositati scilicet deditis.* Deum immortalem, quæ verborum fulmina Tertullianus non intorsisset in istos sectarios, si audisset propria vtriusque confessione, ipsos, Diaboli non tantum consortio, sed & magisterio & disciplina vsos; idque ne vllus dubitationi locus relinqueretur, in propriis ipsorum Commentariis legeret; Et alterum itidem, Zvvinglium videlicet, pro hoc tam

Tertull. de præscript. ca. 43.

insig-

insigni beneficio Deo gratias agentem conspiceret. Scribit paracelsus se *cum Auicenna disputasse in faucibus Auerni*, & litteras sibi redditas *à Galeno ex ipso Orco*. Magnum hoc quidem profligatæ mentis argumentum est: sed maius nisi me omnes sensus ludificant; id, quod de se Lutherus & Zvvinglius scribunt.

Et quamuis duo isti Dæmonis discipuli Lutherus & Zvvinglius, eorumq; posteri Lutherani & Zvvingliani hostilibus planè modis se mutuo insectentur & lancinēt, id tamen non impedit, quo minus credamus, vtrumq; ab eodem Doctore in eodem ludo, institutum. Ista enim Phlegethontei Magistri natura est; vt suos discipulos inter se committat, excitatis variis, iisq; portentosis opinionibus; vt si qui fortè hac vel illa minus inescantur; inescētur alia; vt qui esca à Luthero præbita non capitur, capiatur esca Carolstadij; qui non huius, esca Zvvinglij, qui nec huius; esca Pacimontani; aut Serueti; aut alicuius vbiquistæ. *Nihil enim interest illis* (Dæmonibus) *licet diuersa tractantibus, dum ad vnius veritatis expugnationem conspirent*: vt quod de Hæreticis scripsit Tertullianus. Ego ad Dæmones transferam; quorum pax & concordia in hoc duntaxat consistit; vt veritas obliteretur & obruatur; siue iam id fiat per sectam Lutheri, siue Zvvinglij, siue Carolstadij; siue alterius Nonatoris, id susq; deq; habent.

Tertull. de præscript.

Et quia probè norunt, per sectarum diuersitatem, earumq; inter se mutuam digladiationem, veritatem valde obscurari; ea de caussa sollicitè enituntur, vt sectas sectis, sectariosq; ex sectariis procudant; quod ipsis sanè perquam feliciter hoc nostro æuo cessit; quo vix vllum sectarum feracius exstitit. *Putas ideò Diabolum multas hæreses induxisse*, inquit Auctor operis imperfecti, *vt inuicem se men-*

Hom. 48. in Matth.

se mendacia eius expugnent? Absit. Sed multiformes caussas erroris induxit, vt multis modis Christi circumueniatur Ecclesia, vt pars pereat per illam sapientiam, pars per istam. Sicut qui multas etiam venationes prætendit, cogitans quia necesse est, aut in hac aut in illa retia venatio cadat.

His hunc in modum explicatis, tempus est; vt discutiamus defensionem; quam Beumlerus Tigurinus Sacramentarius pro suo Zvvinglio aduersus Smidelinum instituit. Feram Smidelino siue merenti siue immerenti opem. Etsi quod ad hanc quæstionem attinet, nequaquam censeri queat aut debeat immerens. Iure enim *atri monitoris* magisterium obiecit Zvvinglio & Zvvinglianis. Quantò præclarius *iniuriam* hanc; vt interpretatur Beumlerus; vltus fuisset, si Smidelino disputationem Diaboli cum Luthero ex libro de Missa Angulari oggessisset & occinuisset: id quod absq; vlla difficultate pręstare poterat; transcriptis duntaxat ex libro Lutheri in Beumleri Apologiam, Lutheri verbis. At quia hoc per summam oscitantiam & socordiam facere omisit Beumlerus; agedum expendamus, quàm validis scutis tela Smidelini à se repellat.

Ait ergo Beumlerus. *Calumniam esse, quod Smidelinus suis in postremis scriptis sexcenties scribit, Zvvinglium in Subsidio fateri, se interpretationem coenæ Dominicæ ab atro spiritu didicisse.* Atqui calumnia non est, sed ipsissima rei veritas; quod non paucis argumentis iam planum fecimus. Nec aliter probat Zvvinglianus istam calumniam esse, quam iterum iterumq; dicendo; *mendacium, & falsum testimonium, & plusquam Argiuam calumniam esse.* At assertionis repetitio aut exaggeratio; non est eiusdem probatio. Et manifestior est Zvvinglij confessio, quàm vt huiuscemodi calumniarum nebula obscurari queat.

Beuml. in Apolog. contra Smid. cap. 4.

Quod verò Zvvinglius *in somnij sui explicatione nullam omnino spiritus facit mentionē*; quæso, quid te iuuat? Nā si de vocabulo spiritus contendas; fatemur id in Zvvinglio nō reperiri. Si verò de re vocabulo spiritus subiecta; negam⁹ nō inueniri in Zvvinglio. Quis enim alius fuit *monitor ille ex machina* quā spiritus? Homo certè nec in Phantasiā, nec in intellectum Zvvinglij dormientis & somniantis, nec in vtrumq; simul agere potuit. Oportuit igitur spiritum fuisse. Et vt, vertumnum istum, qui etiā Dialecticus haberi cupit, arctius stringamus, respondeat, oro, ad hoc dilemā. Aut monitor ille Zvvinglij homo fuit, aut spiritus. Non homo, vt per se notum; & fatetur etiam ipsemet Beumlerus; ait enim fuisse *Deum:* fuit ergo spiritus. Nō ergo male faciunt; qui dicunt, Zvvingliū sua ipsius confessione doctrinā suā à spiritu accepisse. A spiritu inquā, præcisè. Nā *ater* an *albus* fuerit, id nunc non agitur. Cur igitur criminaris illos, qui dicunt, Zvvinglium à spiritu doctrinā suā accepisse. Imò cur criminaris teipsum, quia idem dicis hoc ipso, quod à Deo accepisse dicis? nisi fortè putas, Deum non esse spiritum.

Quâ igitur confidentia & vanitate sequentia effudisti? *Inspiciant lectores & euoluant Subsidium Zvvinglij, & si ibi mentionem spiritus, à quo Zvvinglius per insomnium aliquid didicerit, inuenerint, verax sit Andreas, vera sint quæ suis centonibus postremis infarsit omnia, atq; omnes suos aduersarios vicerit & prostrauerit.* Mira impudentia simul & impostura. Nam si vocabulū vrges; fumū vēdis, fucūq; facis. Si de re vocabulo spiritus substrata loqueris, vt loqui deberes; si quid conuenienter ad obiectiones aduersariorum loqui velles, victus & prostratus es. nam quæ Zvvinglius narrat, competere nequeunt in hominem, etiam teipso teste & suffragatore, qui Deo admonitionem illam adscribis:

bis nisi fortassis te huius sententiæ pœnitet; putasque illustrationem illam ab aliqua saga in conclaue stertentis Zvvinglii Hircoceruo quopiam inuecta, profectam esse.

Vbi igitur os tuum Beumlere? *vbi frons? vbi religio? vbi conscientia? vbi pietas? vbi timor Domini? vbi charitas Christiana?* (omnes enim istæ interrogatiunculæ Smidelino abs te propositæ, ad te dirigi possunt) *A te profectò, quantum vel ex hac vnica fraude Sapientes judicant, quàm longissimè absunt. Nam si istarum virtutum vel aliqua scintilla in animo tuo residua esset, non induxisses animum*; rem tam claram & euidentem inficiari, nodumq; in scirpo quærere; dum litẽ de vocabulo spiritus moues, de quo nemo aut tecum, aut cum Zvvinglianis litigat. Rem, Rem, inquam, specta. Rẽ spectant tam orthodoxi, quàm Hæretici, cum scribunt, Zvvinglium doctrinam suam à Spiritu accepisse; quia monitor ille Zvvinglii alius esse non potuit, nisi spiritus. ipsis etiam Zvvinglianis id attestantibus.

Inspice, inquis, *denuò locum Zvinglii, & reperies Zvvinglium hanc reuelationem nõ spiritui atro, sed Deo spiritui candidissimo, tribuere: atq; proinde nõ spiritui atro, sed Deo pro isto beneficio gratias agere.* Iá inspexi Zvvingliũ, teq; mẽtiri deprẽdi. Non enim adscribit reuelationem illam Deo, sed *monitori ex machina*, de quo non meminit, *ater fuerit an albus*, quem *phasma* vocat. An hæc in Deum quadrant? an nesciebat Zvvinglius, num Deus *ater an albus* monitor esset? Cur si credebat Deũ esse, tã scurriliter de Deo loquitur: *ater an albus fuerit, nihil memini?* ô obliuionẽ plusquã Lethéam. Túne censes monitorem hunc, ipsum Deum fuisse, & nescis, num *ater* an *albus* fuerit?

Dices: non *nescio*, sed *non memini*. Si non nescis, ergò meministi? si non meministi, ergò nescis. At Zvvinglius agit gratias Deo pro hac illuminatione. Pulchra gra-

tiarum actio. Perinde est ac si magus, postquam aliquid à Dæmone didicit, Deo gratias ageret. Et quænam hæc est Tigurini Chrysippi consecutio? *Zvvinglius agit Deo gratias pro illa illuminatione, ergo Deus fuit Auctor illius illuminationis.* Quasi verò nullus vnquam hæreticus, aut magus exstiterit; qui sudans & æstuans, inque syrtibus & salo hærens gratias Deo egerit; postquam à malo genio ex salebris locisq; impeditis expeditus fuit.

Illud perquam facetum est & lepidum; quod ait: eos, qui Dominum in cruce audierant clamantem: *Eli, Eli, Lamah Sabachthani*; verba Christi *libidinosè & petulanter peruertisse, Christumq Dominum Idololatriæ insimulasse, quasi in acerrimo dolore & extremo cruciatu Heliam, non Deum verum innocasset.* Et cui vnquam huiusmodi commentum in mentem venit, nisi ex eorum sit numero, qui commentarios dictant & scribunt, quibus nihil commentitius excogitari potest? Scilicet Romani milites; quos pleriq; interpretum verba illa *Eli, Eli,* ad Eliam transtulisse referunt; Christo Idololatriæ crimen impingebant; quod ipsorum iudicio, Eliam inuocaret; aut etiam Ipsi Iudæi; si qui fortè verba Domini minus distinctè perceperant, quibus sancti in tanta veneratione erant, vt cum maximè Deum ad misericordiam flectere studerent; viros sanctos vt Abraham, Isaac, Iacob, Dauidem & alios Deo proponerent; vt eorum meritis precibusq; inductus ad lenitatem sese daret. Communem enim apud Iudæos persuasionem fuisse, sanctos rectè inuocari, ipsosq; etiam non vocatos preces pro incolumitate mortalium offerre, satis liquet ex 2. lib. Macchabæorum cap. 15. & aliundè.

Non dubito tamen, si Sacramentarius quispiam Beumlerus, aut Vbiquisticus Smidelinus cruci adstitis-

set,

set, vocesq; illas Christi imperitè ad Eliam retulisset; futurum fuisse, vt è vestigio Saluatori impietatis & idololatriæ dicam scriberet. Nam quod ipsi facturi erant, si præsentes fuissent; id Iudæos aut milites Crucem custodientes iam fecisse autumant, aliorum animos ex animis suis æstimantes.

Sed ait iste: *Inter Eli & Eliam est aliqua paronomasia; at inter vocabulum Dominus & spiritus ater; item monitor & spiritus, nulla est similitudo.* Respondeo, si loqueris de similitudine nominum, non inficias imus nullam esse: At si sermo sit de conuenientia rei; tunc tanta est inter *Monitorem Zvvinglianum* & spiritum, eumq; atrum; vt ne ficus quidem similior sit ficui. Eadem similitudo apparet inter Dominum, à quo sibi Zvvinglius locum illum impertitũ scribit; & inter spiritum atrum. Verè enim *Dominus* ille alius non fuit, quam spiritus ater. Nam si fuisset Dominus cœli & terræ; Zvvinglius nunquam dixisset, se non meminisse; *albus an ater monitor ille fuerit.* Quæ enim hæc impietas foret de Deo, spiritu candidissimo, tale conuicium effundere? Sed quia de Diabolo sermo erat; non temere sibi persuadere poterat Zvvinglius eum, non ægrè laturum, licet tali conuicio feriretur; imò planè necessarium videbatur, vt huiusmodi orationis schemate Zvvinglius vteretur. Nam si disertè dixisset fuisse *album* monitorem; à cunctis sanioris iudicij statim mendacij damnatus fuisset. Si autem candidè dixisset, monitorem illum fuisse *atrum*, neminem in sua retia pertraxisset. Temperauit ergo orationem; & Diaboli fœditatem voce illa, DOMINVS, &, gratia Deo, nonnihil velauit: vt & illa simulata & affectata ignorãtia; *albus an ater fuerit, nihil memini.*

Interim tamen Deus neutiquam permisit, vt turpi-

tudo & obscęnitas huius monitoris se non proderet: propterea adiecta sunt illa : ἀπὸ μηχανῆς, hoc est, *Deus ex machina*; *phasma*; *albus an ater*, & id genus aliæ circumstantiæ. Gratia Deo, qui Zvvinglij mentem incitauit & perpulit, vt hoc suum somnium in chartā referret. Nā Zvvingliū ad hoc suum Diabolicū somnium & magisterium litteris mādandum peculiari instinctu diuinitus impulsum esse; ipse liquidò testatū facit his verbis. *Vera narro, adeoq́ vera; vt celare volentem conscientia cogat effundere, quæ Dominus* (Nigrinus scilicet) *impertiit*. Ecce quomodo occulta Numinis vi adactus est Zvvinglius, vt quod à furuo suo monitore didicerat; in commentarios mitteret; eo, opinor, fine vt illis, qui per Zvvinglij vestigia gradiuntur; omnis excusatio coram iusto illo viuorum & mortuorum iudice præcideretur.

Quiritatur Beumlerus *dicta Zvvinglij à Smidelino adulterari, peruerti & in alienum sensum torqueri*. Vt maximè Smidelinus alioquin adulter, corruptor, deprauator, & tortor fuerit; in hæc tamen vitia tractans, hoc de Zvvingliano somnio argumentum non incurrit; vt nec alij Lutherani aut Catholici. Nec tu vnquam contrarium euinces, quidquid tandem delires. An non enim deliramentum est, quod probationis gratia subiicis? *Calumniosè deprauat dictum Zvvinglij, propriè nimirum accipiendo, quod nō nisi per prouerbium & figuram tam à Zvvinglio quàm à veteribus scriptoribus vsurpari consueuit.*

Primùm non omnis prouerbialis locutio impropria est. Si enim dicas: nec *lac lacti*; nec *ficus ficui*; nec *aqua aquæ* tam similis est; quàm sacramentarius sacramentario; prouerbialē locutionem vsurpas: & tamen propriam. Nulla enim vox est in prædicto dicto; cui sua propria notio non constet. Secundò falsum etiam est omnem

nem prouerbialem locutionem esse figuratam, hoc est, tropicam; sed conniueamus ad ista. Aquila non captat muscas; multoq; minus musca aquilas. Paulò maiora canamus.

Ex prouerbio, inquit, *seu figurata locutione, qua Zvvinglius vtitur, sic perperam colligit. Zvvinglio visum est in somnio adfuisse monitorem, qui ater an albus fuerit, non meminerit. Ergò Zvvinglius fatetur se nescire, vtrũ spiritum bonum, an verò malũ viderit.* Hæc collectio non ex alterius, quàm ex tua officina prodiit. Tu tibi vanè cõsequẽtias exstruis, quas mox pari vanitate destruas. Quãquam, si in cõsecutione loco *spiritus* monitorẽ ponas, non video, quid in hac argumẽtatione meritò desiderare possis. *Zvvinglio visum est in somnio adfuisse monitorem, qui ater an albus fuerit, non meminerit. Ergo Zvvinglius fatetur se nescire, vtrum monitorem bonũ, an verò malum viderit.* Quid in hac argumentatione desideras Zvvingliane?

Hoc tuum consequens, inquis, *etiam pueri septennes ridebunt.* Te verò etiã pueri biennes, tuáq; crassam inscitiam cum sibilis explodent. Quæ enim cõsequentia hic colligitur *mutato prædicationis genere*; vt tu *ex rudissimus Rudimẽtis Philippicis edoctus* rudis. *Alij,* inquis, *argumentationẽ, quæ constet quatuor terminis, vitiosam esse aures tuas circumsonabũt.* Vt quatuor termini sint in illa, quam tu tibi finxisti; at quatuor non sunt in illa, quam ego proposui; quamque proponunt illi, qui vobis Zvvinglianis hoc Zvvinglianũ somnium opprobrant.

Alij, inquit Zvvinglianista, *argumentum homonymias carcinomate laborans, animi indocti & versipellis certissimum indicium esse clamabunt.* Qua verò in parte argumenti latet hoc homonymiæ *carcinoma*? Monstrato, sodes; vt aduocato Machaone aut Podalirio medicinam

facere

facere liceat. An quia tu ἕλκεσι βρύεις, vlceribusq; obsitus es; ideo & in aliorum argumentis *carcinomata* somnias?

Ais. *Nemo vnquam hoc prouerbium nisi tropicè & figuratè vsurpauit, de re valdè & planè ignota, siue illa bona siue mala fuerit.* Vide, mi lector, quo amens cæcitas istos impellat. Contendit Beumlerus hoc Zvvinglij somnium fuisse à Deo; idq; Zvvinglium non ignorasse. Et tamen Zvvinglius de hoc suo monitore dicit; se non meminisse *ater an albus fuerit*: hoc est, interprete Beumlero; *monitorem illum valdè & planè sibi fuisse ignotum.* Vndè ergo sciuit Deum esse? Et si *valdè* & *planè* hoc nesciuit Zvvinglius, vnde hoc tam *valdè* & *planè* scit Beumlerus? Si dicant monitorem istum fuisse Angelum bonum; idq; Zvvinglium non latuisse: statim quæram; cur igitur scripserit, se nescire vel non meminisse vtrum monitor ille *albus an ater fuerit.* hoc est, sibi *valdè & planè ignotum fuisse.* Hoc enim prouerbium de re *valdè* & *planè* ignota vsurpatur, vt ait iste Zvvinglianus. Tàmne Zvvinglio ignot9 fuit Deus? Tàmne ignotus bonus Angelus? Qualis iste Minister, imò & reparator diuini Verbi; (si tituli non mentiuntur) cui Deus res est *valdè* & *planè* ignota, peregrina, & exotica?

Vsurpatur, inquit, *de re valdè & planè ignota siue bona siue mala.* Falsum; sed de illa; quam nescimus vtrum bona sit an mala. Aut si scimus num bona sit an mala; dicere tamen definitè nolumus; num bona sit an mala. Nam si quis sciat rem esse bonam: nunquam nisi mendaciter dicere potest; se nescire, num *atra* sit an *alba*. Vt & tunc, cum definitè scit esse malam: Etsi verè dicere potest; se nolle dicere: num *atra* sit an *alba*. Ergo cum Zvvinglius dixit; se nescire, aut non meminisse, vtrum monitor ille fuerit *ater an albus*; nihil aliud voluit, quam se nescire, nũ

bonus

bonus an malus monitor fuerit; aut certè insigniter mentitus est; vt ego quidem mihi persuadeo, quia cum non ignoraret, monitorem illum esse *malum*; scripsit tamen se non meminisse *ater an albus*, hoc est, bonus an malus fuerit.

Porro hanc huius prouerbij veram legitimamq; esse interpretationem, vt scilicet referatur ad mores alicuius significeturq;, nobis nō liquere; *atrine* sint illi mores, an cādidi, hoc est, boni an mali; manifestū fit ex omnibus testimoniis, quæ ex variis Auctoribus producit Erasmus in explicatione huius prouerbij; quæ adscribam; quandoquidem ad ea sese Beumlerus refert.

Primum est Ciceronis Philippicâ secundâ. *Te is, quem nunquam vidisti. L. Rubrius Cassinas fecit hæredem; & vide, quàm te amarit is, qui albus aterue fueris ignorans, fratris filium præteriit:* hoc est, qui ignorabat probus an improbus, bonus an malus esses. Nam quod Rubrius penitus Antonium non ignorarit, inde planum fit; quod eum hæredem instituit. Quis autem instituit hæredem eum, quem penitus nescit? Quintilianus lib. 11. Oratoriarum Institutionum. *Negat*, inquit, *se magni facere aliquis poëtarum, vtrum Cæsar sit albus an ater homo: Catullum, opinor, digito indicans, cuius in Cæsarem hoc exstat Carmen.*

Nil nimium studeo Cæsar tibi velle placere,
Nec scire, vtrum sis albus an ater homo.

Vtiq; Cæsarem probè norat Catullus: sed ostendit, se non anxiè in mores eius inquirere; vt cognoscat; num probus sit an improbus, bonus an malus.

Apuleius Apologia. *Etiam libenter te nuper vsq; albus an ater esses, ignorabam, adhuc herclè non satis noui.* Vbi sermo moribus quos, ait sibi nec fuisse, nec adhuc sat cognitos esse probinè sint an improbi. S. Hieronymus de

Heluidio. *Nobilis factus es scelere. Ego ipse, qui contra te scribo, cum in eadem Vrbe tecum consistam, quae balbutis & erubescis, albus vt aiunt, an ater sis nescio.* Licet hoc loco aptius pro summo contemptu positum videatur; quam pro morum ignorantia: non enim nesciebat S. Hieronymus, Heluidium, *atrum*, hoc est, sceleratum & flagitiosum esse.

Solere autem hoc prouerbium etiam in illos vsurpari; quos extremè contemnimus, docet Muretus ad paulò ante citatum Catulli in Cæsarē Epigramma. Quo sensu, si Beumlerus prouerbio hoc Zvvinglium vsum esse contendit, & nihilo tamen secius monitorem illum Deum aut Angelum bonum fuisse statuit; tunc videat ipse; quomodo à summæ impietatis macula & infamia prophetam suum liberare velit. Quid enim à Christiano pectore alienius; quàm vt de Deo aut Angelo sancto contemptim dicat: *Albus an ater sit, nescio, non memini, &c.* Sed pergamus. Horatius:

Vultu mutabilis, albus an ater.

Quo loco Porphyrion admonet prouerbiali figura dictum; *albus & ater, pro eo, quod est, bonus & malus*, & Horatium, *album aut ad liberalem, aut latum reddidisse, atrum ad sordidum & ærumnosum.*

Ex his veterum scriptorum testimoniis perspicuè conficitur, prouerbium hoc dici in illos, de quibus, num probis an improbis, laudādis an vituperādis moribꝰ prędititi sint; ignoramus; aut ignorare nos simulamus; quod etiā ex Apologia Gualtheri pro Zvvinglio liquet. Nāde Carione ita scribit. *Exstat & Carionis cuiusdam Chronicon, hominis, qui albus an ater sit, non noui. Hic tamen, quod satis scio, vel maligni, vel egregiè negligentis & incurij.* Idem ex ipso Zvvinglij Subsidio ostendi potest: Non multò enim ante somnij sui explicationem, loquens de scriba

Tigu-

Tigurino, qui in senatu non parum negotii Zvvinglio creauerat, sic scribit. Et ibi scriba quidam (*qui albus an ater sit, non est huius instituti dicere*) *fortè surrexisset, &c.* Quęso, quid hoc loquendi modo significare vult Zvvinglius? An scribam illum sibi planè fuisse ignotum? Nihil minus, nimis enim probè nouerat eum; & quidem magno cum gemitu; quippe qui Zvvinglio animosè & intrepidè sese cominus opponeret. An verbis illis contemptū suum in Scribam illum aperit? Sit ita: dummodo nobis concedatur, similem contemptum significasse paulò pòst, iisdem verbis, cum de monitore suo loquitur, quem Zvvingliani aiunt fuisse Deum aut Angelum sanctum. An Zvvinglius significare voluit, se eo loci, hoc est, in libro, quem *Subsidium de Eucharistia* inscripsit, nolle dicere; qualis scriba ille sit moribus & vita, num probus an improbus; num flagitiosus, an à flagitiis exsolutus? Omninò hoc Zvvinglius indicare voluit, & per consequens etiam dãnare insulsitatem huius sui discipuli, qui hanc vim & notionem huius parœmiæ inscienter negat, tantum vt Diabolicum Zvvinglii somnium defendat; potiusque elegit esse patronus ineptus & blennus, quam plane nullus: Cum & vulgatæ locutiones & sententiæ à candore seu albore, itemque à nigrore ductæ vanitatem istam luculenter redarguant. Semper enim candor bonitatis, integritatis, probitatis, felicitatis, vno verbo, virtutis nota est. Contra nigror, seu ater color, malitiæ, fraudulentiæ, improbitatis, infelicitatis, breuiter, malitiæ & nequitiæ.

Hinc *candidi mores, candida mens, candidi soles. Alba auis, albæ gallinæ filius, albus calculus, alba faba, albus lapillus, alba nota, albus dies*; & id genus alia, quæ oĩa bonum quid & auspicatum significant; vt & hæc ab atro colore nihil

nisi malum & inauspicatum sonant. *Nigrum Theta: ater seu niger lapillus. Niger Calculus. Mens atra & fusca.* Et Pythagoræ Symbolum est; *Gustari non debere, quibus est nigra cauda.* Quod interpretatur Plutarchus de Educat. Liber. non habendum esse commercium cum improbis, & iis, qui sunt nigris & improbatis moribus. Huc refer illud poëtæ:

Fingere, qui non visa potest, commissa tacere
Qui nequit, hic niger est, hunc tu Romane caueto.

Ex quibus dilucidè profectò elucescit; hoc adagium; *albus an ater sit, nescio*: pertinere ad mores. Falsum ergò & imperitum est, quod ait iste: *Nemo vnquam hoc prouerbium nisi tropicè & figuratè vsurpauit de re valdè & planè ignota, siue illa bona fuerit siue mala*: falsum inquam hoc est; tametsi inde sequitur quiddam, quod nec Zvvinglio, neq; huic Zvvingliano patrono valde honorificum accidit; videlicet, Deum, de quo Zvvinglius, si iste vera narrat; prouerbium prædictum vsurpauit, fuisse Zvvinglio *valde & planè* ignotum; sed de hoc iam supra:

Quò plura tutor iste blatit; eò plures pedicas sibi nectit. *Alio*, inquit, *veterum prouerbio veram sententiam sæpius iam nominati adagionis discere potuisset.* Quodnam illud? *Quid album, quid nigrum sit nouit, quod nihil aliud significat, quã nouit etiam id, quod indoctissimo promptum est. Nam albi & nigri coloris discrimen euidentius est, quàm vt aliquem latere possit.* Et tamen Zvvinglius nesciuit, num monitor ille *albus an ater esset?* Quid hoc, oro, ad excusationem Zvvinglij facit? Vt autem ineptia magis emineat, ratiocinemur cum Logico. Zvvinglius nouit *quid album, quid nigrum sit*; ergò Zvvinglius, cum non meminit, *albus an ater fuerit suus monitor* & institutor, nouit quid sit *album & nigrum*

Fortè hanc consequentiam texere vis, *Zvvinglius nouit*

uuit quid sit album & quid nigrum, ergo Zvvinglius nouit monitorem suum fuisse album. At eodem iure ego inferam: *ergo Zvvinglius nouit monitorem suum fuisse nigrum.* Quod si nouit fuisse *album*, vt tu dicis; cur ergo scribit se non meminisse atq; adeo nescire, *albus an ater fuerit?*

Pergit ineptire; *quemadmodum igitur cognitio albi & nigri non propriè sed figuratè, non de re siue bona siue mala, sed de re facili, & manifesta, sic contra albi & nigri ignorantia non tàm de spiritibus quàm aliis creaturis, non tam de re bona & mala, sed de re planè ignota & abstrusa de qua nihil tibi constet, dicitur.* Quã acutus est iste Paroemiarum interpres? Quam concinnè aliam per aliam explanat? Quam scitè aliam cum alia confert? Interim tamen sciscitari libet, an non legerit apud Paroemiographum hæc verba. *Nouit quid album, quid nigrum. Duplicem in sententiam accipi potest. Aut nouit discrimen recti prauiq́. Aut nouit id, quod nemo vel indoctus ignorat: nam euidentius est albi nigriq́ discrimen, quàm vt quisquam non videat.* Priore explicatione, non est cur aliquid subsidij pro tuo Zvvinglio speres. Dicit enim se nescire *albus an ater* ille monitor fuerit. Ex quo sequitur, quod *albi* & *nigri* hoc est, recti prauiq; discrimen in hoc suo monitore non agnouerit; etsi reuera agnouit nigrorem & prauitatem; vt supra dicebam; sed prodere palam & disertè noluit, ne omnes à dogmate suo Diabolico & tartareo absterreret.

Altera verò expositio multò minus te iuuat. Quia in hoc suo monitore nec *album*, nec *nigrum* nouit; quia *albus an ater* fuerit, non meminit: Ergo, vt alibi *album* & *nigrum* nouerit; hic tamen non nouit; vt ipsemet testatur. An tu melius, quam ipsemet nosti, quid nouerit? Et si colorem in suo monitore agnouit; *atrum* agnouit; non *album*; Tartareum non cœlestem, vt iam sæpius di-

ctum. Et quamuis reipsa sceleris colorem in hoc suo monitore non animaduertisset, atq; adeò oratio Zvvinglij cum pectore eius concineret; verè tamen alius, quam ater monitor non fuit; vt supra pluribus, iisq; euidentissimis argumentis ostensum est.

Ait Zvvinglianus. *Ex verbis Zvvinglij non magis colligi posse monitorem illum fuisse malum spiritum; quam olim Iudæi ex his verbis Domini Ioan. 8. Amen, amen, dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum; collegerint Christum habere Dæmonium.* Sed hanc comparationem Zvvinglij cum Christo instituit iste, nihil dubito; eius ipsius spiritus impulsu; à quo Zvvinglius in somnio tàm mirificè illustratus fuit. Quid enim in tota Christi oratione vel tenuissimum vestigium, quo ad tam horribilem blasphemiam Iudæi meritò induci potuerint? Quid contrà in Zvvinglij verbis non planum, perspicuũ & luce lucidius, sermonem esse de *atro*, non de bono monitore? Vt mihi quidem ab omni iudicio desertus videatur; quisquis cõsideratis circumstantiis, ipsoq; loquendi modo quem Zvvinglius vsurpat, expenso, existimat narrationem Zvvinglij de bono monitore posse accipi.

Ridebunt, inquit, *pueri ita colligentẽ. Zvvinglio in somnio adfuit monitor de quo non meminit, ater an albus fuerit. Ergo Zvvinglius didicit doctrinam suam ab atro spiritu.* Atqui non malam esse hanc consecutionem copiosè iam ostendimus; quia licet Zvvinglius dicat, se nescire, num monitor ille fuerit *alter an albus*; manifestissimũ tamen est ex omnibus circumstantiis, atrum monitorem fuisse; & nisi *ater* fuisset; nunquam adeo contemptim de eo locutus fuisset Zvvinglius; nisi apertè insanire voluisset.

Quare quod proximè subiicis sponte sua euanescit: *Cum ipse Zvvinglius de externa monitoris illius speciei sibi per somnium*

somnium obiectæ qualitate, hoc est, de externo habitu, de colore siue nigro. siue albo, siue cæruleo; siue viridi siue rubro noluerit(arrogantiæ nimirum vitandæ caussa) pronunciare, quis te Oedipodem fecit, vt tanta temeritate de rebus ignotis responderes? Primum, visio Zvvinglij non fuit externa; hoc est, sensibus externis conspicua; vt fuit Lutheri visio; cum quo Diabolus *ore ad os*, & forma aspectabili amicè sermocinatus est; sed fuit interna; hoc est, *imaginaria*, & *intellectualis*, quandoquidem Zvvinglio, cum somno, forsan & vino, sepultus esset, oblata est. Quare externum colorem hic non valdè vrgemus; facileque damus, Zvvinglium, cum dixit, se non meminisse *ater an albus* monitor ille fuerit; non tam respexisse ad *nigrum* aut *album* colorem; quam ad malitiam & bonitatem. Nam & ipsum prouerbiũ de malitia & bonitate intelligitur, non de hoc colore externo; quem si solum consideres, contingere potest; vt corpore niueus sit animo nigerrimus: Vicissim; corpore Æthiops; sit moribus & mente candidissimus, nam & de Æthiope, cuius mores nobis non perspecti; non opinor, inscitè dicas. *Albus an ater sit nescio:* Quemadmodum de lacteo Galata tibi moribus ignoto rectè itidem affirmes; *albus an ater sit, nescio.* Quod certè falsum erit; si externum colorem tantummodo spectemus.

Ergo quæstio hic non est; quo colore externo monitor ille Zvvinglio sit obiectus; sed quo colore ingenij & propositi; *albo* ne an *atro*? hoc est, prauo, an probo. Sed quia cum res, etiam à materiæ concretione liberæ, vt sunt spiritus; phantasiæ repræsentantur, eæ obiici solent aliqua specie corporea & colorata; sicq; in imaginatione relucere; vt patet quotidiana somniantium experientia; ideo certum

arbitror

arbitror monitorem hunc atro colore imaginationi Zvvinglianæ obiectum esse; vt hoc imaginario colore, demonstraret *nigrorem* suę indolis & naturę, licet Zvvinglius dicat seu verè seu falsò (reor tamen falsò) se coloris phantasiæ obiecti nõ meminisse. Quod autẽ ipse Zvvinglius definitè non dixit; monitorẽ illum fuisse *nigrum*; id non obstat, quò minus id nos definitè asseramus. Quia Zvvinglius caussas habuit cur id non assereret; nobis aliæ caussæ, & quidem euidentissimæ suppetunt, cur id asseramus; nec hic Sphinge aut Oedipo vllo opus est. Res clarè liquet.

Festiuum autem illud, quod ait Zvvinglium *arrogantiæ vitandæ caussa noluisse pronunciare* defintè *de colore sui monitoris*. Quę verò hæc *humilitas*, dicere sibi Domino sõmniũ hoc venisse, & tamen pronunciare nolle; vtrũ Dominus ille *ater sit an albus*; hoc est, bonus an malus. Incidisset-ne in arrogantiæ crimen, si ratus hoc somniũ sibi diuinitus missum, dixisset; monitorem illum *album* seu *candidũ*, hoc est, bonum & sanctum fuisse? An nemo, si beneficium quodpiam à Deo aut Angelo sancto accipiat; largitorem beneficij bonum & sanctum appellare & prædicare potest; absq; arrogantiæ nota? *Etenim sacramentum Regis abscondere bonum est*, aiebat Angelus ad Tobiam; *opera autem Dei reuelare & confiteri, honorificum est.* *Tob. 12.*

Si autem Zvvinglius ab *atro* monitore edoctus & instructus fuit; vt reuera fuit; non video quisnam arrogantiæ vitium ei tribuisset; licet definitè & disertè pronunciasset, se ab *atro* monitore doctrinam suam; vel saltẽ doctrinæ suæ complementum & coronidem accepisse. Quæ enim in hoc gloria; quod quis Diaboli opera & magisterio vsus sit? Probabilius certè mihi fit, Zvvingliũ noluisse hoc palam & absq; ambagibus profiteri, non arrogantiæ, sed infamiæ vitandæ gratia.

Su-

Superioribus ineptiis non contentus Sacramentarius alias atq; alias adiicit. Nam Zvvinglii somnium comparat cum somnio Nabuchodonosoris, seu Zvvingliani & Lutherani *Nebucadnezeris. Tu, inquit, repentè & audacter de somnio Zvvinglii sententiam tuam profers, neq; animos nostros diu suspensos tenes. Daniel verò, vt de se, non minus videlicet, quàm Zvvinglius arrogantiæ crimen fugiens, testatur, non nisi temporis aliquo interuallo interposito, de somnio Nebucadnezeris pronunciare ausus fuit.* Atqui ab Anno Domini 1525. quo Zvvinglius somnium suum somniauit, monitoremq; illum habuit, vsq; ad illum annum, quo Smidelinus somnium Zvvinglii interpretatus est; longè plus temporis effluxit, quàm à somnio Nabuchodonosoris vsq; ad interpretationem Danielis; minimùm enim quinquaginta anni intercesserunt, cum inter Regis illius somnium & expositionẽ illius à Daniele datam, paucæ fortassis hebdomades intercurrerint: Et cuiuis Zvvinglii somnium in *Subsidio Eucharistico* legenti, vel dimidiata hora satis est, vt Zvvinglii somnium interpretetur; & quid dico dimidiata hora? simul atq; quis perlegit totum hoc somnium, pro vt à Zvvinglio in litteras relatum est; (quod breuissimo temporis spatio præstare licet) è vestigio, & *stans pede in vno* poterit mysteria somnii illius reuelare; & quidem ita, vt acu rem tangat.

At quod scribis, Danielem *arrogantiæ vitandæ caussa* dilationem pro interpretando somnio postulasse, id, in quibus Bibliis legeris, nec vnde etiam per validam consequẽtiam deducas; incompertum habeo. Nam ex meis & veris Bibliis colligo, Danielem ideò dilationem petiisse, quia nec somnium ipsum, nec interpretationem eius tunc nouerat; Vt ergò reuelationem vtriusq; à Deo precibus tàm suis, quàm sociorum suorum impetraret Danielis 2.

aliquid temporis sibi à Rege concedi postulauit. *Tunc Danieli mysterium per visionem nocte reuelatum est*, inquit scriptura. Non ergò sciuerat tunc, cùm primò ad Regẽ ingressus est.

Pari modo cum aliud somnium Nabuchodonosor habuisset, eiusq; interpretationem à Daniele exigeret, non arrogantię vitandæ causa vna hora tacitus sedit; sed vt interpretationem à Deo disceret. *Tunc Daniel, cuius nomen Baltbassar, cœpit intra semetipsum tacitus cogitare, quasi vna hora, & cogitationes eius conturbabant eum.* Quid ergò iste fingit de studio vitandæ arrogantiæ? Quæ comparatio Danielis & Zvvinglii, lucis & caliginis?

Dan. 4.

Ans. Tu propria libidine, & charitate Christiana neglecta, de somnio Zvvinglii judicas. Daniel vero propriæ infirmitatis sibi conscius, non nisi Numine diuino implorato, somnium Nebucadnezeris sibi interpretandum duxit. Qua mente Smidelinus Zvvinglii somnium interpretatus sit, nescio, nec scire admodum laboro. Hoc scio, verè interpretatum esse; Nam si tantam precum contentionem non adhibuit, quantam Daniel, id ea caussa fecit, quia tanto conatu minimè opus erat: Somnium enim Nabuchodonosoris obscurum erat & tenebricosum; & primum quidem eò etiam obscurius & tenebricosius, quod Rex ipsemet nesciret, qualenam suum illud somnium in specie fuerit. At somnium Zvvinglii clarum est & dilucidum, & vel cæco patens & parens. Partim suapte natura, partim beneficio ipsius Zvvinglii, qui non modò somniatorem & narratorem, sed & interpretem somnii sese nobis præbuit: Quid ergò opus temporis longinquitate, votis, studio, & labore ad huius somnii Interpretationem, cum nullis tenebris inuolutum sit, nullisque integumentis implicatum? Si quis tam hebes sit, qui somnii huius inter-

interpretationem ipse per se, sine vllo conjectore, non statim videat aut capiat: is jure hoc encomio exornabitur: *Album & nigrum non nouit.*

Obiicis, *Tu sine reuelatione diuina somnium Zvvinglii nobis explicas; Daniel verò ante visionem nocturnam diuinitus sibi obiectum somnium Regis indicare & exponere nec ausus fuit nec potuit.* Non ergò petiit dilationem *arrogantiæ vitandæ caussa*, vt tu supra dicebas; sed vt somnium & interpretationem eius à Deo cognosceret. Sed ad rem. Explicatio somnii Regii reuelationem diuinam poscebat; quia somnium illud diuinitus immissum fuerat. At somnium Zvvinglii venit ex orco; non ergò opus habebat eius expositio cœlestis reuelationis subsidio.

Deinde vtrumq; somnium Nabuchodonosoris caliginosissimum & humano ingenio imperuiis Sacramẽtis refertissimum erat: At somnium Zvvinglii ab ipso litteris palàm mandatum est, non sine explicatione, ne quis fortè diuinando à somniatoris mente aberraret. Nulla igitur inter hæc duo somnia similitudo & conuenientia est, nisi generalis quædam: quia ambo fuerunt somnia. Quod si indicatio & interpretatio somnii Nabuchodonosoris tam procliuis fuisset Chaldæis, quàm facilis omnibus est interpretatio somnii Zvvingliani; haud tam multi Chaldęorum sapientes ferro trucidati periissent; neq; Daniel & socij in simile discrimẽ incurrissent.

Cupis vt tibi *rotundè* explicetur; *vtrũ Paulus in corpore, an verò extra corpus in tertium cœlũ raptus sit; idq, ex illis verbis: 2. cor. 12. Noui hominem in Christo, an in corpore, an extra corp⁹, nescio, raptũ in tertiũ vsq, cœlum.* Respõdeo, quod Paul⁹ nesciuit, seq; nescire ingenuè cõfessus est; id nobis quoq; nescire, eiusq; ignorãtiã cãdidè ꝓfiteri liceat. *Eadẽ*, inqs,

 facilis-

facilitate ex hisce Pauli verbis, certi aliquid concludere, nobisque omnem dubitandi occasionem præcidere poteris, quàm ex verbis Zvvinglii, quippe cum Zvvinglius non minus de suæ reuelationis modo, quam Paulus dubitauerit. Minimè verò, ô Zvvingliane. Nihil enim in verbis vel in verborum sancti *P*auli adiunctis, vel in ipsa persona S. Pauli apparet, ex quo colligere possimus, illum, aut extra, aut intra corpus ad tertium cœlum raptum esse. At ex Zvvinglii verbis & persona nihil habemus, cur ancipites de sententia eius hæreamus. imò verò plurimum habemus; cur definitè sentiamus, monitorem illum fuisse atrum, hoc est, prauũ & peruersum.

Et si nihil aliud argumentorum suppeteret, hoc certè satis superq; esset, quod nescire ait: vtrum monitor ille *albus an ater* fuerit. Nam si putabat à Deo esse; cur tã scurriliter & contemptim de Deo loquitur? Quod si nesciebat, aut non meminerat, vtrum Deus sit *albus an ater*, tum videant Zvvingliani, cui Apostolo se suamq; salutẽ crediderint: S. *P*aulus de loco, ad quem raptus erat, deq; illis, quæ viderat, minimè dixit: *Albus an ater fuerit locus ille, nihil memini: alba an atra fuerint*, quæ vidi, *non recordor*; sed tantum dubitauit de se, vtrum in corpore an extra corpus visionem illam viderit. Si Zvvinglius tantummodò pronunciasset, se non meminisse, vtrum in somnio, an extra somnium visum illud viderit, nihil admodum esset, quod miraremur, aut indignaremur. At cum de ipso suo monitore *albus ne* fuerit an *ater* nihil statuit; nos rem in medio nequaquam relinquentes, *atrum* fuisse decernimus; idq; necessariis rationibus conuicti apud quemcũque, cui Zvvinglianismi amor oculos non ademit, euincimus.

Sub-

Subiungis. *Cachinnis hanc tuam argumentationem excipient, qua è colore communi videlicet accidente, statim concludis, essentiam ipsam, seu essentiæ proprietatem. Nam si tibi maximè darent pueri, vidisse monitorem atro colore præditum, non tamen inde concludes, atrum fuisse monitorem.* Imò verò quisquis inscitiam tuam intelligit, ille non modò cachinnis te excipiet, sed & sibilis explodet. Vnde enim essentiam rei colligere vis, si non ex his notis externis? An tam oculatus es, vt in ipsas rerum essentias oculos ἀμέσως inserere queas? Mitto dicere, hic non esse sermonem de colore propriè dicto & physico, qui nullus est, nec in Deo, nec in vllo spiritu bono aut malo; sed de colore imaginario; secundum quem monitor ille phantasiæ Zvvinglii obiectus est; qui si niger fuit, nigrum peruersumq; spiritum denotauit; quidquid tu contra garrias. Vt enim malus spiritus se in Angelum lucis transformet, atq; adeò candidissima & lucidissima specie tam sensibus externis, quã internis sese obiicere possit ac soleat; inauditum tamen est, vt Deus aut Angelus bonus Diaboli colorem, hoc est, *furuum* & *atrum*, induerit, inque eo sese mortalium vel oculis vel imaginationi obtulerit.

Risu igitur non plausu digna est hæc tua consequentia: *Diabolus transfigurat se in Angelum lucis; Ergò Angelus lucis transfigurat se in Angelum tenebrarum, hoc est, in Diabolum.* Addo, Zvvinglium nobis fidem facturum non fuisse, licet; &, si vis, iureiurando interposito, affirmasset, *album,* hoc est, bonum & sanctum fuisse monitorem illum: occurrissemus huiusmodi asseuerationi dicto illo Apostolico, quod jam olim de Zvvinglio, Zvvingliique similibus protulit. *Eiusmodi pseudoapostoli sunt operarii subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi: Et non mirum; ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum lucis, non est ergò magnum, si* 2. Cor. 11.

 ministri

ministri eius transfigurentur velut ministri iustitiæ, quorum finis erit secundum opera ipsorum.

Pergis. *Quod Zvvinglius Dominum sibi impertiisse affirmat; hoc tu Diabolo tribuis. Quod Zvvinglius ad Dei gloriã commemorat; hoc tu Diabolo acceptum esse ferendũ concedis.* Nõ negamus, Zvvingliũ initio narrationis de suo somnio, profiteri dominum id sibi impertiisse; sed de quo *domino* loquatur, ipse satis prodit, cum paulò pòst *monitorem ex machina* introducit; de quo *albus an ater* fuit, nihil pronũciare habet; quẽ *Phasma* nominat. Hæccine Domino, qui in cœlis habitat, competunt? Videtur Zvvinglius similis *capræ Scyriæ*, mulctrum, quod lacte impleuerat, rursus euertere consuetæ. Sic quod principio orationis Domino adscripserat; id postea rursus euertit; vel potius, quem *Dominum* antea intellexerit, dilucidius declarat; ne quis ambiguitate prioris vocabuli in errorem inducatur.

Porrò Zvvinglium hoc suum somnium ad Dei gloriam, etsi inuitum & reluctantem, litteris mandasse, iam supra concessimus. Verè enim ad Dei gloriã cedit, nosse, qua in schola, & quo doctore Zvvinglius doctrinam suã didicerit. Et ipse satis indicat, se oculto quodam stimulo adactum fuisse, vt somnium hoc ad posteritatis memoriam, imò & cautelam litteris consignaret. Idemq; Luthero sua in disputatione Diabolica euẽisse, planè mihi persuadeo.

Quod Moses, inquis, *Exodi* 12. *instinctu spiritus sancti litteris memoriæq; prodidit, hoc tu ab atro genio factum esse clamitas.* Nihil minus Zvvinglianista: Satiine sanus es, qui vsq; adeò delires? Quod Moyses scripsit, id spiritus sancti inspiratione scripsit. At quod spiritus sancti inspiratione scriptum est; verèq; & sanctè scriptum est; id iste spiritus,

tus ater peruersè arripuit, & ad euertendam præsentiam Christi in Eucharistia per Zvvinglium, fidissimum suum administrum, adhibuit. Licet enim verbum, Est, eo loco Exodi acciperetur pro SIGNIFICAT, deque hoc nulla prorsus dubitatio existeret; non valeret tamen hæc à Diabolo formata, Zvvinglioq; proposita consequentia. *Exodi 12. in illis verbis: Est enim Phase (id est, transitus) Domini; Verbum, Est, accipitur pro, significat; ergò etiam in illis verbis Domini: Hoc est corpus meum, accipitur verbũ Est, pro significat.* Redolet hæc consequentia ingenium Auctoris sui; cuius similes quotidiè texunt prædicantes, easq; ipso horreo nobis admetiuntur.

Dic, inquis, *vtrum hæc vox, Agni Paschalis celebratio est Phase transitus Iehouæ; à Deo, an verò ab atro spiritu proficiscatur?* A Deo vtique est, à Spiritu illo purissimo & candidissimo. Addis, *Concedas igitur necesse est, Zvvinglium eam non à Diabolo, sed à Deo didicisse.* Cur obsecro, hoc concedere oportet? An quod à Deo profectum est, id Diabolus Diaboliq; minister quispiam arripere, & ad veritatis oppugnationem conuertere non potest? Quæ sanè cõuersio, vel potiùs peruersio rei à Deo profectæ, non proficíscitur à Deo, sed à Dæmone.

Dic, oro, Zvvingliane, loca scripturæ, quæ Arius & Ariani assumebant ad oppugnationem diuinitatis Verbi Diuini; à Deoné erant, an à Dæmone? A Deo, respondebis, opinor; & loca etiam Scripturæ, quæ ipse Cacodæmon CHRISTO in solitudine obiecit; Deum auctorem habuerunt. Neque quispiam integræ mentis hoc inficiabitur. At verò abusus locorum, quibus Dæmon per Arium, & ipse Dæmon per seipsum abutebatur, minimè à Deo erat; sed ab illo omnium technarum & deceptionum artifice & satore. Eadem

dem hic eſt ratio, quod ad Zvvinglium attinet. Locus ille Exodi à Spiritu ſancto eſt. At abuſus eius ad infringendum & profligandum myſterium Euchariſticum, à ſpiritu atro eſt; vt & Zvvingliana explicatio verborum illorum, *Hoc eſt corpus meum.* Tu contendis non eſſe à Dæmone. Sed quo argumento?

Non te fugit, inquis, *Diaboli non eam eſſe naturam & conſuetudinem, vt ſcripturam cum ſcriptura conferat: vt ſcripturam ſcriptura explicet & illuſtret: vt ſcripturam cum ſcriptura concili-et.* Imò verò omnia hæc Diabolus facit; ſed ad eum modum, quo id fecerunt, & hodie faciunt veteres & noui prædicantes, qui artificium ſuum, ſcripturam cum ſcriptura comparandi; ſcripturam ſcriptura explicandi, ſcripturamq́; cum ſcriptura conciliandi; in Diaboli Schola didicerunt. Quàm enim egregiè hæc præſtent; id quotidiè, non ſine admiratione eſt; cum & non ſine riſu, oculis noſtris intuemur. videlicet comparando, explicando, conciliando, pomum Eridis (quantum in ipſis eſt) ex diuinis oraculis effecerunt, cum quibus, quaſi cum pila ludunt; & ludificant tàm ſe, quàm alios.

Hoc Diabolus in more perpetuo habet, inquit iſte, *vt ſcripturam ſibi egregiè conſentientem, pugnantem faciat: vt fallacia diuiſionis ſacram ſcripturam mutilet & corrumpat, alienũq; illi ſenſum affingat.* Idem vobis mos, idemq; prorſus genius. Comparationibus veſtris, expoſitionibus, conciliationibus nihil aliud præſtatis,, quàm quòd lites ex litibus inter vos & alios ſeritis, ſcripturamq́; vndiq; concorditer ſibi conſentientem diſtrahitis & diſcerpitis, mutilatis, truncatis; & in alieniſſimos ſenſus non trahitis, ſed rapitis; idq; auſpiciis *atri* illius ſpiritus, qui Zvvinglio ſuggeſſit, vt locum illum Exodi cum verbis Domini compararet, & hæc per illum explicaret & illuſtraret, vel potius

subrueret, tenebrisque densissimis obscuraret.

Quod verò attinet ad illud artificium, quod Zvvinglianus iste vocat *fallaciam diuisionis*, id non modò Diabolo, sed & hæreticis Diaboli ductu & suasu, familiarissimum esse, notauit iam olim S. Cyprianus his verbis: *Corruptores Euangelij atq; interpretes falsi, extrema ponunt; & superiora prætereunt, partis memores, & partem subdolè comprimentes. Vt ipsi ab Ecclesia scissi sunt, ita Capituli vnius sententiam scindunt.* S. Cypr. lib. de vnit. Ecclesiæ.

Si ex eo colligis, inquit Zvvinglianus, *à spiritu atro edoctum fuisse Zvvinglium, quod sacramentales locutiones veteris testamenti cum locutionibus sacramentalibus noui testamenti contulit; atq; vtrasq; eodem modo intelligendas explicandasq; docuit, quid quæso superest, quàm vt eadem audacia Christum Dominum damnes, Paulum & Chrysostomum suam doctrinam ab atro spiritu hausisse vocifereris?* Nemo reprehendit Zvvinglium quod dicta veteris testamenti contulit cum dictis noui; sed quod contulit peruersè; & ex institutione Diaboli. Nec ita ratiocinamur; *Zvvinglius dicta veteris testamenti conparauit cum dictis testamenti noui; ergo fecit hoc edoctus ab atro spiritu*; sed ita cõcludimus: *Zvvinglius dicit se interpretationem verborum Domini planè falsam impiam & hæreticam accepisse à quodam monitore de quo albus an ater sit, non meminit; collato loco Exodi, cum Domini Verbis: ergo reuera interpretationem illam verborum Domini accepit à spiritu atro*: Hæc est nostra consequentia, non illa, quam tu ex tuo cerebro producis. Ostende Christum, Paulum & Chrysostomum simili modo & monitore comparasse dicta veteris & noui testamenti; & tum demum fucus, quem lectori facere conaris, aliquid fuci habebit.

Nosti, inquis, *Christum Dominum non minus, quam Zvvinglium de sacramentis noui testamenti iisdem phrasibus &*

locutionibus; quæ in veteri testamento passim occurrant, vsum esse & retinuisse. Nunquam dixit Christus: *Hoc est corpus meũ*; id est, *hoc significat corpus meum*; quia Exodi 12. scriptũ est, Est enim Phase (id est, transitus) *Domini*: quia *Est*, hoc loco accipitur pro *significat*, ergo & in his meis verbis non aliter, quàm pro *significat* accipi volo: vt taceam, ne in hoc quidem Exodi loco, *Est*, vsurpari pro significat, vt hallucinatur Zvvinglius. Nam vt rectè docet Cardinalis Bellarminus, Agnus *Paschalis* non dicebatur Phase tropicè, quia significaret trãsitum, nulla enim erat similitudo inter Agni occisionem & transitum Domini: sed dicebatur propriè Pascha, sicut etiam festus dies dicebatur *Pascha*, nomine deriuato ab illo transitu domini, quia Agn⁹ im̃olabatur, & dies festus agebatur in memoriã & honorem illius transitus. Vnde in Euangelio Agnus Paschalis absolutè dicitur pascha: *vbi vis tibi parem⁹ comedere Pascha?* Et, *necesse erat occidi Pascha.*

Bell. lib. 1. de Euch. cap. 11.

Marci 14. Lucæ 22.

Addis. *Quemadmodum circumcisio dicitur fœdus; Agnus Paschalis, transitus; arca fœderis, Iehoua: sacrificia, peccata populi: sic Christus Dominus noui testamenti sacramenta iisdem planè locutionibus instituit, ordinauit, & sanciuit, Itaq; panem appellauit corpus suum, vinum verò sanguinem suum, respiciens ad sacramenta corporis sui.* Vt maximè Christus Dominus in institutione sacramenti respexerit ad figuras, quibus id olim prænunciatum & adumbratum est, itemq; ad modos loquendi, quibus figuræ illæ in sacris litteris explicantur; non sequitur tamẽ Verbum *Est*; aut quodcũq; aliud, accipitur alicubi tropicè & figuratè in sacramentalibus antiqui testamenti locutionibus; ergo etiã in istis: *Hoc est corpus meum*: *Hic est sanguis meus*: accipitur verbum *Est*; aut vox *corpus*, aut *sanguis* tropicè & figuratè. Quæ est ista tandem argumentandi, ne dicam insaniendi, ratio? Non

exami-

examinabo, vtrum, quod isti assumunt, verũ sit an falsum; examinarunt id iam dudum cum alij, tum Bellarminus; tantũ affirmo, ipsam consequentiã nullius momenti esse; rectiusq; ratiocinaturos, si hanc consecutionem colligerent; ergo verbum, *est*, vel vox, *corpus*, non accipitur tropicè & figuratè in hac locutione: *hoc est corpus meum*; quia oratione ista non significatur figura, sed veritas, non vmbra, sed adumbratum; non typus, sed id, quod typo quasi præformabatur.

Nec quisquam est, inquit Zvvinglianus, *qui hactenus Christum Dominum reprehenderit, aut dæmonium habere dixerit: quippe cum de sacramentis sacramentaliter, verbo Dei, eiusq; immotæ veritati cõuenienter locutus sit.* Sed quid hoc ad Zvvingliũ? An & Zvvinglius ita egit? Qui de sacramentis non *sacramentaliter*, sed Diabolicè dixit & scripsit; edoctus nimirum ab illo suo monitore *ex machina, ab illo Phasmate* seu *Phantasmate*; cui *atrum* an *candidum* colorem assignet, se statuere non posse profitetur. De sacramentis *sacramentaliter* locutus est; non aliter ac blasphemi, qui vt blasphemiam exaggerent; aliquot *sacramentorum millia*, per quæ iurent, comminiscuntur.

Quæris. *Quo spiritu ductum & edoctum Paulum arbitraris?* Facilis responsio. Candido & sancto: cuius impulsu *non solum locutiones sacramentales è veteri testamento magna religione in nouum introduxit. Sed etiam ipsas sacramentaliter inter se contulit.* At quod ais, *illum nobis veterum; veteribus nostra sacramenta tribuisse:* falsum est: si id intelligas, vt quidem intelligere videris, de propria, peculiari & quasi *specifica* ratione sacramentorum noui testamenti. Vbi enim tribuit nobis circumcisionem? Vbi antiquis Baptisma? Vbi nobis manna? Vbi antiquis Eucharistiã? Vbi vnquã nominauit Apostolus sacramẽta nouæ legis infirma *Galat. 4.*

 & ege-

& egena mundi elementa; ſicuti nominat ſacramenta legis antiquæ? Si nobis tribuit vetera, & veteribus noſtra; cur igitur tam grauiter obiurgat Galatas, quod poſt agnitionem Chriſtianæ veritatis, ad circumciſionem, & alia Hebræorum ſacramenta reuertiſſent?

Quam tibi, inquis, *iſta Paulina collatio probetur, quantius à te fiat, ſatis oſtendis, cum in Zvvinglio tam grauiter reprehendas ac Diabolo tribuas, quod is, Pauli exemplum ſecutus, fecit.* Collatio Paulina placet nobis, quia Paulina eſt. Collatio Zvvinglij non placet, quia Zvvingliana eſt: imò, ne Magiſtrũ Zvvinglij debito honore defraudẽ, quia Diabolica eſt. Oſtende tu, vbi S. Paulus ſcribat; ſe collationem, ſi quã inſtituit, inter noua & vetera ſacramenta, didiciſſe à monitore, *ex Machina* quadam ſcenica, de quo *albus an ater ſit*; exploratum non habeat. Oſtende, inquam, ſimilem in D. Pauli monumentis confeſſionem; & tunc minore quàm iam impudentia & vanitate aſſeres Zvvingliũ ſua in collatione *exemplum ſancti Pauli ſecutum eſſe.*

Nec plus proficis, cum vt impietatem & ſummam turpitudinem magiſtri tui aliquo modo veles & cohoneſtes; S. Chryſoſtomum producis. *Diuum quoq; Chryſoſtomũ atrum ſpiritum præceptorem habuiſſe affirmare neceſſe habebis, ſi Zvvinglium idcirco rectè colligis ab atro ſpiritu impulſum eſſe, cũ eandem rationem iſtarum prædicationum: panis eſt corpus Chriſti, & Agnus eſt tranſitus Iehouæ, eſſe docuit. Nam D. Chryſoſtomus Hom. 83. in Matth. in hunc modũ ſcribit: Diſcipulos Chriſti ideò non fuiſſe turbatos, cum audirent ſe iuberi carnem Chriſti mãducare, quòd quemadmodum Moyſes de Agno Paſchali; hoc æternum vobis memoriale eſt, dicebat; ſic & ipſe Dominus, In meam commemorationem facite, ait, donec veniam.* Reſpondeo I. Si alicubi D. Chryſoſtomus ſcripſiſſet, verbũ, Eſt, in verbis Chriſti accipi pro, ſignificat; idq; confirmaſſet loco illo Exodi

cap.

cap.12. & eum sibi à monitore quopiã ex *machina*; de quo non constet, *albus an ater fuerit*, suggestum & suppeditatũ fuisse palam profiteretur; tum non vereremur idem iudiciũ de sãcto Chrysostomo ferre, quod ferimus de Zvvinglio. At cum nihil huius notę & modi in omnibus Chrysostomi, viri sanctissimi, lucubrationibus reperiatur, æquo animo patieris, vt Chrysostomum numeremus inter discipulos spiritus *candidi*: Zvvinglium verò inter discipulos spiritus *atri*.

Secundò, vbi obsecro dicit S. Chrysostomus in illa Homilia: esse eandem rationem istarum prędicationum; *panis est corpus Christi*: Et, *Agnus est transitus Iehoua*, ostende eo Chrysostomi loco has duas propositiones; & quidem inter se comparatas; cum asseueratione, vnam & eandem prorsus vtriusq; rationem esse? Ni feceris mendacij & imposturę crimine notaberis. Tertiò, cur tua verba pro verbis S. Chrysostomi nobis supponis, plumbea pro aureis; falsa pro veris? Nihil enim aliud dicit S. Chrysostomus; quam Eucharistiam esse monumentum seu *memoriale* Christi Domini; sicut etiam Agnus Paschalis seu *Esus* eius, erat memoriale redemptionis ex seruitute Ægyptiaca. Quartò. quæ nam ista est argumentandi forma? *Christus vocat Eucharistiam memoriale seu symbolum sui & suæ paßionis, ergo Christus ex sententia S. Chrysostomi non est realiter & substantialiter præsens; sed sicut tantum est symbolum paßionis Dominicæ iam olim peractæ; ita tantummodo est symbolum Christi in solo cœlo corporaliter exsistentis.* Quænam hæc stoliditas huius Zvvingliani, texere ex Chrysostomo non argumenta, sed deliramenta. Perinde est ac si diceres. *Agnus ille Paschalis erat symbolũ destructæ seruitutis & adeptæ libertatis, ergo verè & substantialiter non erat Agnus; sed Agni duntaxat symbolum.* An non vidisti Beumlere, hæc S.

Chrysostomi verba præter cætera: *Quemadmodū vetus* (testamentum) *pecudes & vitulos habebat, eodem modo nouum, Dominicum possidet sanguinem.* At vetus testamentum verè & *substantialiter* habebat illum sanguinem pecudum; ergo nouum testamentum verè & *substantialiter* habet sanguinē Christi ex sententia Chrysostomi: Ergo non tantum in figura: vt delirat Zvvinglius. Hęc & alia huius generis, si in S. Chrysostomi Homilia obseruasses; stultiloquentiam tuam hoc saltem in loco occlusiorem habuisses.

Concludit Apologiā suam Beumlerus; quæ conclusio vera erit, si partim negationes orationi addantur, partim additæ omittantur, in hunc modum. *Ex his igitur, quæ hactenus dicta demonstrataq; à nobis sunt, intelligit pius lector, Zvvinglium quod à verbo Dei, à doctrina Christi, à confeßione Apostolorum, à sententia primitiuæ Ecclesiæ alienum sit, vel potius his per omnia cum ea pugnet, scripsisse & docuisse, ac proinde doctrinam eius ab atro spiritu profectam esse, neminem, nisi atrum spiritum familiarißimum habeat penitusq; ab eo occupetur & regatur, inficiari posse.*

Deut. 13. Vincent. contra Her. c. 15. Et hæc de somnio Zvvinglii dicta sufficiant: cui cum somnium suum proponebat, occinendum erat illud mandatum Moysis: *Si surrexerit in medio tui Propheta, aut qui somniū se vidisse dicat: id est,* vt interpretatur Vincentius, *Magister in Ecclesia constitutus, quem discipuli vel auditores sui ex aliqua reuelatione docere arbitrentur. Quid deinde? Et prædixerit signum atq; portentum, & euenerit, quod locutus est; magnus profectò, nescio quis significatur Magister, & tanta scientiæ, qui sectatoribus propriis non tantum ea, quæ humana sunt, nosse, verum etiam quæ supra hominem sunt, prænoscere posse videatur: quales ferè discipuli sui iactitant fuisse, Valentinum, Donatum, Photinum, Apollinarem.* (Lutherum, Zvvinglium, Caluinum) *Quid postea? Et dixerit tibi; Eamus & sequamur*

Deos

Deos alienos, quos ignoras, & seruiamus eis. Qui sunt Dii alieni, nisi errores extranei, quos ignorabas, id est, noui & inauditi? Et seruiamus eis, id est, credamus eis, sequamur eos. Quid ad extremum? Non audies, inquit, verba Prophetæ illius, aut somniatoris. Et quare, oro te, à Deo non prohibetur doceri, quod à Deo prohibetur audiri? Quia, inquit, tentat vos Dominus Deus vester, vt palàm fiat, vtrum diligatis eum, an non, in toto corde, & in tota anima vestra. Luce clarius aperta caussa est, cur interdum diuina prouidentia quosdam Ecclesiarum Magistros noua quædam dogmata prædicare patiatur. Vt tentet vos, inquit, Dominus Deus vester.


Quæ cum ita sint, ille est verus & germanus Catholicus, qui Vincent. c.xx. veritatem Dei, qui Ecclesiam qui Christi corpus diligit, qui diuinæ religioni, qui Catholicæ fidei nihil præponit: non hominis cuiuspiam auctoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, non Philosophiam: sed hæc cuncta despiciens & in fide fixus & stabilis permanens, quidquid vniuersaliter antiquitus Ecclesiam Catholicam tenuisse cognouerit, id solum sibi tenendum, credendumq; decernit; quidquid verò ab aliquo deinceps vno præter omnes vel contra omnes cunctos nouum & in auditum subinduci senserit, id non ad religionem, sed ad tentationem potius intelligat, pertinere.

FINIS.

(:)




EPI-



EPIGRAMMA


IN SOMNIVM ZVVINGLII.


SOmniat arcanâ Parnassi PASTOR in vmbrâ,
Et felix VATEM parturit vmbra nouum.
ZVVINGLIVS Helueticis noua somnia captat in vmbris,
Et noua DOCTOREM protinus vmbra parit.
Nam vigil in dubias illabitur vndiq; curas,
Quâ velit assertos arte nouare dolos:
Vt nihil in vigili profecit cura cerebro;
Dormit, & in voto Morphea somnus habet.
Ecce per infaustas adrepit LARVA tenebras,
Quodq; vigil nequiit discere, LARVA docet.
Euigilat, dubiisq; vigil sua SOMNIA iurat.
SOMNIA quid iuras? credimus: esse nega.



Disce-

JACOBI
GRETSERI
SOCIETATIS JESV
THEOLOGI
Supplementum
DVPLEX
PRO DVOBVS LIBRIS,
De
JVRE ET MORE PROHIbendi, expurgandi, & abolendi libros Hæreticos, & noxios.





Ad Lectorem.

QVod vulgò dicitur; priorem diem esse posterioris discipulum: *id veritati perquam consentaneum esse, liquet vel maximè ex illis scriptionibus, quæ non tam ex ingenij proprij solertia, & acumine; quàm ex lectione multiplicium librorum pendent. Nam quo quis legendo, variosq; Auctores euoluendo magis progreditur, eo copiosior, vberiorque commentandi materies occurrit. Quod mihi cum aliâs, tum nuper editis duobus libris de iure & more prohibendi libros noxios euenit: Etenim postquam opus illud publici iuris feceram, nec pauca, nec contemnenda sese obtulerunt, quibus neq; meos libros, neque Lectorem carere volui.*

Diuisi autem supplementum hoc in duas partes: quarum altera primo libro respondet, altera secundo, notatis ad marginem locis, quò quiduis referendum sit. Vale.

SVP-



SVPPLEMENTVM DVPLEX PRO DVOBUS LIBRIS DE IURE & MORE PROHIBĒDI, EXPURGANDI & ABOLENDI LIBROS HÆRETICOS & NOXIOS.

PRIMÆ PARTIS CAPVT PRIMVM.

Libri suspecti à Romanis exusti.

Lib. 1. cap. 2.



Acitus in vita Agricolæ, initio: *Legimus cũ Aruleno Rustico Pætus Thrasea; Herennio Senecioni Priscus Heluidius laudati essent; capitale fuisse: neq; in ipsos modo auctores, sed in libros quoque eorum sæuitiam, delegato triumuiris ministerio, vt monumenta clarissimorum ingeniorum in comitio ac foro vrerentur.* In hoc factum stringit Tacitus stylum non sine bile. *Scilicet illo igne,* inquit, *vocem populi Romani & libertatem senatus, & conscientiam generis humani aboleri arbitrabantur; expulsis insuper sapientiæ professoribus.* Verùm, vt alibi dixi de Cremutii Cordi Annali-

bus; meritóne, an immeritò Rustici & Herennii monumenta incensa sint, accuratius non disquiram, neq; examinabo, num Taciti querela æqua sit, an iniqua, quia nihil aliud mihi propositum est, quàm demonstrare, ipsis quoq; Ethnicis persuasum fuisse, libris damnosis non esse parcendum. Iam verò num in executione huius persuasionis hoc vel illo casu errârint; id ad institutũ nostrum nihil facit.

S. Augu. lib. 7. de ciuitate Dei ca. 34.

De libris Numæ, à senatu Romano exustis, pulchrè disserit S. Augustinus ex Varrone. *Terentius quidam cum haberet ad Ianiculum fundum, & bubulcus eius juxta sepulchrum Numæ Pompilii traiiciens aratrum, eruisset ex terra libros eius, vbi sacrorum institutorum scriptæ erant causæ, in Vrbem pertulit ad prætorem. At ille cum inspexisset principia, rem tantam detulit ad senatum. Vbi cum primores quasdam caussas legissent, cur quidque in sacris fuerit institutum, Numæ mortuo senatus assensus est, eosq; libros, tanquam religiosi patres conscripti, prætor vt combureret, censuerunt. Credat quisq; quod putat; imò verò dicat, quod dicendum suggesserit vesana contentio, quilibet tãtæ impietatis defensor egregius. Me admonere sufficiat sacrorum caussas à Rege Pompilio, Romanorum sacrorum institutore, conscriptas, nec senatui, nec saltem ipsis Sacerdotibus innotescere debuisse: ipsumq; Numam Pompilium curiositate illicita, ad ea Dæmonum peruenisse secreta, quæ ipse quidem scriberet, vt haberet, vnde legendo commoneretur: Sed ea tamen cum Rex esset, qui minimè quenquam metueret, nec doceret aliquem, nec delendo, nec quoquo modo consumẽdo perdere auderet: ita quod scire neminẽ voluit, ne homines nefaria doceret: violare autẽ timuit ne Deos iratos haberet: Obruit, vbi tutũ putauit, sepulchro suo propinquare aratrũ posse nõ credẽs. Senat⁹ autẽ cũ religiones formidaret dãnare maiorũ, & ideò Numæ assẽtiri cogeret, illos tamẽ libros tã perniciosos esse iudicauit, vt nec obrui rurs⁹ juberet, ne humana curiositas multò*

multò vehemẽtius rem jam proditã quæreret, ſed flammis aboleri nefanda monimenta; vt quia jam neceſſe exiſtimabant ſacra illa facere, tolerabilius erraretur, cauſſis eorum ignoratis, quàm cognitis ciuitas turbaretur.

Quàm verò pernicioſæ vel à cultu veræ diuinitatis alienæ illæ litteræ judicatæ ſint, inquit alibi S. Auguſtinus, *hinc intelligi poteſt, quòd eas maluit ſenatus incendere, quas Pompilius occultauit, quàm timere quod timuit, qui hoc audere non potuit.* Cap. 35.
Quocirca refutans Varronem S. Auguſtinus eodem loco ſic contra illum diſputat. *Quid mihi ergò Varro illorum ſacrorum alias neſcio quas cauſſas velut Phyſicas interpretatur? quales ſi libri illi habuiſſent, non vtiq; arſiſſent: aut & iſtos Varronis ad Cæſarem Pontificem ſcriptos atq; editos, Patres conſcripti ſimiliter incendiſſent.*

Hæc S. Auguſtinus: Ex quibus multa diſcet, qui diſcere volet: Præcipuè hoc, libros noxios, etiam caſu repertos, non eſſe legendos, ſed aut abolendos, aut ad Magiſtratum deferendos. Si enim hoc ab Ethnicis veri Dei ignaris actum eſt, quanto magis præſtari debet ab illis, quibus lux veritatis illuxit. Secundò, ſi Romani amore ſuæ religionis, quam à Maioribus acceperant; ne tanti quidem Regis lucubrationibus pepercerunt; quod exiſtimarent, eas valere ad ſacra jam publico vſu recepta labefactanda & conuellenda; quanto minus Chriſtianus Magiſtratus, veri Dei cultor, permittere debet; vt libri in auitam fidem iniurioſi & contumelioſi liberè circumuolitent; & in ſubditorum manibus verſentur.



CAPVT II.

De libris Eutychetis.

Lib.1.cap.7. ADmodum verſipellis veterator fuit Eutyches, & in commendā ſpargendaq; ſua hæreſi perquā induſtrius artifex. De quo hæc Euſebius Dorylæus Epiſcopus. *Comperi, quia Eutyches presbyter & Archimandrita volumen direxit per monaſteria, & ad ſeditionem excitat Monachos; & quia hoc ipſum ad tutelam Eccleſiaſticam ſanctæ ſynodo pertinet inquirere & cognoſcere, qualia conficit & machinatur tumultum faciens.* En morem hæreticorum diſſeminandi, & in omnes partes extrudendi ſectæ ſuæ libellos. nam eo conſilio miſit Eutyches ad varia Monaſteria *tomum* ſuum (ſic enim in Chalced. ſynodo appellatur) vt Monachos ad ſubſcriptionem & ſuffragationem pelliceret. Cui tamen S. Flauianus, Euſebius, & alij imperterrito animo reſtiterūt; & vt peſtiferum illum fœtū maturè opprimerēt; plurimùm allaborarunt. Et ſucceſſiſſet conatus, niſi Eutyches ab aulā præſidium petiiſſet & impetraſſet. Nam cum emergentes hæretici veritate ſe & ſua tutari nequeant; ad potentiorum clientelām confugiunt; ſub quorum clypeo ſecuri quidu is in orthodoxam fidem & diſciplinam eructant; quod non modò priſca, ſed & noſtra ætas nimium quantum experta eſt.

In Concil. Chalce. act. 1.

CAPVT III.

De libris Neſtorij & Theodori Mopſueſteni.

Lib.1.cap.9. REfert Pelagius Pontifex in Epiſtola ad Epiſcopos Iſtriæ ex Heſychio Hieroſolymorum Presbytero Theo-

Theodorum Mopsuestenum monitum fuisse, vt profanos commentarios in librum Psalmorū aboleret; & promisisse se facturum; sed postea fidem fefellisse. Verba Pelagij ex Hesychio sunt ista. *Prima elementa suæ doctrinæ ex Iudaico vaniloquio incipiens, codicem in Prophetiam Psalmorum conscripsit; omnes de Domino prædicationes*(prædictiones) *abnegantem; culpatus verò & periclitatus contraria sibi dixit, non ex voluntate, sed compulsus omnibus cæremoniis & codicem ipsum delere pollicitus, latenter cōseruabat Iudaicæ impietatis viaticum,&c.*

Subdit Pelagius. *Contra errores eiusdem Theodori piæ recordationis Theodosius & Valentinianus legem promulgantes inquiunt: Debitam à nobis venerationem piissimæ doctrinæ reddentes, eos qui ausi sunt contra Dominum impiè conscriberè debitæ condemnationi subiicere, & nominibus dignis vocari oportere existimauimus. Iustū igitur circumdari eos cōfusione suorum peccatorum, & in tali vocabulo permanere in æternum, quatenus nec viui liberentur, & post mortem maneant contempti. Igitur doctrina Theodori & Nestorij impiorum & pestiferorum visa nobis abominanda esse, similiter autē & omnes, qui sequūtur eorū errorē, & cōsentiunt eorum impietati, iustum est ipsos eandem nominationem mereri, & confusionem indui, vt non Christiani, sed Nestoriani, nominentur, ne dum nominantur Christiani, ex ipso inueniantur decorati vocabulo, longè constituti à Christianorum proposito, & alienati à recta & immaculata fide: & post pauca: si quis præterierit præsentem nostram sanctionem, & Theodoro & Nestorio assēserit, & illorum socios imitatur, post gladii vltionem omnis eius substantia fisco addicatur.*

Rursum contra errores illius piæ recordationis Theodosius & Valentinianus legem promulgantes, inquiunt: Nemo habeat, aut legat, aut scribat, aut proferat Nestorium, seu illius libros, vel Codices omninò inutiles, vel ipsius Nestorii, vel alterius, & maximè

mè Nestorii aduersus solos Christianos conscriptos, aut Theodori, sed vnusquisq; habens tales Codices publicè illos proferat, & in conspectu omnium igni tradat.

Hactenus Pelagius Pontifex de Imperatorum aduersus Nestorium & Theodorum constitutione, quæ eadem esse videtur cum illa eorundem Imperatorum, quæ habetur in Concil. Chalcedonensi Act.3. de qua dixi li.1. c.9. Quanquã Valentinianus & Marcianus Imperatores postea abrogarunt, quorũ cõstitutio ead. act. Cõc. Chalcedonensis recitatur. Sed cũ lex Theodosii, quã pro Eutyche tulit, seductus à Chrysaphio; nõ sit contra Theodorũ Mopsuestẽũ; sed cõtra Theodoretũ Cyri Episcopũ, mirum videri potest, quomodo Pelagius legem hanc de Theodoro acceperit; de Thedoreto autẽ accipiendam esse, satis liquet ex ipsa lege; itemq; ex lege, quam postea Marcianus pro Flauiano, Eusebio, Theodoreto, & aliis orthodoxis Episcopis promulgauit. Neque lex, quam protulit Pelagius, videtur diuersa. Eadem enim sunt propemodum vtriusq; verba; vt conferenti planum erit; nisi quod in lege Theodosii, prout refertur, in Synod. Chalc. mentio fit Porphyrii: *Et maximè, quos contra solas Porphyrius edidit Christianas litteras.*

Veruntamen nihil obstat, quo minus legem à Pelagio prolatam diuersam esse affirmemus ab illa, quam in Theodoretum sanxit Theodosius. Neq; enim credibile videtur Pelagiũ Pontificem deceptum, Theodorũ in locum Theodoreti subrogasse, & priora constitutionis verba satis idipsum ostendunt; planè enim alia sunt ab illis, quæ leguntur in Concilio Chalcedonensi.

Illud item scrupulum mouet, quod in lege sancitur, vt qui Nestorii dogmata sectabantur, non *Christiani*, sed *Nestoriani* vocarentur: Quæ enim hæc ignominia, præsertim

ſertim apud perfrictæ frontis hæreticum; qui appellatione à Magiſtro ſuo deducta, mirificè ſibi blandiri ſolet; vt ſuo loco fuſius dixi, notumq; eſt, Theodoſium edixiſſe; vt Neſtoriani appellarentur *Simoniani* à Simone Mago; *præcipientes*, inquit, *ne Chriſtiano ſaltem nomine cenſerentur, ſed vt Simoniani potius vocarētur, quoniam blaſphemiam Simonis dilexerunt.* vt taceam nunc alias leges eiuſdem Theodoſij eodem nomine *Neſtorianos* inſignientes. niſi fortè quis exiſtimet, ſatis pœnæ & probri eſſe excludi à vocabulo communi omnibus, eoq; ſalutari & honorifico; & quodammodo adſtringi ad appellationem priuati hominis; quem vt ſectator ſuſpiciat, efflictimq; depereat, alij tamē in hæreticorum claſſe reponunt. Quocirca hoc etiam tempore pleriq;, non Lutherani aut Caluiniani à Luthero & Caluino, ſed *Euangelici* ab *Euangelio*, audire volunt. Syn. Chalc. Act. 3.

Cæterum quamuis hæretici tàm ſuos quàm hæreſiarcharum ſuorum libros quoquo verſus diſſeminent; diſcipuli tamen Theodori libros eius non ſecus aſſeruarunt; atq; gryphes aurum; aut peruigil ille Draco Phrixéum vellus, ne ad Mopſueſtenicis Myſteriis non initiatos emanarent. Qua de cauſſa difficiles repertu erant. Teſtatur id Leontius Byzantinus: *Si*, inquit, *facile eſſet ſcripta eius* (Theodori) *reperire, non pigeret nos in omnibus capitibus, de quibus eum accuſauimus, illum ipſum teſtem producere. Quia verò nos vix, & magno labore, & multis cogitationibus vſi librū eius contra Incarnationem reperire potuimus. vehementer enim obſeruant. & cauent, ne illius libros cum iis, qui non ſunt in illis inſtituti, communicent, ob hanc cauſſam ea ſolum, &c.* Leont. lib. 3. cont. Eutych. & Neſt.

Quod ad Theodoretum attinet; Teſtatur quoque Pelagius Pontifex, à Catholicis illos duntaxat Theodoreti libros repudiatos & interdictos fuiſſe, qui fauerent Pelag. Ep. cit.

Nestorianis. *Quis non videat*, ait Pontifex, *quanta temeritate plenum sit, Theodoreti scripta superbiendo defendere, quæ eundem ipsum constat recta post profitendo damnasse. Dum verò eius & personam recipimus, & ea, quæ dudum latuerant prauæ scripturæ reprobamus, in nullo à sactæ Synodi actione deuiamus: uia sola eius hæretica scripta respuentes, & cum Synodo adhuc Nestorium insequimur, & cum Synodo Theodoretum profitentem recta, veneramur. Alia verò scripta illius non solùm recipimus, sed eis etiam contra aduersarios vtimur.*

Notanda est autem hoc loco spissa ruditas & inscitia eorum prædicantium, qui librum Concordiæ Torgæ primùm architectati sunt, Smidelini, inquam, Chemnicii, Selneceeri, Chytræi, Musculi, Corneri, quos refert Georgius Sohn, Caluinianus Minister, *affirmasse, Theodoretum Nestorianum esse, atque olim hoc nomine damnatum fuisse, neque hunc errorem vnquam retractasse.* Quod profectò ignorantiæ historicæ lōgè est illustrissimum exemplum, cuius nescio à quo admonitos ipsos Auctores postea puduit. Idcircò hoc ruditatis suæ testimonium expunxerunt, cum Bergæ Concordiam illam suam relamberent.

Sohn disp. de omnipræsent. corporis Christi The. 18. 19.

CAPVT IV.

De libris Origenis.

DE his magna fuit olim in Ecclesia dissensio, vt suo loco dictum. Tandem in eam sententiam crebrioribus suffragiis itum video, vt libri illi interdicerentur. *Sed dicet aliquis*, inquit Vincentius Lirinensis, *corruptos esse Origenis libros. Non resisto, quin potius*

Lib. 1. cap. 11.

Vincen. c. 23.

tius & malo; Nam id à quibusdam & traditum & scriptum est, non Catholicis tantum, sed etiam hæreticis. Sed illud est quod nunc debemus aduertere: Etsi non ipsum, libros tamen sub nomine suo editos magnæ esse tentationi qui multis blasphemiarum vulneribus scatentes, non vt alieni, sed quasi sui & leguntur, & amantur, vt etsi in errore concipiendo Origenis non fuit sensus, ad errorem tamen persuadendum Origenis auctoritas valere videatur. Iure igitur olim interdicti fuerunt.

Vtrum autem tantis & tam tetris erroribus ipse Origenes libros suos contaminarit; an hæreticorum improbitas; an verò partim Origenes ipse, partim Hæretici, id discurere non est huius loci. Primum sensisse videtur sanctus Hieronymus; secundum Ruffinus, & cum hoc Picus Mirandulanus; quanquam tertium fortasse omnium propinquissimè ad veritatem accedit. Ægrè ferebat olim non Pamphilus, sed Eusebius Pamphili libros Origenis ab Orthodoxis veneni instar deuitari, lectoresque & amatores Origenis rectè sentientibus odio esse. *Aduersus eos qui hæc legunt,* inquit, *hostiles inimicitias sumunt, tam pertinaciter id agentes, vt nulla prorsus venia eos dignos haberi putent: ne ea quidem, quæ impartiri solet verbi gratia his, qui Græcorum sæcularium libros, vel nonnunquam etiam hæreticorum percontandi atque cognoscendi studio decurrunt.* Nihil mirum, ô Eusebi; celebre enim nomen Origenis erat, quo vel solo quiuis absque vllis argumentis in errorem induci poterant: error magistri est in Ecclesia Dei tentatio populi, & tanto maior tentatio, quanto ipse est doctior, qui errat.

Mirand. in sua Apolog.

Euseb. in Apolog. pro Origen.

Ego ita sentio, ait Vincentius, *quod cùm multos in hoc tentandi genere proferre valeamus, nemo pænè sit, qui Origenis tentationi valeat comparari, in quo plura adeò præclara,* *Vincent. c. 23.*

adeò singularia, adeò mira exstiterunt, vt inter initia habendam cunctis eius assertionis fidem, quiuis facilè iudicaret: Quod pluribus deinceps ostendit Vincentius. Nihil ergò à ratione alienum fecerũt, qui libros Origenis ex manibus mortalium excutere conati sunt, ne cum amore tanti viri influeret sensim in animum amor perniciosorum dogmatum.

Ab his, qui Origenis libros legunt, ait Eusebius, *penitus exclusum putant mandatum, quo probabiles jubentur esse trapezitæ, scientes, quod bonum est retinere; ab omni autem se specie mala abstinere.* Iubentur quidem omnes probatos nummularios imitari; sed quid si tantum artis & ingenii non sit, (sicut profectò plerisq; non est) vt probatos nummularios imitari queant; quibus non rarò accidit, vt aureum nummum trutinando se elegisse credant, cum elegerint plumbeum. Omnibus Hæreticis solenne est vociferari, Omnia probate; quod bonum est, tenete; *quasi non liceat omnibus malè examinatis in electionem alicuius mali impingere per errorem*, vt verè & scitè Tertullianus dixit. Quid si Ecclesia, seu Ecclesiæ Antistites vetent, ne quiuis promiscuè officio trapezitæ fungatur; vt vetuit, nec semel, quod ad libros Origenis attinet? An, nõ obstante tali interdicto, quilibet absque discrimine monumenta illa euoluet, arreptaque lance expendet quid genuinum sit, quidue adulterinum? Hic quidem Hæreticis mos innatus est, non orthodoxis, qui vocem illam Domini in animo perpetim circumferunt: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.*

Tertull. lib. de præscript.

Quid si ipsa naturæ lex & præscriptio à tali probatione & experimento arceat propter periculum erroris & ruinæ? quod sanè ex lectione librorum Origenis præsens

ſens imminebat ob ſummam viri auctoritatem, nominisque celebritatem, qua totum Chriſtianum orbem repleuerat. *Quanta apud omnes illius admiratio*, inquit Vincentius, *quanta gloria, quanta gratia fuerit, quis exequi valeat? quis non ad eum paulò religioſior ex vltimis mundi partibus aduolauit? Quis Chriſtianorum non penè vt Prophetam, quis Philoſophorum non vt Magiſtrum veneratus eſt?* Ipſe quoq; Euſebius ſcribit vitio datum Origenis cultoribus, quod quaſi in numero Apoſtolorum vel Prophetarum tam Origenem, quàm dicta eius collocarent. *Sed de hoc certum non habeo*, ſubdit Euſebius, *vtrum calumniandi voto iſta tantummodo iactitent, an & verè ab aliquibus ſimplicioribus & propenſiori affectu diligentibus virum, aliquando fortaſſis tale aliquid audierint.* At procliuè eſt neſcire, quod ſcire non lubet.

Si Euſebius ſtudium Origeniſtarum in Origenem diſcere voluiſſet, factu vtiq; id pronum erat; neque enim minore affectu in illum ferebantur, quam hodiè noſtri nouatores in ſuos duces & auſpices; quos *Heliæ, Euangeliſtarum, Prophetarum*; & *Apoſtolorum* ſpecioſis titulis exornant, quibus tamen tanto minus venia danda eſt, quanto minus noui errones ad eruditionem Origenis accedunt, quem ipſe etiam Porphyrius tametſi capitalis Chriſtianorum hoſtis ad *arcem totius ſcientiæ* euectum eſſe, ingenuè confeſſus eſt.

Addit Euſebius; ea, quæ Origenes litteris mandauit, & in quibus hallucinari viſus eſt, non *aſſerendi*, ſed *diſputandi* cauſſa prolata fuiſſe; idque ipſum Origenem non ſemel profiteri, vt & hoc, ſibi non conſtare, quæ ſit verior ſententia; ac in lectoris arbitrio poſuiſſe, vt eam, quæ magis arriſerit, cæteris anteponat. Vetus hæc eſt cantilena, & jam ipſa temporis diuturnitate contrita, quam nobis itidem occinit Auctor ille

apud Photium in Bibliotheca, qui post Eusebium Apologiam pro Origene texuit: Ait enim, ἢ γυμνασίας αὐτοῦ χάριν εἰρῆσθαι, ἢ ὑπό τινων ἑτεροδόξων παρεμβεβλῆσθαι. *Talia vel exercitationis gratia ab illo scripta, vel ab Hæreticis intrusa.* ἡ δὲ ὑπὲρ αὐτοῦ ἀπολογία οὐκ ἔστι λύσις τῶν ἐπικλημάτων ἀλλὰ συνηγορία τῆς κατηγορίας. *Hæc defensio non est criminum obiectorum dilutio, sed accusationis confirmatio*, vt rectè dixit *Photius*; quid enim necesse erat oua ponere; quibus ab alio exclusis regulus seu basiliscus in Christiano orbe progigneretur? Quid opus digitum intendere ad impietatem, aliisque viam ad perniciem munire?

Phot. Volum. 117.

Quotus enim quisque, tanti ingenii, tantæ doctrinæ, tantæ gratiæ virum à se facilè deponeret, ac non potius illa vteretur sententia, se cum Origene errare malle, quàm cum aliis vera sentire? Quotusquisque erat, qui eò non irrueret, quò tantus vir innueret? vt taceam plurima ab omni pietatis ratione prorsus abhorrentia ab eo non inquirendo aut dubitando, sed asserendo tradita. Neque inficiamur, quæ Eusebius de probatissimis Origenis moribus commemorat: *Nam si vita facit auctoritatem*, inquit Vincentius, *magna illi industria, magna pudicitia, patientia, tolerantia fuit, qui pro Christo, non solùm patre, sed omni quoque facultate priuatus, tantum inter sanctæ paupertatis profecit angustias, vt pro nomine dominicæ confessionis, sæpius, vt ferunt, affligeretur.* Attamen *hic tantus ac talis; dum gratia Dei insolentius abutitur, dum ingenio suo nimium indulget, sibiq; satis credit: cum parui pendit antiquam Christianæ religionis simplicitatem, dum se plus cunctis sapere præsumit; dum Ecclesiasticas traditiones, & veterum magisteria contemnens, quædam scripturarum capitula nouo more interpretatur; meruit, vt de se quoq; Ecclesia Dei diceret: Si surrexerit in medio tui Propheta, &c. non audies verba Prophetæ illius.*

Vincent. c. 23.

Quam-

Quamobrem rectissimè olim fecerunt; qui ab Originis libris & se & alios abstinuerunt; cũ pellacia sua quẽuis in perniciales errores inducere potuerint. Nec malè factum, cum quidã eò vsq; processerunt, vt ne bona quidem ab Origene profecta reciperent; id enim eo consilio agebant; ne dum bona animo arriderent; simul etiam mala arridere inciperent: Arduum enim tunc erat; vt quis partẽ duntaxat Origenis probaret; partem improbaret. Itaq; vt à malis se redderent securos, ipsa itidem bona repudiabant. quod hoc etiam æuo vsitatum est cum Hæresiarcharum libris; ex quibus pleriq;, odio hæreseos & timore lapsus, ne bona quidem haurire volunt; imò nec licitè possunt; absq; superiorum permissu, vetante id lege Ecclesiastica. Cæterum cur hodie libri Origenis, qui exstant, cunctis permittantur; alibi ratio reddita est.

CAPVT V.

De Nicolao primo Pontifice, monente Michaelem Imperatorem, vt exemplaria Epistolæ suæ in Apostolicam Sedem contumeliosæ exurat, & de libro Nicetæ Pectorati concremato.

CVm Michael Imperator Constantinopolitanus se moribusq; suis dignam, Apostolica autem Sede indignissimam Epistolam ad Nicolaum Pontificem dedisset; Põtifex intrepidè in hęc verba rescripsit *Quapropter, Imperator sublimissime, diligenter propter Dominum inquirentes atq; scrutantes, si vestra illam non fuisse præceptione tam* *Lib. I. ca. 14.* *Nicol. ep. I. ad Micha. Impe.*

canosam

cœnosam inueneritis confectam, imò toxicatis syllabis infectam Epistolam (vt interim de tot præstigia texentium pœna taceamus) quam illi vobis zelo veritatis flagrantibus inuoluere; conuenit saltem huius socia accepta, & palam cunctis igne succensa per Augustales vestros tam nobis quàm omnibus, ad quorum notitiam peruenit, destinatos apices competenti satisfactione à tam peruerso sensu, & tam profanis adinuentionibus, quod à sensu vestro non fuerit commentis tradita, vos exhibere prorsus immunes.

Iam verò si vobis in multis huiusmodi sollicitudinibus occupatis, surreptum est, vt talia scribere mandaretis, ne pigeat clementiam vestram hoc etiam humiliter confiteri, & legibus vestris, vt huiusmodi scripta nullius habeantur momenti, decernere, ita vt penes quem reperta fuerint, impunito non euadente, ipsius quoq; sæpe memoratæ & execrandæ Epistolæ vel exemplaris eius apices (intemeratis pro reuerentia manentibus sacris dictionibus) flammeo dedantur igni voranda, vt à sinistro opinionis næuo, quem ex blasphemiis scriptis incurreretis, cauere valeatis, &c.

Sin autem, scitote quoniam postquam in hac vos pertinacia persistere fine tenus velle comperimus, primùm quidem congregatis cunctarum occidentalium regionum venerabilibus sacerdotibus, dictatores & dispositores atq; præceptores tantæ fallaciæ, seu crudelissimæ derogationis sanctorum vel paternarum traditionũ, ab omni Christiana compage remotos, Apostolica freti auctoritate, diris anathematis vinculis innodabimus: nec non & patrum & prædecessorum meorum secuti vestigia, qui soliti sunt etiam numerosorum concilia nequiter celebrata cassare pontificum, si qua socia sunt crebro dictæ vel exemplaria fortassis Epistolæ; quin potius non solum hæc, sed & omnia scripta, quæ vel aduersus fratrem & Coëpiscopum nostrum Ignatium iniquè confecta, vel aduersum nos caussam illam canonicè prosequentes furiosè deprompta sunt; perenni damnationi mandabimus.

Deinde

Deinde verò decernentibus nobiscum & simul considentibus iisdem sanctissimis fratribus & Coëpiscopis nostris, ipsam Epistolam in S T I P I T E, videntibus cunctis, S V S P E N S A M, vasto supposito foco, ad vituperium vestrum coram omnibus nationibus, quæ penes memoriam sancti Petri multipliciter inueniuntur, extremæ perditioni donabimus, quatenus his ritè patratis; discat pius, quod amet, & crudelis quod timeat, &c. *Non possumus in Ecclesia Dei dissimulando tam spurca relinquere germina, quæ antecessorum nostrorum beatissimorum pontificum tempore; aut nunquam exorta, aut certè si vndecunq́, aut quomodocunq́, exorta sunt, eorum iudicij ligone, antequam proficerent, radicitus exstirpata sunt.* Et post pauca. *Alioquin, vt iam præfati sumus, sic Deo fauente de cætero vigilabimus, & studiis, quibus possumus, insistemus, vt inter exanimes computentur, qui auctoritatem Petri non senserint, imò Dei hanc ordinantis in Petro non intellexerint, ita vt nec ista, quæ perniciosè compilata sunt, defendere, sed nec similia scripto tradere, vel in mente voluere quis vlterius audeat.*

Hæc Nicolaus Pontifex, quem technæ Græcorum in deprauandis libris & litteris minimè fugiebant. Quocirca Epistolam suam hoc anathematismo munitam in Græciam misit. *Quisquis interpretatus eam fuerit, & ex ea quidquam mutauerit, vel subtraxerit, vel addiderit, præter illud, quod idioma Græcæ dictionis exigit, vel interpretantis scientia intelligendi non tribuit, anathema sit.* Putat Baronius blasphemam Michaelis Epistolam fuisse postea sub Adriano secundo, Nicolai successore; cum libro Photij combustam; de qua exustione iam alibi satis dictum est. *Baro. To. 10. anno Christi 868.*

De Niceta Pectorato Monacho Constantinopolitano, Latinorum disputationibus conuicto, & ad saniorem mentem reducto hæc referuntur *in succincta & compendiaria relatione eorum, quæ gesserunt Apocrisarij sanctæ Ro-*

manæ & Apostolicæ Sedis in Regia Vrbe. Anno vndecimo imperij Constantini Monomachi, ipso die Natiuitatis Ioannis Baptistæ: aduenientibus à Domino Papa Leone nono Apocrisariis sanctæ Romanæ & Apostolicæ Sedis, Humberto scilicet Cardinale Episcopo Syluæ Candidæ, & Petro Amalphitanorum Archiepiscopo, Friderico quoque Diacono & Cancellario, ad Monanasterium Studij intra vrbem Constantinopolitanam, Niceta Monachus, qui & Pectoratus, ante præsentiam præfati Imperatoris & procerum eius insistentibus ipsis nuntiis Romanis, anathematizauit quoddam scriptum sub suo nomine contra Sedem Apostolicam & omnem latinam Ecclesiam editum, & prætitulatum, de Azymo, de Sabbato, & de nuptiis Sacerdotum. Insuper anathematizauit cunctos, qui ipsam sanctam Romanam Ecclesiam, negarent primam omnium Ecclesiarum esse, & qui illius fidem semper orthodoxam præsumerent in aliquo reprehendere. Post hæc statim in conspectu omnium ad suggestionem eorundem nuntiorum Romanorum, iussit idem orthodoxus Imperator, præfatum incendi scriptum, sicq; fuit discessum.

CAPVT VI.

De libris Hussi & Wiclephi.

MVlta de his scripsi li. 3. de iure prohibendi libros noxios cap. 17. sed postea incidi in ipsa Hussi opera, in quibus varia de hac librorum suorum & VViclephicorum exustione tractat; quæ partim referenda, partim refellenda duxi, quia vt Lutherus, ita Sectarius iste Bohemicus operum suorum concremationem, indignissimè tulit: & in conflagrationis huius auctores omnis generis criminationes plenis buccis exspuit, non secus ac Lutherus, qui Hussi vestigia diligenter sectatus est; quod

quod quidem ad hanc animi impatiẽtis & efferati impotentiam & insolentiam attinet. *Fideles & in Deo dilecti Christiani*, ait Hussus ad suos, *ne deterreamini illorum, qui in eo erant, lata de libris meis sententia. Illi huc & illuc dispergentur, tanquam volantes papiliones, & eorum statuta durabunt, vt telæ aranearum.* *Huß. Ep. 12. Tom. 1. operũ.*

Hæc Hussi prædictio tam vera fuit: quã prædictiones Lutheri, ex quibus Prophetę nomen sibi comparare studuit; & verò etiam obtinuit, at non nisi apud suos; aut si & apud alios; id de Baalitico Propheta intelligendum est. An non enim Catholicæ & Romanæ Ecclesiæ cultores & sectatores, qui Hussum vnà cum suis operibus damnârunt, *velut papiliones* dispersi & disiecti sunt? An vestigium de illis superat? An non decretum vetans libros Hussiticos fumi instar euanuit, & in tenues auras dilapsũ interiit? An non volumina Hussi vbiq; regnant, omniũq; manibus teruntur, & in omnibus bibliothecis primas tenent; & adeo quidem vt extra Bohemiam difficillimè reperiantur; exq; centum eruditis vix vnus sit, qui Hussi libros viderit, nedum legerit; licet non ita pridem à Lutheranis (quos Hussus si viueret, pro Hæreticis haberet) typis descripti fuerint. Talia nimirum sectarij oracula fundunt; quæ exitus ita probat, vt quàm ex præsago pectore prodierint; nemo nisi cæcus perspicuè non cernat. *Norimb. 1583 & 1558.*

Alibi idem Hussus suos corroborare & munire nititur, ne in exustionem suarum lucubrationum, quasi in petram scandali impingant. *Monendos vos esse duxi*, inquit, *ne paueatis, neue terreamini, eò quod aduersarij libros meos comburendos decreuerunt*: quod his argumentis suadet. I. *Quia impij olim conciones Hieremiæ combusserunt. II. Pari impietate flammis grassati sunt scelerati in vniuersam Dei legem;* *Huß. Epist. 13.*

vt ex libris Machabaeorum liquet. III. Quia Ethnici tempore legis nouae sanctos cum libris diuinae legis concremabant. IV. Cardinales condemnauerunt, & igni tradiderunt quosdam libros sancti Gregorij, & omnes tradidissent, nisi à Deo per Petrum Gregorij ministrum fuissent defensi.

Verum ad tria priora facilis est responsio. Maximo enim discrimine distant, liber Hieremiæ; libri diuinæ legis tam veteris quam nouæ, & libri Hussi. Nam illi à Deo manarunt; isti ab aduersario Dei. Illi abundant pietate; isti impietate. Illi omnis veræ & incorruptæ religionis fontes sunt & doctores: isti omnium prauarum opinionum & sectarum seminarium. Quare immeritò in illos igne sæuitum est: meritissimò autem in istos rogo animaduersum. Maximo etiam discrimine secernuntur illi, qui sanctos libros exusserunt; & illi; qui Hussi chartas pyræ adiudicarunt. Illi enim aut Ethnici erant, aut alioquin Deo eiusq; legatis rebelles, immorigeri, & refractarij: Hi verò erant Ecclesiæ orthodoxæ præsules; ad clauum Christianæ Reipublicæ sedentes; & in Concilio Constantiensi legitimè congregati. Quocirca caussæ nihil est; cur caussam suam Hussus iungat cũ caussa veterum illorum; qui olim in exustione suorum librorum iniuria affecti sunt. Multò accommodatius produxisset Hussus exempla de libris Arij, Porphyrij, Nestorij, Eutychis, Apollinaris & similium, iussu Præsidum Ecclesiasticorum & politicorum quondam in ignem abiectis. Quantum enim solatij, quantumq; roboris adtulisset & inspirasset suis, si orationem in hunc modum conformasset! Olim in cineres versi sunt libri Arij, Prophyrij, Nestorij, & innumerabilium maiorum & antecessorum nostrorum; nemo igitur vestrum mirari, multoq; minus *scandalizari* debet; si eadem fortuna libros meos maneat.

Quod

Quod ad libros S. Gregorij attinet; Cardinales incendij illius auctores fuisse; comminiscitur Hussus in gratiam Cardinalium; vt illis apud Hussiticum vulgus beneuolentiam & amorem conciliet. Nam Ioannes Diaconus nullam Cardinalium mentionem facit. Sed quidquid sit de hoc, à libris sancti Gregorij non est, quod Hussus suis aliquid subsidij & patrocinij promittat. Nam libri S. Gregorij plenissimi erant diuino spiritu, ac proinde omni ratione conseruandi, & multiplicatis exemplaribus in vniuersum terrarum orbem disseminandi; at libri Hussi contrario spiritu abundabant. Quocirca rectissimè data est opera; ne latius serperent & propagarentur; illi autem, qui iam in vulgus manauerant, opprimerentur. *Vide lib. 1. de iure prohib. lib. cap. vlt.*

*P*orro cum Archiepiscopus *P*ragensis Sbynko, diplomate publico mandasset; vt quicunque libros Wiclephi (ex quibus omne virus Hussus suxerat, & ad alios transfuderat) penes se retinerent; *Thesaurario* suo intra pręstitutum diem traderent; Hussus, collecta asseclarum manu, ad Sedem Apostolicam appellauit, eamque appellationem adhibitis cunctis, quæ à Iure requiruntur, solemnibus, in litteras retulit; quę & hodie inter opera eius exstat. *Tom. 1. operum Hussi.*

De qua appellatione antequam plura dico, lectorem monitum volo; Lutherum, non modò hanc *appellandi* versutiam exemplo Hussi vsurpasse; sed & ipsas loquendi formulas propemodum ex Husso sublegisse, quod manifestum fiet cuiuis volenti *L*utheri appellationes cum appellatione Hussi comparare. Dixi autem; *appellandi versutiam*, Quia vt Husso ab Archiepisco Pragensi ad Sedem Apostolicam appellanti propositum nunquam fuit, Sedis Apostolicæ decreto obtemperare; ita & Luthero

Vide Appell. Luth. Tom. I. Lat. VVit.

à Cardinale Caietano ad Pontificem summum Leonem X. appellanti nunquam in mentem venit; vt se summi Pontificis sententiæ submitteret, id quod liquido inde apparuit; quia paulò pòst à Pontifice ad Concilium appellauit, eadem prorsus vanitate, qua prius à Caietano ad Pontificem appellârat, nimirum ea solum de caussa, vt omnes ludibrio haberet; quam artem ab Husso didicerat: qui multa in Sbynckonis sententiam velut iniquam, sibique & suis gregalibus nimium *onerosam* odiosissimè declamauit; vt & postea Lutherus fecit aduersus Caietanum & summum Pontificem.

At cum Archiepiscopus Pragensis vesani Hæretici vociferationes parum moratus, interea à summo Pontifice nouum mandatum obtinuisset; vt telam, quam aduersus VViclephi libros orsus fuerat, pertexeret; Pontificisque auctoritate munitus Archiepiscopus nouum edictum contra VViclephicos libros euulgasset, tum demum Hussus cum suis, furiis agitatus iniquis, totis viribus in Archiepiscopum insurgere, decretumq; Apostolicæ Sedis surreptitium & fraudulentum esse stentorea voce clamitare instititit. Sed non abs re erit partem aliquam Edicti Archiepiscopalis abscribere.

Christi nomine inuocato, pro tribunali sedentes, & ipsum Deum solum præ oculis habentes, per hanc nostram sententiam definitiuam pronunciamus, decernimus in his scriptis, libros & tractatus Ioannis VVicleph, infra scriptos, videlicet: Dialogum, Trialogum, de incarnatione Verbi diuini, de corpore Christi; de Trinitate, de ideis, de materia & forma, de hypotheticis, de indiuiduatione temporis, de probationibus propositionum: de Vniuersalibus; super Euangelia Sermones per circulum anni. De domino ciuili. Decalogum, de Simonia, de attributis; cum manifestè in se hæresin & errorem contineant condemnandos fore, & præsen-

præsentibus condemnamus, & vt à fidelium oculis amoueri valeant, decernimus esse cremandos, & ipsos, quantum in nobis est, à fidelium oculis per ignis voraginem amouemus, &c.

Postea rebelles, & contra hanc prioremq; suam sententiam libros VViclephicos legentes & retinentes *primò, secundò, tertiò & peremptoriè communiter & diuisim, requirit ac monet, quatenus intra sex dies à notificatione præsentium continuò & immediatè sequentes, libros & tractatus Ioannis VVicleph in Curia Archiepiscopali in Camera Thesaurarij deponant cum effectu*: quæ omnia Archiepiscopus auctoritate Apostolica imperabat. quam Hussus, communibus omnium hæreticorum technis & sutelis eludens, obiiciebat primò, Pontificem malè fuisse informatum; se proinde à *malè informato appellare ad melius informandum.* Quo astu *L*utherus quoq; sententiam Caietani, imò ipsius Sedis Apostolicæ declinans, *à præfato sanctissimo Domino nostro Papa*, inquit, *non bene informato, eiusq; prætensa commissione, ad supradicti Domini Procuratoris Fiscalis instantiam (vt præfertur) signata ac à prætensis Iudicibus & citatione supradicta, ac prætenso processu contra me forsitan instituto aut instituendo, & omnibus inde secutis & secuturis, & quolibet ipsorum, nec non à quolibet futuro grauamine, quod mihi ex eo venire poterit, ad sanctissimum Dominum in Christo Patrem & Dominum nostrum, Dominum Leonem, diuina prouidentia Papam X. melius informandum prouoco, & appello in his scriptis, &c.*

Sed paulò pòst eodem prope verborum tenore appellauit Lutherus ad *Concilium, futurum legitimè, ac in tuto loco*; hoc est, ad concilium *L*utheranum; quod omnia *L*utheri dicta & facta calculo suo probaret, ac rata haberet; neque enim vllum aliud Concilium pro legitimè congregato flagitiosus Apostata aut agnoscebat, aut agni-

turus erat. Hæc de Luthero monere viſum eſt; vt lector videat, ſimili via & mente Hæreticos ad errorum ſuorũ defenſionem procedere.

Addebat Huſſus, Edictum *Pontificis & Archiepiſcopi fraudi eſſe Euangelio*; attamen non Chriſti; ſed VViclephi & Huſſi. *Falſitate & mendaciis abundare.* Quid ita verò? Quia aſſerebat, *in Bohemia & Morauia varias hæreſes pullulare.* An hoc mendacium erat? An dogmata VViclephi & Huſſi non erant hæreſes? Certè erant, & quidem omnium iudicio, exceptis ipſo VViclepho, Huſſo & ſectatoribus; quorum iudicium nec exſpectandum, nec vllo loco habendum erat. Nulla enim hæreſis vnquam hæreſeos nota inuri & damnari potuiſſet, ſi id ſine ipſorum Hæreſiarcharum ſuffragio fieri non potuiſſet.

Quod autem Sbincko anno Domini 1408. teſtatus eſt in prouinciali ſynodo; *habita diligenti & exacta inquiſitione neminem erroneum vel hæreticum in ciuitate, Diœceſi & prouincia ſua Pragenſi repertum eſſe, aut reperiri potuiſſe*; id ſi verum eſt, nihil obſtat; quia Huſſus, vafer & planè vulpinus, egregiè ſua dogmata velare, & tegumento fraudulentiæ excellenter tegere norat, doctus quidquis ſimulare & diſſimulare; donec tandem vires nactus in apertum prorupit, & Eccleſiaſtico magiſtratui in faciem reſtitit. Quem modum tenuit quoq; Lutherus, ſenſim progrediens, vt initio nequitia vix niſi à bene oculato perſpici poſſet. Quam ergo flammam prius non viderat Sbincko, (ſi non vidit, nam Huſſi fides apud me vacillat) eam poſtea clarius relucentem, & extrema quæq; minitantem facili negotio vidit, & ingemuit.

Illud inſuper obiicit Huſſus, cauſſæ huius cognitionem ab Alexandro alteri fuiſſe cõmiſſam; ac proinde, lite pendente, Archiepiſcopum Pragẽſem nihil innouare

poſſe

posse in *vilipendium litispendentiæ*, vt ipse loquitur; Edicta quoq; Archiepiscopi nullum robur habere, *eò quòd interea Alexander Pontifex ex hac vita migrârit.* Quasi verò cũ Pontifex notionem alicuius caussę certo judici committit; eandem à priore reuocatam non queat alteri delegare, si ita necessitas postulet; vt quidem tum postulabat, Hussi secta indies maiora incrementa capiente. Nec morte Pontificis exstinguitur Pontificis constitutio, maximè tàm necessaria, quàm erat illa de VViclephi, Hussiquè secta maturè coërcenda.

At probat Hussus libros VViclephi non fuisse prohibendos. I. Quia multi ex illis erant Philosophici; *Logicales, Mathematicales,* & *Theophysicales*; Sic enim Hussus pro sua elegantia loquitur. Respondeo: Omnibus istis VViclephus perniciocissimos errores asperserat. Quare meritò interdicti sunt. Et vt errorũ puri fuissent; propter alios tamen, quos idem ex professo contra orthodoxam fidem scripserat: jure optimo proscribi & exuri poterãt. Justè enim infligitur hæresiarchis hæc pœna; vt neq; bona illorum monumenta, si quæ bona sunt, viuant; sed simul cum malis intereant: sicut & in veteri lege sæpè pręcepit Deus, vt non modò sontes, sed & insontes in sontium detestationem delerentur; ideò duntaxat, quia aliquid sontium erant.

II. *Constat Moysen & Danielem, Ægyptiorum, Chaldæorum, Gentilium, & infidelium, quarum superstitiones perhorrebant, libros habuisse, & vi eorum scientia excultos fuisse.* Respondeo: neq; Ecclesiam huiusmodi librorum lectionẽ vetare, si nihil aliud, quàm naturalium rerum scientiam tradant, vt tradebant illi, quorum cognitionem, & forsã etiam possessionem prædicti sancti adepti sunt. At libri VViclephi omni in Deum, veteremq; religionem impi-

etate redundabant: & scripti fuerant eo fine, vt fidem antiquam euerterent. Quare iustissimè ad rogum quæsiti & damnati sunt, ne plures inficerent. Et vt quidam ex illis nulla erroris macula contaminati fuissent, decebat tamen, vt perirent, quia VVclephi, hominis perditi erãt, quiq; ex proposito Catholicę pfessionis dogmata cõuellere tentauerat; & qui placuisset in libris Philosophicis, facilę quoq; animos leues & inconstantes sibi deuinxisset in Theologicis, vt ęquè veritati consentanea cęserentur, atq; illa philosophica, & ad solam naturalium rerum cognitionem pertinentia.

III. *Ipsa Ecclesia non Gentilium, sed Hæreticorum libros pro necessitate & tempore legere præcepit.* Vbi hoc præceptũ? At sit præceptum. Si audis Ecclesiam præcipientem, vt libri Hæreticorum pro tempore & necessitate legantur, audi eandem præcipientem, vt libri Hæreticorum pro tempore & necessitate non legantur. Eadem enim Ecclesia cùm hoc, tùm illud præcipit. Nec vnquam præcepit Ecclesia, vt omnes promiscuè, etiam ex medio vulgo, Hæreticorum libris euoluendis operam impendant; cum indocti multò citius pestem, quã salutem ex libro Hæretico hauriant, ignari recta à prauis discernere, aut recta præ prauis eligere. Nam quod adiicit de *Paulo, qui versus Ethnicorum scripturis immiscuit,* id friuolum est; quia alius est *Paulus*, alius Hussus, & grex Hussiticus. Alius Aratus, alius Menander, ex quibus S. *Paulus* versus protulit: & alius Hæresiarcha VViclephus.

IV. *Litterarum studiosis permittitur Aristoteles, Auerroes, & alii, quorum libri multos errores continent, cur non & libri VViclephistici?* Respondeo, ea de caussa, quia VViclephici longè erant pestilentissimi, & ex instituto aduersus

ortho-

orthodoxam doctrinam conſcripti; At libri Ariſtotelis, ſi quid erroris habent, id ex infirmitate & incuria humana accidit: Ea enim ingenii, præſertim fidei luce deſtituti, imbecillitas eſt, vt in rebus obſcuris, inq; naturæ intimo ſinu deliteſcentibus, facilè labatur. Wiclephus verò errores ſuos ex mera improbitate diſſeminauit, & in commentarios retulit, minimè neſcius, quæ ſit vniuerſalis Eccleſiæ ſententia.

Magnum igitur diſcrimen eſt inter libros Ariſtotelis, & VViclephi, vt & inter aliorum quorundam monumenta erroribus nonnullis infecta, vt Origenis, quem Huſſus etiam pro VViclepho adducit, vt poſtea itidem fecit Lutherus pro ſuis libris. cui jam alibi reſpondimus.

Quis verò non rideat, cum Huſſum, eiusq; ſodales hunc in modum proteſtantes audit: *proteſtamur propter æmulos ex ſuperabundanti publicè & expreſſè, quemadmodum antea ſuperius fuimus proteſtati, quod nullum errorem (quorumcũque librorum) tenuimus aut defendimus, tenereq́; aut defendere intendimus quoquo modo.* Perinde ac ſi fur aut adulter in ipſo ſcelere deprehenſus, proteſtaretur, ſe nullum furtum aut adulterium commiſſurum: cuius proteſtatio an non riſu, vel potius ſibilis digniſſima foret? Quàm ſtultum eſt proteſtari ſe facere nolle, quod facit, & dum facit, ita vt factum & proteſtatio aduerſa fronte ſibi mutuò repugnent. Sed iſte eſt Hæreticorum mos, omnes ex ſuo ingenio æſtimare, vt quia ipſi in ſtipites conuerſi nihil abſurditatis ſentiunt, putent alios itidem omni ſenſu deſtitutos.

CAPVT VII.

Refutatio libelli Ioannis Hußi, quem inscripsit; de libris Hæreticorum legendis.

REM ipsam statim aggreditur Hussus, sine vllo procœmio, quasi apud Areopagitas dicat. *Libri Hæreticorum*, inquit, *sunt legendi, non comburendi, dum in ipsis veritas continetur. Probatur auctoritatibus Sanctorum, Augustini, Hieronymi, Ambrosii, Bedæ, Theodori, Liberati, Cyrilli, Gelasii Papæ, Canonibus & ratione.* Huic argumento oppono ego, & quidem justissimè istud. Libri Hæreticorum sunt tegendi & comburendi, quia in ipsis falsitas continetur. Probatur auctoritate totius antiquitatis, cuius testimonia plurima & luculentissima toto primo libro de jure prohibendi noxios libros in medium attulimus, refutatis & profligatis omnibus illis, quæ vel ab Husso, vel à quocunq; alio perniciosorum voluminum patrono adducuntur.

Vide cap. 25. & 29. lib. I.

Verumenimuerò abs re nihil faciemus, si Hussi argumenta hoc loco sigillatim expendamus, & excutiamus eo ordine, quo ab ipso proferuntur.

Ex S. Augustino quinq; vel sex testimonia producit, Primum est ex libro 2. contra Petilianum, vbi dicit: Sacerdotem malum, *quamuis ipse verax non sit, quod dat tamen verum esse, si non det suum, sed Dei.* Ergò & Hæreticus per libros verum dabit, si non det suum, sed Dei. Accipiendum igitur erit, nulloq; modo respuendum. Respõdeo; Mentẽ D. Augustini esse, vt bonũ à malo accipiam⁹ tũc, cũ sine periculo accipi potest: Et si Ecclesia (cui tam obsequẽs fuit Augustin⁹) cui⁹ accipiendi copiã faciat; sec⁹ verò,

Refertur 1. q. 1. Cap. 87. Dominus declarauit.

verò, si accipiendi potestatẽ neget. Iã verò licet Hæretici aliquãdo benè & bona, veroq; cõsentanea dicant; id tamẽ non fit sine veneni admixtione, à quo plus discriminis lectori incauto imminet, quàm opis & subsidii à bono qualicunq; libris illis Hæreticis insperso capere queat. Quamobrem Ecclesia de filiorum suorum salute sollicita; non iniuria interdicit, ne quis boni, nescio cuius cupidine illectus, libros hæreticos euoluat; ne dum bonum temerè quęritat, grande malum inueniat: nam quod Tertullianus scripsit de Scorpio Hæretico, hoc ad quemuis librum Hæreticum accommodare licet. *Intimat virus, & properat in viscera, statim omnes pristini sensus retorpescunt, sanguis animi gelascit; carne spiritus exolescit, nausea nominis inacrescit. Iam & ipsa mens sibi quò vomat quærit, vt quæ ita semel infirmitate quoq; percussa, sauciatam fidem vel in hæresin, vel in seculum exspuat.* *Tertul. libro con. Gnost.*

Adde, quod Hæretici ob suam improbitatem hac pœna non iniustè plectuntur: vt etiam tunc, cum vera dicunt, non audiantur: Sicut neq; Christus Dæmones audiit, quia vera loquentibus silentium grauissimis verbis imposuit.

Accedit, quod S. Augustinus loco citato non loquitur de libris Hæreticis, sed de malis Ecclesiæ præsulibus; quos à subditis audiendos dicit; quòd vt Præsules, non sua, sed ea, quæ Dei sunt, atq; adeò vera, dicant.

Alterum testimonium eiusdem S. Augustini eodẽ loco. *Si Apostolus nescio cuius alienigenæ testimonium, quia verum comperitur, etiam ipse attestatus est, cur nos apud quemcunque inuenerimus, quod Christi est, & verum est (etiamsi ille apud quem inuenitur, peruersus & fallax est) non discernimus propter vitium, quod homo habet, veritatem, quam non suam, sed Christi habet?* Respondeo, etiam hoc loco D. Augustinum non

agere de libris Hæreticis, sed de malis Ecclesiæ Antistitibus; quibus licet malè viuentibus aures præbendas docet; cum vt pastores, non proponant ouibus sua; hoc est, falsa & vitiosa; sed ea, quæ Dei sunt, hoc est sancta, & bona. Itaque non video, qua arte hæreticus ex hoc S. Augustini dicto hanc consequentiam extundat. *S.* Paulus non est aspernatus Ethnici cuiusdam dictum; quia verum erat; ergo neq; nos aspernari debemus libros Hæreticorum, quando vera canunt. Item S. Augustinus vult, vt mali pastores ab ouibus audiantur; iuxta illud: *omnia quæcunq; dixerint vobis, seruate & facite*: ergo etiam Hæretici suis in libris bona falsis miscentes legendi sunt, vt bona inde excerpamus; mala fugiamus. Nulla est inter ista connexio; neque enim si quid Paulus fecit; id etiam à quouis alio ex imperita vulgi multitudine fieri potest aut debet; neque si Epimenidis aut alterius Ethnici libri inoffenso pede decurrebantur, ideo etiam hæreticorum libri sine damno à quouis indiscriminatim euolui queunt. Neq; ideo libri hæreticorum proscribendi non sunt; quia non prohibentur libri Gentilium, Poëtarum, Oratorum, & Historicorum. magno enim discrimine distant; quia isti iam exstinctos, cunctisque ridiculos errores continent: at illi viuos & spirantes, pestiferamque auram etiamnum efflantes. Quocirca meritò interdicuntur & vitantur; cum si quid boni continent; aliunde id petere liceat, sine vllius detrimenti periculo.

Pari modo, si Ecclesiæ præsulibus fides habenda, obsequiumq; præstandum est, licet non ducant sanctam vitam; non sequitur tamen etiam hęreticos bona & bene suis in libris aliquando loquentes audiendos esse; quia bona loquuntur, vt mala persuadeant. Bona propo-

nunt,

nunt, vt mala ingerant. Nec pastores nostri sunt, sed lupi; qui speciem boni prætendunt; vt in retia sua nos pelliciant, pellectosque miserabiliter discerpant.

Tertium testimonium S. Augustini. *Multi irruunt in preces non solum ab imperitis loquacibus, sed etiam ab hæreticis compositas, & per ignorantiæ simplicitatem non eas valentes discernere, vtuntur eis, arbitrantes, quòd bonæ sint, nec tamen in eis, quod peruersum est euacuat, quæ recta sunt, sed ab eis potiùs euacuatur.* *Hæc Augustinus, vbi dicit glossa, quod vtilia non vitiantur per inutilia.* Respondeo, locum istum penitus nihil ad rem facere. Disputat enim S. Augustinus de forma baptismi, cuius vim negat eneruari, licet consecrationi baptismi adhibeantur preces non bonæ, imò ab hæreticis compositæ; *quia*, vt ait, *certa illa Euangelica verba, sine quibus non potest baptismus consecrari, tantùm valent, vt per illa sic euacuentur quæcunq; in prece vitiosa contra regulam fidei dicuntur, quemadmodum dæmonium Christi nomine excluditur.* Quid hoc ad lectionem librorum hæreticorum?

S. Aug. lib. 6. de bapt. c. 25. Ref. Grat. de consecr. d. 4. cap. 72.

Non enim eam ob caussam duntaxat libri Hæretici vetantur, quod bonum conuertant in malum; (fieri enim potest, vt non conuertant; sicut lutum non conuertit aurum in lutum; quia aurum manet aurum etiam in medio luto) sed quia bonum semper inquinant malo, (sicut is, qui proiicit aurum in lutum, aurum contaminat luto) ita vt difficile sit separare bonum à malo; nec nisi à doctis & circumspectis seiungi queat.

Deinde ideo prohibentur tales libri; quia ea vis est mali, vt animos propter insitam propensionem ad malum, multò valentius trahat, quàm bonum; quod

tantis

tantis illecebris & blandimentis non est fucatum. Itaque esto, quod, vt sanctus Augustinus ait, *bonum non euacuetur à malo*; is tamen, qui mala propter bonum inde seligendum tractat, facillimè vi mali euacuatur; adeò, vt vacuus omnis boni, plenusq; omnis mali à libri Hæretici lectione recedat; qui plenus omnis boni, & vacuus omnis mali accesserat.

Duo autem hic obseruari velim à lectore: alterum, quod sanctus Augustinus ait: *Multorum preces emendari quotidiè, si doctioribus fuerint recitatæ, & multa in eis reperiri contra Catholicam fidem.* Fas igitur est, tollere & expurgare, si quid orthodoxam religionem offendat, quantũuis inuitis Prædicantibus nostris, qui hoc tanquam imane sacrilegium detestantur.

Alterum est; Sanctum Augustinum disertè scribere, preces cùm *ab imperitis loquacibus*, tùm *ab Hæreticis* cõpositas, non esse vsurpatas, nisi à rudioribus, qui *per ignorantiæ simplicitatem, non valuerint eas discernere.* Excusat ergò hos propter simplicitatem, minimè id facturus, nisi tales per ignorantiam dignos se excusatione reddidissent. Si igitur huiusmodi homines, quòd hæreticis formulis vterentur, sola simplicitate excusationem merentur; quam veniam merebuntur illi, qui sola curiositate, aut etiam nefaria impietate ducti Hæreticis libris perpetuò vtuntur? De illo: *Vtilia per inutilia non vitiantur*, dicemus infrà.

Quartum & quintum testimonium ex libro de Baptismo, & ex libro contra Manichæos, vt quidẽ Hussus citat, nihil aliud volunt, quàm vt ex Ethnicorum libris, si quid vtile complectantur, id in vsum nostrum excerpamus: quod faciendum esse etiam in Hæreticorum libris, non imus inficias; veruntamen non promiscuè

S. Aug lib. 13 con. Faust. c. 15 Refert. d. 37. C. si quid veri.

ſcuè à quouis, ſed à gnaro internoſcere, quid diſtent æra lupinis: Item, niſi Eccleſia iubeat, vt potius talis liber pereat, quam viuat; rata exiguam fore iacturam, ſi vtilitas, quæ aliunde ſecurè hauriri poteſt, non hauriatur periculoſè ex libro Hæretica peſte infecto.

Ad eundem ſcopum tendunt dicta Bedæ, Ambroſij, & S. Hieronymi, quæ Huſſus ex d. 37. recitat. Et quoties hæretici vel tacitè vel expreſſè hanc conſecutionem formant: *L*ibri Gentilium ſecurè & fructuoſè euoluuntur: ergo etiam libri Hæreticorum: toties riſum nobis mouent, tanquam qui clariſſimum diſcrimen inter libros Ethnicos & Hæreticos non intueantur.

Sextum teſtimonium petit Huſſus ex libro S. Auguſtini de vera religione, vbi ait, *Hæreticos plurimum prodeſſe Eccleſiæ.* At certè hæc vtilitas non conſiſtit in hoc, vt libri Hæreticorum paſſim omnibus permittantur, neq; iſtud vnquam affirmauit S. Auguſtinus; ſed in hoc, quod paſtores & doctores Eccleſiæ per hæreticos excitantur, vt excuſſa omni ſocordia veritatem contra irruentium tela defendant: Cuius defenſionis pars non minima rectè cenſeri poteſt illa diligentia, quæ impiis libris exſtirpandis impenditur.

Pari facilitate refelluntur, quæ Huſſus promit ex S. Hieronymo: nam cum ait; *Bonis aduerſariorum detrahendum non eſſe ſi honeſtum quid habuerint*; id & nos fatemur; laudem enim potius, quam reprehenſionem, quâ tales, merentur: At maxima vituperatione, atq; adeo caſtigatione digni ſunt; quòd, cum ſcribunt, honeſtum hæretica labe cómaculant; cuius caſtigationis portio quædã eſt; vt libri illi interdicant, & flamis adiudicent, nõ ꝑpter bona, ſi quæ cõtinẽt, ſed ꝑper mala, quibꝰ bona inficiũt. *S. Hier. Epiſt. ad Pammach. & Ocean.*

Sic quod idem dicit; *ſe omnium tractatorum volumina*

colligere; omnia legere, & quod bonum est retinere; id non obstat. Da mihi Hieronymum; & facile ab Ecclesia obtinebit; vt omnium hæreticorum monumenta absq; vllo discrimine congreget ac percurrat: omniaq; ad judicij stateram appendat; idq; quod probum est, teneat. Verũ enimuero non quia hoc potuit Hieronymus, ideo idem potest quiuis de triuio sartor aut litterator. Nec illud: *omnia probate*; ad quẽuis pertinet, quasi per se ipsũ omnia ꝓbare debeat; sed ad illos, qui huius artis gnari sunt; quiq; eius exercendæ potestatẽ à publica Ecclesiæ auctoritate acceperunt; quo ipso quiuis etiam plebeius omnia ꝓbat; etsi non suâ, sed alienâ operâ; idq;, quod iudicio eius, qui aliquid probauit, bonum est; studiose retinet.

Si olim in veteri lege probatio & iudicium non spectabat ad quẽlibet de grege vulgi, sed ad sacerdotes; cur hodie cuiuis grauissimis in rebus libera iudicandi & probandi facultas concederetur; cum hac facultate ad errores multiplicandos, fraudesq; propagãdas nihil aptius excogitari queat?

Leuit. ca. 27. Olim Israelitis hoc præceptum dedit Deus. *Homo si vouerit domum suam, & sanctificauerit Domino, considerabit eam sacerdos, vtrum bona an mala sit, & iuxta pretium, quod ab eo fuerit constitutum, venundabitur.* Item. *Animal immundum, quod immolari Domino non potest, si quis vouerit, adducetur ante sacerdotem, qui diiudicans, vtrum bonum, an malum sit, statuet pretium.* Ecce sacerdotis est inspicere, probare, improbare; pretium definire; quidq; facto sit opus, explicare: & isti cum de libris Hæreticis, aliisq; ad religionem spectãtibus disceptatur; suis cerdonibus adhuc acclamabunt. *Omnia probate; quod bonum est, tenete*: quasi inerudita multitudo *butyrum & mel comederit, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum.*

Nec

Nec officit causſę noſtræ illud eiuſdẽ S. Hieronymi, vbi de *Lactantij* quibusdam erroribus loquens; tandem ſubiungit. *Quis mihi interdicere poteſt ne legam Inſtitutionum eius libros, quibus contra gentes ſcripſit fortiſſimè, quia ſuperior ſententia* (de Spiritu ſancto) *deteſtanda eſt?* Non neſciuit S. Hieronymus ſibi & omnibus aliis hoc interdici poſſe ab Eccleſia, cuius ipſe filius erat; ſed non paſſus eſt hoc ſibi interdici ab vllo priuato; qui carpebant illum ob lectionem librorum Origenicorum, quibus ipſe perquam ſedulam operam nauabat; nullo enim vniuerſalis Eccleſiæ decreto tunc proſcripti erant. At non ſequitur, licitum eſſe, vt quod ius iure ſuo ſibi ſumpſit S. Hieronymus, nullo Eccleſiæ præcepto prohibitus; id iam quoq; quiuis ſibi arripiat, nullo Eccleſiaſtici interdicti metu abſterritus: Non enim omnes ſunt Hieronymi; & vt maximè eſſent; id tamen lege iam lata, ſine Eccleſiæ permiſſu non facerent; idq; eò minus, quo minus Hieronymo diſpares eſſent.

Poſt *S.* Hieronymum iungit Huſſus trigam teſtium; quorũ vnus Theodorus, alter Liberatus, tertius Cyrillus, quos *ſanctos* nominat. De tertio non laboro; de duobus dubito. Præſertim de primo; qui videtur eſſe Theodorus Mopſueſtenus; *Canonizatus* ab Huſſo, niſi fortaſſis *Theodorum* pro *Theodoreto* ſubſtituit: neq; enim nominatim locum deſignat, vnde hoc acceperit. Quid ergo iſti? *Non propterea dogma verum reiici debere, quod Hæretici illud nobiſcũ profiteantur; vt quando Ariani dicunt, Patrem eſſe Dominum & creatorem omnium; non ea de cauſſa fugiendam eſſe hanc confeſſionem.* Quod libenter confitemur. Sed quid hoc ad libros Hæreticos? Certè, non obſtante hac, & quidem vera cõfeſſione, prohibuit tam ſynodus Nicæna, quã Conſtantinus magnus libros Arij eosq; ad ignem damnauit.

Pari modo licet Huſſus, Lutherus, Caluinus, & alii quædam vera doctrinæ capita nobiſcum profiteantur, non ideò tamen libri illorum tolerari & lectitari debent. Falſa moneta non rarò aliquid auri, aut argenti veri continet. Non tamen propter illud aurum, aut argentum moneta falſa toleratur; ſed etiam conſtitutis ſuppliciis exterminatur, ita vt in rerum commutatione & contractibus nullo modo expendi queat. Par ratio de libris Hæreticis. Moneta ſunt, ſed à pſeudomonetariis, & paracharactis, qui licet aliquid de aurea veritate admiſceant; plumbum tamen, auri vel argenti ſpecie coloratum, apponunt: ideò ex foro & publico vſu exturbandi ſunt; nec niſi peritis concedendum, vt aurum vel argentum à plumbo vel ære ſeiungant.

Gelaſium Pontificem, qua fronte Huſſus, aut alii Hæretici producant, mirari poſſet ille, cui frons Hæreticorum ignota eſt. At qui nouit, hos quiduis audere, eum nulla admiratio capiet. Nam niſi omnem pudorem abieciſſent, Gelaſium pro ſe nunquam citarent: quia hæc ſunt expreſſa Gelaſii verba: *Numquidnam in ipſorum Hæreticorum libris non multa, quæ ad veritatem pertineant, poſita releguntur? Numquidnam veritas refutanda eſt, quia illorum libri, vbi prauitas ineſt, refutantur? Aut ideò praui libri ſuſcipiendi ſunt eorum, quia veritas, quæ illic inſerta eſt, non negatur?* Vbi expreſſè docet, Hæreticorum libros tolerandos non eſſe: Licet bona, ſi quæ fortè continent, non ſint repudianda, ſed potius amplectenda. tametſi Pontificis mens nequaquam eſt, vt quiuis rudis & indoctus bona ex hæreticis libris proprio ſtudio ſeligat, quia hoc illorum muneris eſt, qui id abſq; periculo præſtare poſſunt, & quibus ad hoc præſtandũ copia fit ab Eccleſia, poſtquam Eccleſia lectionem Hæreticorum voluminum prohibuit.

Nonne

Nonne ipſemet Gelaſius decretum de libris noxiis publicauit; quiq; expetendi, & qui vitandi ſint cunctis fidelibus expoſuit? Minimè ergo voluit; vt omnes indiſcriminatim p ſe omnia probarent; ſatis eſt, quod fideles omnia probent per doctores & paſtores ſuos. Nec quia Hæreticus liber, in quo boni quidpiam inuenire eſt, proſcribitur, ideò ipſa veritas proſcribitur; repetam enim quod iam aliquoties dictum; quia eadem veritas in aliis libris pura & ab omni labe immunis reperitur, qua cuiuis volenti ad ſatietatem vſq; frui licet: Nec exſtinguitur, niſi quatenus ab hoc malo libro malè & inſincerè proponitur. Alibi ſupereſt pura, & ab omni labe remota. *D. 15. C. Sancta Romana.*

Nec iuuat Huſſum illa Iuris Regula; *Vtile per inutile non vitiatur*: nam, vt Ioannes Andreas, Dynus, & alij ab ipſo Huſſo citati, docent; axioma hoc intelligendum eſt, ſi vtile ab inutili ſeparari poſſit: nam quæ ſeparationem non admittunt; in totum vitiantur. At in Hæreticorum pleriſq; libris tam pauca vtilia inſunt; vt ſi inutilia ſepares, liber funditus pereat, vel ad paucas pagellas redigatur. Quare cum operæ pretium non ſit tantum laboris capere propter paucula quædam vtilia; iure aboletur parum illud tritici cum copioſa Zizaniorum ſegete; præſertim cum ab aliis libris nobis offeratur, ſine vllius lolij admixtu.

Quod ſi liber ita comparatus ſit, vt longè plura vtilia, quam inutilia complectatur, tunc expurgatur & emaculatur; lappæq; & tribuli hæreſeωn euelluntur; quod non ſemel ab orthodoxis factum, fietq; ſæpius, ſi id exigat vſus. Cæterum, quod Oſtienſis, & poſt eum Ioann. Andreas in cap. *Fraternitatis*, dicunt, *quamuis ſcripta Hæreticorum auctorizabilia non ſint, ſi quid tamen boni reperiatur in iis, id poſſe induci & allegari, non tanquam auctoritatem, ſed*

tanquam rationem naturalem. Id Hussiticæ caussæ nihil prodest. Nam & nos hoc non tantùm vltrò confitemur, sed quotidie reipsa præstamus; ita tamen, vt non quiuis arbitratu suo ad hæreticorũ libros excutiendos prosiliat, sed is solummodò, cui facta est legitima potestas.

Iam verò, *quod notitia legis abrogatæ necessaria est*, (prout Hussus asseri ait, d. 8. pone. d. 7. C. Moyses, licet nihil huius in hoc capitulo appareat) *quodque Innocentius tertius argumentatur ex lege Theodosiana abrogata, ext. de Iudiciis cap. Nouit.* quid tandem libertatem legendi libros Hæreticos iuuat? Alia ratio est legis Mosaicæ, quæ sancta est & diuina, legisque Theodosianæ, quæ ex intimo pietatis affectu manauerat; & alia nefariorum dogmatum, quibus serendis Hæretici insistunt; quæ nisi sectariorum importunitas vrgeret, nullus est, qui non mallet nescire, quàm scire, adeò pleraque omnia profana sunt & scelerata.

Necdum à Canonistis abit Hussus. Opem denuò petit ab Innocentio, Ostiensi, & Ioan. Andrea, qui *tradunt, dicta cuiusquam ratione personæ redargui non posse de falso, nisi aliunde falsa probentur.*

II. Fridericum Imper. damnatum esse in Concilio Lugdunensi per Innocentium IV. vt patet ex cap. Ad Apostolicæ, de sententia & re judicata in 6. & tamen leges eius, quas pro honore sanctæ matris Ecclesiæ, & pro exterminatione Hæreticorum tulit, summo in honore ac pretio haberi.

III. Cyprianum, & cum eo 80. Episcopos redargui & reprobari, d. 32. quod Baptismum Hæreticorum lauacrum Diaboli appellet: Et tamen in libris suis tenetur & acceptatur, inquit Huss.

IV. D. 37. cap. 1. dicit Carthaginense Concilium: *Episcopus Gentilium libros non legat; Hæreticorum autem legat pro necessitate & tempore.*

V. *Baptisma Hæreticorum bene ipsum suscipienti non obest; ergo nec veritas suscepta ab Hæretico obest fideli, cum omnis veritas sit à Deo.*

VI. *Libri Hæreticorum valent ad excitandum spirituales, vt verum aperiant; ad pungendum carnales, vt verum quærant, vt dicit Augustinus libro de vera Religione, & ad euitandum & repudiandum errorem quem ponunt.*

VII. *Multi Canones, multæ Decretales & leges abrogatæ sunt: & tamen leguntur, exponuntur, & docentur per Doctores, & non delentur, nec comburuntur.*

VIII. *Aristoteles, & commentator eius Auerroes, multos errores commiserunt; & tamen non propterea reiiciuntur in his, quæ verè scripserunt.*

IX. *Liber Magistri sententiarum in multis reprobatur, & tamen non comburitur.*

X. *Lex vetus quo ad cæremonialia iam desiit, & tamen non comburitur.*

Sed has aranearum telas dissipare nullius negotii fuerit. Ad primum argumentum respondeo, dicta Hæreticorum censeri falsa & impia, nõ quia sint huius vel illius personæ, sed quia sint huius vel illius personæ hæreticæ.

Ad secundum respondeo. Leges Friderici reiectas non fuisse, quia piæ, sanctæ, & vtiles erant, quisquis demum ipse Fridericus fuerit: Hinc & à Pontifice Bonifacio IIX. acceptatæ & renouatæ sunt, vt patet cap. *Vt inquisitionis*, de Hæret. in 6. At Hæreticorum voluminum longè diuersa est ratio, quia impietatem ex professo tradunt: hinc ex professo aboleri debent.

Ad Tertium respondeo. Nec Cyprianum fuisse Hære-

Hæreticum; nec opera eius Hæretica; licet errorem illum de baptiſmo hæreticorum contineant; quia à veritate quidem, quod ad hũc errorem attinet, auius iuit; ſed non ab Eccleſia, non à charitatis lege. Quamobrem longè alia eſt eius ratio, quàm hæreticorum, qui pernicioſa dogmata, non ex humana imbecillitate & caligine; ſed ex diabolica peruerſitate & cœcitate pertinaciſſimè defendunt & diffundunt.

Ad quartum Reſpondeo: Quod Concilium Carthaginenſe pro neceſſitate & tempore Epiſcopis conceſſit; id neq; iam Epiſcopis & Doctoribus pro neceſſitate & tempore denegari. Multis enim ea facultas datur, vt libros Hæreticos legant, refellant, & expugnent. Sed vt Carthaginenſe Concilium noluit huiuſmodi libros à quouis ex plebe attingi; ita neq; hac ætate id permittit Eccleſia.

At dices. *Legi debent iſti libri, ergo non comburi.* Quaſi verò eorum non ſit tanta copia, vt licet plurimi exurantur, plurimi tamen ſuperent, qui ad paucorum lectionem ſufficiant. Quod ſi aut Concilium Carthaginenſe, aut iam quoq; Eccleſia efficere poſſet, vt nullus penitus liber Hæreticus exſtaret; id profectò longè ſatius, & ipſi Eccleſiæ gratius fructuoſiusq; foret Sed quia hoc propter mortalium improbitatem obtinere nequit; ſaltem id quod in ſua poteſtate ſitum videt, efficit; dum ſcilicet Fideles edictis à lectione talium librorum arcet; nec niſi doctis, & in fide benè corroboratis vſum eorum concedit.

Ad Quintum reſpondeo, ſi Hæreticus ſolam & puram veritatem ſuis in libris offerret, poſſet fortaſſis admitti; ſed quia falſitatem ſimul admiſcet, aut ſi reipſa non admiſceat, admiſcere tamen aut timetur, aut non teme-

temerè præſumitur;(nam qui ſemel malus, ſemper malus præſumitur ex vetere juris regula) ideò quilibet cum ei ab Hæretico veritas promittitur, occinere poteſt illud: *Anne vlla putatis dona carere dolis Danaûm;* (Hæreticorum) *ſic notus Vlyſſes?*(Huſſus, Caluinus, Lutherus) *Aut hoc incluſi ligno* (libro) *occultantur Achiui.* (Sectarii) *Aut hæc in noſtros fabricata eſt machina muros. Aut aliquis latet error: Equo* (libro) *ne credite Teucri. Quidquid id eſt, timeo Danaos*(Hæreticos) *& dona ferentes.*

Ad Sextum reſpondeo. Licet Hæretici libri valeant ad excitandos eruditos, pietatisq; & auitæ fidei cultores; plurimum tamen valent quoq; ad euertendos ſimpliciorum animos, & à ſana doctrina auertendos: cum ſermo eorum, *vt cancer ſerpat.* Exacuit peſtis induſtriam medicorum, oſcitantesq; & ſomniculoſos impellit, vt de remediis diligentiſſimè circumſpiciant. An ideò peſtis non eſt omni ope & ſtudio compriméda, & quoquo modo licet, ad nihilum redigenda?

Ad ſeptimum, nonum & decimum idem eſto reſponſum, Videlicet, legem veterem, leges politicas & Eccleſiaſticas abrogatas nulli fraudi aut damno eſſe, ac proinde meritò ſecuritatem à flammis habent. At libri hæretici pariunt perniciem, & lethale virus mentibus inſpirant, dulcibusq; venenis lectores ſuos enecant. Quamobrem nihil conducibilius eſt, quàm vt ex libris fiant cineres.

Ad argumentum Octauum de Ariſtotele & Auerroë reſpondimus ſuprà, errores illorum jam ipſa temporis longinquitate emortuos, itemque hoc tempore tam apertos, & tanta veritatis luce diſſipatos eſſe, vt nemini periculum creent: niſi qui ſpontè prorſus ſeſe in exitium præcipitare velint. At errores Hæretici,

ſpecioſo CHRISTI & Euangelij titulo compti vendicantur; milleque blandimentis & illecebris instructi, instabiles mentes; quarum pars multò maxima, pedicis ſuis & retibus illaqueant. Quocirca nihil eſt ſalutarius, quam vt huiuſmodi deceptrices Sirenes non infelicibus, ſed felicibus lignis absque mora vſtulentur.

Poſtquam Huſſus ſententiã ſuam de libris non exurendis abundè ſibi probaſſe viſus eſt, conatur etiam ſoluere argumenta, quibus orthodoxi probant libros Hæreticos Vulcano tradi debere.

Primum argumentum eſt ex cap. *Fraternitatis* ext. de Hæret. vbi dicitur: *Cum Cœleſtinus atq; Pelagius in Epheſina ſynodo ſint damnati, quomodo poterunt illa Capitula recipi, quorũ damnantur auctores?*

Secundum argumentum. *Leges ciuiles iubent, vt Hæreticorum libri comburantur, quod patet ex L. Damnato, & ex L. Quicunq; C. de Hæreticis.*

Tertium argumentum. *Quia ext. de ſumma Trinitat. & fide Cathol. dicitur de Abbate Ioachimo. Si quis igitur ſententiam vel doctrinam præfati Ioachim in hac parte defendere vel approbare præſumpſerit, tanquam hæreticus ab omnibus euitetur.*

Ad primum Reſpõdet Huſſus, *Capitula, Hæreticorum damnatorum nullo modo eſſe recipienda. Capitula verò veritatem continentia, non eſſe recipienda tanquam auctorizabilia, recipi tamen poſſe, vt rationabilia.* Cæterum hæc non labefactant argumentum, ſed confirmant. Fatetur enim Huſſus libros hæreticorum iam damnatorum recipiendos non eſſe. Iure igitur per ignem abolentur, & ex manibus hominum, interdictis, & quandoq; etiã pœnis propoſitis excutiuntur. Quorſum enim libri damna-

tionis

tionis nota iam inusti, nisi vt exurantur?

Quod attinet ad vera dogmata, quæ damnati auctores tradunt; ea quidem absolutè repudiari non debent; repudiari tamen possunt, prout à damnatis auctoribus proficiscuntur; exemplo CHRISTI; qui eandem veritatem (quod scilicet esset filius Dei) Petro Apostolo prædicante, accepit; vt verò à Dæmonibus proficiscebatur, non accepit. Neq; vllus ex Canonum interpretibus eius fuit sententiæ; vt diceret, ius fasq; esse subditis, libros ab Ecclesiæ Præsulibus damnatos lectitare, veritatis inde eruendæ gratia; præsertim cum hæretici libris suis vera non adspergant, vt doceant, sed vt specie veri decipiant, falsiq; instillandi occasionem inueniant: quem finem non consequerentur, si falsum purum putum aut falsum solo falso temperatum admiscerent. Verum accedat oportet, & conglobatæ sacrarum litterarum sententiæ, vt decipula apta fiat. Pulchrè Tertullianus. *Nemo venenum temperat felle & helleboro; sed conditis pulmentis & bene saporatis, & plurimum dulcibus id mali inijcit: ita & Diabolus lethale quo conficit, rebus Dei gratissimis & acceptissimis imbuit. Omnia illic seu fortia, seu honesta, seu sonora, seu canora, seu subtilia proinde habet, ac si stillicidia mellis de libacunculo venenato; nec tanti gulam facias voluptatis, quanti periculum.*

Matth. 16.

Tertull. lib. de spect.

Ad secundum argumentum respondet Hussus. *Leges illas aduersari sacris Canonibus, sanctorum dictis & scriptis rationabilibus.* Sed quam responsum hoc sit ablonum satis superq; liquet ex toto primo libro *de Iure prohibendi libros noxios*; vbi ostensum; libros hæreticos non tantum ab Imperatoribus; sed à summis Pontificibus; aliisque

Ecclesiasticis Antistitibus & ab integris Conciliis sæpissimè interdictos, flammisq; addictos esse.

Verum responsionis suæ absurditatem notasse videtur ipsemet Hussus; quare aliam adfert, priore non multò aptiorem: Dicit enim Imperatorem ex nimio odio erga hæreticos damnationis sententiam aduersus eorundem libros tulisse; non sine ignorantia, eò quod nescierit, quantum vtilitatis ex huiusmodi librorum cõseruatione enasci possit ac soleat. At quod Hussus ait de odio, non diffitemur. Odio hæreseos & hæreticorum proscripserunt Imperatores per suas leges libros hæreticos: sicut iidem odio furti & furum proscripserunt furta & fures.

Quod verò addit de ignorantia, calumnia Hussi est. Optimè enim perspectum erat Imperatoribus, quid in vulgus prodessent libri Hæretici; nihil videlicet; nam si dicerem, PARVM; nimis Parum dicerem. Neq; ideo vetandi non erant, quia à Doctoribus refutari debebant: quia poterant nihilominus refelli; licet vetarētur. sicut non ideo pestis coërcenda non est, quia curari debet à Medicis; imò vt optandum est medicos hoc curandi onere leuatos esse; ita etiam optandum est; vt doctores orthodoxi labore refutandi pestiferos libros supersedere queant; quod fiet, si omnibus abolitis nulli amplius exstent.

Ad tertium de Abbate Ioachimo respondet Hussus his verbis. *Dico, quod prohibetur sua doctrina vel sententia de Trinitate erronea defendi & approbari, sed non liber suus comburi, nec veritas libro eius inserta quomodolibet reprobari.* At Hussus verba Capituli illius attentioribus oculis inspexisse debebat. An non enim hæc sunt Capituli verba? *Damnamus ergo & reprobamus libellum seu Tractatum, quem*

Abbas

Abbas Ioachim edidit contra Magistrum Petrum Lombardum, de vnitate seu essentia Trinitatis. Vbi manistè vides damnari ipsum librum Ioachim: Nam quod in specie non iubetur comburi, quid tandem Hussum iuuat? An non satis, quod damnatur & reprobatur? An non hoc ipso fideles monentur, vt ab huiusmodi libro sibi caueant? An non cum liber damnatur, hoc edicitur; vt aboleatur, exterminetur, & ex conuictu Christianorum expellatur, siue id igne; seu quo alio modo fiat?

Dices. Instrumentum Tabellionis hæretici damnatur, nulliusq; momenti ducitur, vt patet cap. *Excommunicationis.* §. *Credentes, extra de Hæreticis,* & tamen lectio huiusmodi instrumenti non propterea prohibetur; ergo licet libellus Ioachimi fuerit vetitus, non ideo lectio illius fuit vetita; multoq; minus liber ipse ad ignem aliudue supplicium damnatus. Respondeo consecutionem esse nullam. Nam huiusmodi tabellionis instrumentum ideo legi potest; quia nullam peruersam impiam doctrinam, sed res merè politicas continet. Quamobrem salua pietate & religione legitur; licet Auctor ipse damnatus sit; instrumentumq; omni auctoritate priuatum. At cum liber Erroneus aut Hæreticus damnationi subiicitur; non tantum auctoritate priuatur, ne alicuius sit ponderis & existimationis: sed id præterea agitur; ne erronea aut pestifera illa doctrina latius serpat. Qui finis obtineri nequit, nisi Fideles à damnati libri lectione arceantur: ad quod nihil est conducibilius, quam vt liber ille tenues dilapsus in auras penitus esse desinant. Et hæc ad libellum Hussi de libris Hæreticorum legendis dicta sufficiant.

Idem argumentum tractat Hussus in libro, cuius inscriptio: *Actus pro defensione libri Ioannis VVicleph de Trinitate sancta à Ioanne Hus publicè celebratus anno* 1410. *Dominico die post festum S. Iacobi.*

 Item

Item in libro, cui hunc dedit titulum: Replica Magistri Ioannis Hus contra Anglicum Ioannem Stokes VViclephi calumniatorem. Verum in neutro libro noui quidpiam adfert. Tantum veterem cantilenam de S. Hieronymo, Beda, Ambrosio, Augustino, Concilio Carthaginensi, Aristotele, eiusq; erratis & de libris diuinæ legis iussu impiorum concrematis occinit; ad quæ abundè iam responsum est: nisi fortè nouum videri debet, quod ait; Ioannem Chrysostomum potius *passum esse excommunicationem & damnationem ab Episcopis & Clero, quam vt ad condemnationem librorum Origenis temerariè consentiret.* Respondeo, quod Chrysostomus, instante Theophilo Alexandrino, damnationi librorum Origenis subscribere noluit; id eâ caussâ factum est; quia Theophilo non subiiciebatur. vnde nec illius iussa capessere debebat. Quod si eadem caussa à Romano Pontifice, Chrysostomo fuisset proposita; proculdubio posita omni mora damnationi illorum voluminum subscripsisset; doctus nimirum summi *Præsulis* imperata absq; vlla tergiuersatione exsequi. Accedit, quod Chrysostomus hoc facere detrectauit, non quod putaret libris Hæreticis & noxiis parcendum esse; sed quia existimabat libros Origenis maiore emolumento legi, quam exterminari ob insignem tanti viri eruditionem.

Quod verò orthodoxi dicebant, malum cum bono in hæreticis libris comburi debere; contrà hoc contorquet Hussus hoc spiculum. *Sequeretur, quod boni homines deberent cum hæreticis pertinacibus comburi, & cum damnatis damnari.* Qua verò ratione hoc sequeretur, ô hæretice? An homines mali & boni tam inter se conglutinati cohærent; quam bonum & malũ in aliquo libro Hæretico; si Hæreticus bonum malo admisceat? Si eadem pagina com-

complectatur decem hæreſes, vnamq́; aut alteram duntaxat veritatem: qua, quæſo, arte ſeparabis bonũ à malo? An quę mala ſunt expunges & obliterabis? At quantulũ de libro ſupererit; ſi hoc facere inſiſtas? Et quid ſi ita malum bono ſit implicitum; vt ne quidem ſeiũgi poſſit? An tu malo, & quidem tanto & tam copioſo parces, vt parcatur bono? Hoc nec ipſum bonum poſtulauerit: quia nõ interit, licet hic liber intereat. Alibi enim exſtat ſincerũ & integrũ & à mali contagione ſecretum. Itaq; licet perdatur bonum, vt huic tam prauo libro illigatum eſt, nulla tamen irrogatur ei iniuria; quia non tam perditur, quam ex ſordido cœno liberatur.

Porrò cum Anglus ille, contra quem Huſs *Replicam* ſuam contexuit, aſſeruiſſet, libros VViclephi ad Hęreſin diſſeminandam adeo appoſitos eſſe; vt vix reperire ſit hominem, *etiam bene diſpoſitum ad bonum*, qui non lapſurus ſit in hæreſin, ſi illis legendis continuam operam impendat: Huſſus multa verborum loquacitate & barbara profluentia id tanquam falſum exagitat: ſed tam inaniter & futiliter, vt referre pigeat, nedum refellere. Verè enim hoc Anglum illum affirmaſſe, docuit ipſe euentus. Tota enim propemodnm Bohemia, vt de Anglia nihil dicã; lectione VViclephicarum lucubrationum à Catholica fide abducta eſt; & in primis ipſemet Huſſus; & niſi tanta diligentia & ſeueritate peſtilentibus iſtis libris obuiam itũ eſſet, forſan clades hęc ad multò plures prouincias pertinuiſſet. nam in recentium ſectariorum libris longe viuaciſſimus eſt ſpiritus Satanæ; totusq́; quaſi vegetus, virus ſuum per libros latiſſimè ſpargit; ſi vel minima ſpargendi occaſio offeratur. Hactenus de Huſſo librisq́; VViclephicis.

CAPVT

Caput VIII.

Litteræ Adriani VI. Pontificis contra Lutherum, librosq́; Lutheranos, eiusdemque argumenti tria edicta Imperatoria.

Exst. hæ litt. Tom. 2. Luth. lat. VViteb.

DEdit Adrianus Pontifex litteras ad Bambergenses, quibus monet illos, vt à Luthero, eiusq́; libris sibi caueant, nulloq; pacto sua in vrbe excudi, venundari, aut legi permittant; vbi meritò miratur Pontifex, tam multos reperiri potuisse, *qui libros Lutheri, eiusq; sequaciũ omninò perniciosissimos, veneno plenos, maledictis redundantes spurcitiis, scurrilitatibus, contentionibus, amaritudinibus vbiq; scatentes, etiam postquam in vim sententiæ Apostolicæ & Imperialis Edicti sæpè in pluribus locis concremati sunt, certatim emerent, auidè legerent, libenter audirent. Cum tamen vel ex hoc ipso, quod huiusmodi sunt, quales modò diximus, omnibus rationi & Spiritui Dei vel paululum auscultantibus facilè fuisset intelligere, eundem Spiritum Dei suauem, benignum, mitem, veritatis & pacis amatorem & conciliatorem; scandalorum, contentionum, & discordiarum pacificatorem, nouitatum refugientem, ab eisdem libris, eorũque Auctoribus longè abfuisse; imò contra spiritum malignum horum contrariis gaudentem, &c. ipsorum librorum Auctores ad talia euomenda exagitasse.* Hæc Pontifex, quibus nihil verius dici poterat. Subiungit verò:

Quapropter charissimi, &c. tanquam filii electi, & populus acquisitionis, vestigiis patrum vestrorum, & omnium Sanctorum inhærentes, doctrinam istorum perniciosissimam, perfidam, blasphemam, Diabolicam, & vt semel dicamus, in interitum trahentem,

tem, cum suis auctoribus, tanquam infernum horreatis; eorumq; libros venenatos non solum ipsi non legatis, sed nec legentibus, vel docentibus aures admouere velitis, aut ipsis Lutheranis ad cor redire contemnentibus, Aue dixeritis.

Et post alia non pauca. *Caeterum quoniam videmus huiusmodi venenatorum librorum impressio, distractio, atq; lectio, quantum verae fidei ac pietati longè lateq; obfuerit, vos, &c. in Domino hortamur, &c. vt omnibus modis prouidere curetis, ne apud vos, aut in territorio ciuitatis vestrae huiusmodi libri vel impressi vltra diuendantur, vel nondum impressi deinceps imprimantur. Imò verò quotquot in dicta ciuitate vestra inueneritis, juxta Sedis Apostolicae sententiam & imperiale edictum comburi faciatis, alioquin, si peruersitatem impressorum vestrorum, qui pecunia (vt credendum est) à Lutheranis corrupti (si vera sunt, quae audiuimus) Lutheranorum opera promptissimè imprimunt; quae verò à Catholicis pro veritate contra illos scribuntur, imprimere nequaquam volunt, corrigere & emendare neglexeritis, denunciamus vobis, quod diuinam, eamque terribilem vltionem, &c. non euadetis.* Haec & alia huius generis Pontifex ad Bambergenses; quae animum Lutheri mirificè pupugerunt.

Igitur litteras pontificias scurrilibus & contumeliosis scholiis & glossis, more suo nō illustrauit, sed inquinauit: & ad lectorem declamatiunculam adiunxit; adeò insulsam, furiosamq;, vt insulsitas & vesania ex omnibus vocabulis, propè dixeram, syllabis, emicet. Nec tantum Pontifex, sed & Imperii Ordines, anno Domini 1523. Norimbergae congregati de coërcenda Lutheri pestifera doctrina per libros vndequaq; diffusa, seriò cogitârūt: Praeter caetera promiserunt Ordines, *se omnem diligentiam adhibituros esse, praecipuè verò cum illo Magistratu, sub cuius imperio Lutherus, & quidam alii eius sectatores fouentur, magno studio velle agere, vt is efficiat, ne Lutherus, aut alii eius sectatores*

Exstat Tom. 2. lat. VViteb. oper. Lutheri.

porrò aliquid noui scribant, aut in publicum edant. Praeterea ne postbac publicis typis imprimantur aut vendantur noua scripta, nisi prius à doctis quibusdam viris peculiariter ad boc designandis, inspecta ac explorata sint, atque admissa.

Monentur insuper omnes, *vt in omnibus officinis typographicis, item apud Bibliopolas in suis territoriis prospiciant, ne posthac aliquid nouorum scriptorum intra tempus futuræ Synodi excudatur, seu venum exponatur, aut alioqui, vt vendi possit, circumferatur, nisi primùm à doctis, & in quolibet imperio ad hoc delectis viris, &c. recognitum sit & approbatum. Caterùm si quid praeterea excusum, vel vt excudatur, ab aliquo traditum fuerit in quo vitium deprebendetur, eiusmodi scriptum, praesertim libellos famosos, nemini sub graui pœna excudere, vel excusos distrahere licebit.*

Cum hoc edictum ad Lutheri manus peruenisset, breuē Cōmentariolū in illud ad Principes edidit, in quo homo impudens, quis Edicti sensus sit, ipsis Edicti Auctoribus, hoc est, *Vicario*, seu *locum tenenti* Cæsareæ Maiestatis Electoribus; aliisque Imperii statibus explicare nititur, & quidem, quod attinet ad articulum illum, ne vllus liber imprimatur, nisi prius lectus & approbatus ab aliquibus eruditis, *à me*, inquit Lutherus, *facilè seruabitur, imò superiori anno in nostra Academia boc constitutum est*. Facilè seruabitur, ita tamen, vt libri à Luthero elucubrati censor sit Melanchthon, aut Amsdorffius, aut Ionas, aut alius de eadem tribu. Hos enim judices non inuitus feret Lutherus, satis gnarus, quàm candida arbitria ab illis promanent.

Sed hoc articulo non censendum est prohiberi, ait Lutherus, *ne scripturæ sanctæ libri imprimantur, aut hactenus editi legantur & vendantur, ita nec versiones scripturæ in nostram vernaculam, aut alias linguas interdictas esse judicamus.* Malè judi-

judicas Luthere; vel maximè editio Bibliorum interdicta fuit; Bibliorum, inquam; non Christi, sed tuorũ, quibus tantas turbas concitasti, sutoresque & sartores ex opificibus in pseudotheologos transformasti. Longè profectò melius edicti sensum assecuti sunt Principes Orthodoxi, qui testamentum Lutheri statim proscripserunt, & publicè mandârunt, ne quis emeret, aut si prius emptum esset, delectis ad id Commissariis & Praefectis traderetur. *Vide Cochl. in Act. Luth. anno 1522.*

Hoc vbi ad Lutheri aures peruenit, *ita in seculares quoq; Principes, & ira exarsit, & maledico calamo debacchatus est,* inquit Cochleus, *vt omnes maledicendi vires, & omnia conuiciorum tela, in eos solum reseruasse; in Papam verò & Episcopos nihil antea euomuisse videri potuerit. Mox igitur post initium anni subsequentis edidit librum Theutonicum de potestate seculari ad Principem suum Ducem Saxoniae Ioannem, &c. ad quem sanè tãta mordacitate in Principes liberè inuectus est, perinde ac si is, ad quem scribebat, aut Princeps natus non esset, aut ab aliis Principibus velut hostis, aut Apostata degener ad ignobile vulgus defecisset. Quis enim non miretur, Principem tot retro clarissimis nobilissimisq; atauis illustrem, aequis auribus accipere potuisse haec ignobilis ex plebeia fece Apostatae in eo libro verba. In Misnia, inquit Lutherus, in Bauaria, in Marchia, aliisq; in locis promulgauerunt Tyranni edictum, vt noua testamenta hinc inde in praefecturas tradantur. Hic subditi sic agant: non foliolum, non literam vnam tradant sub periculo salutis suae. Quisquis enim id fecerit, is tradit Christum Herodi in manus. Illi enim agunt velut Christicidae, sicut Herodes, &c. Tales namq; Tyranni agunt, sicut agere debent Principes mundani. Mundani Principes sunt; mundus autem inimicus est Deo. idcirco & ipsos quoq; facere oportet, quod Deo contrarium, mundo autem consentaneum sit, vt scilicet non fiant infames, sed Principes mundani permane-*

ant. Ne mireris igitur, si contra Euangelium furiunt, & fatuè agunt: oportet ipsos titulo nominiq́ suo satisfacere. Et scire debes, quod ab initio mundi admodum rara auis est Princeps prudens, adhuc multò rarior Princeps probus. Sunt communiter maximi fatui, aut pessimi nebulones super terram. Quapropter semper pessima ab ipsis exspectanda sunt & parum boni sperandum est, præsertim in rebus diuinis, quæ ad salutem animarum pertinent. Ipsi enim sunt lictores & carnifices Dei, &c. Magnus Dominus est Deus noster, idcirco & tales, nobiles scilicet, illustres & diuites carnifices & lictores, eum habere oportet.

Hęc & plurima huius generis alia longè contumeliosissima impius transfuga in Principes ob edictum Norimbergense. Hęc scilicet illa est obseruãtia, qua Lutherus Edictum Norimbergense se recepisse prædicat. *Edictum Cæsareæ Maiestatis,* ait hypocriticus veterator, *nuper à vobis, illustrißimi & generosi Domini, publicatum, qua debui obseruantia, & animo sanè gratißimo accepi, & diligenter Ecclesiæ nostræ proposui.* At notæ Lutheri in illud Edictum, & liber de *Potestate seculari* longè aliud loquuntur, & simulatorem istum vanitatis simul & impudentiæ euidenter redarguunt: cumq́; libellum suum de hoc edicto hac inscriptione prænotarit: *contra calumniatores & falsarios edicti Cæsarei,* equidem accuratius re tota expensa, dispicere nequeo, quinam sint isti calumniatores & falsarii, præter ipsum Lutherum, Lutheriq́; asseclas, qui clarissimis edicti verbis tenebras offundere tentarunt. *Sed vt moris est Diabolo, rebus optimis corruptelas affingere, pessimis autem fucũ facere, ita huic etiam edicto fraudem esse factam video à Luthero.*

In Comitiis Augustanis anno Domini 1548. rursus salutari constitutione malo librorum famosorum & hæresin disseminantium mederi conatus est Carolus Impera-

perator. Sed vidit verum esse vulgatum illud antiqui Vatis:

Serò Medicina paratur
Cum mala per longas conualuêre moras.

Nec plura de hoc edicto: quia ferè conuenit cum VVormaciensi, quod suo loco recitauimus: Tantum obserue- *Lib.1.c.18.*
tur, & imo animo condatur sententia quædã Imperatoris de Luthero; *Nuper*, inquit Imperator, *à decretis & constitutionibus Ecclesiasticis publicè cremandis nullo pudore, metu, reuerentiaq́; deterritus est. Et nisi ciuilis gladii aciem magis, quàm fulmina, execrationes, pœnasq́; Pontificias reformidasset, indigniora longè in ciuilia jura commisisset.* Nihil certius, ô Imperator, ferro & flammis sæuius in Volumina Iuris Ciuilis debacchatus fuisset; nisi formido pœnæ furiosi impetũ cohibuisset: quam enim mentem gereret in leges ciuiles, legumq́; Doctores & Professores, perspicuè ipsemet docet in colloquiis suis symposiacis, titulo de *Iuristis*.

Anno Domini 1540. Promulgauit Carolus Cæsar aduersus Hæreticorum libros huiusmodi edictum pro Hæreditariis Belgii Prouinciis. *Ordinamus & statuimus pro edicto & perpetua lege, vt sequitur: Primùm, vt nemo cuiuscunque status aut conditionis fuerit, posse debeat, apud se habere, vendere, portare, dare, legere, prædicare, docere, tolerare, defendere, impertiri, aut disputare, siue occultè, siue manifestè de doctrina, de scriptis & libris: quos fecerunt, aut facere poterunt, Martinus Lutherus, Ioannes VVicleph, Ioannes Huss, Marsilius de Padua, Oecolampadius, Vlricus Zvvinglius, Philippus Melanchthon, Franciscus Lamperti, Ioannes Pomeranus, Otto Brunfelsius, Iustus Ionas, Ioannes Purpuri, & Gercianus, aut alii auctores de eorum secta, similiter & omnes aliæ sectæ ab Ecclesia reprobatæ, neque etiam doctrinas ab eorum adhærentibus, fautoribus & fœderatis; neq; etiam noua testamenta impressa apud Adrianum de Bergis, &c.*

Refertur à Cochl. de Act. Luth. Anno 1540.

gis, &c. Et si quis eiusmodi libros apud se habeat, vt confestim comburat, sub pœnis declarandis & exequendis, &c.

CAPVT IX.

Libri Zvvinglij ab Orthodoxis Heluetijs vetiti, & in cineres redacti.

Zvving. To. 2. in Resp. breui ad Eckii Epist.

CVm Zvvinglius à clarissimo Doctore Ioanne Eckio Badenam Heluetiorum disputationis ineundæ gratia vocaretur, venire renuit. Cuius detrectationis caussã his verbis Zvvinglius reddidit, *Dicendum est quamobrem nec mihi commodum, nec tutum sit illuc locorum proficisci, in quibus rerum potestas penes Lucernenses, Vrianos, Suitenses, Subsiluanos, Tuginos, & Friburgenses est, &c eò nimirum, quod nemo jam ignorare possit, sex hosce modo prædictos pagos, aut Cantones tam scripta, quàm doctrinam nostram jam antea hæreseos nota contaminauisse, & pluribus in locis edictis publicis in suggestu quoque promulgatis librorum nostrorum lectionem prohibuisse. Quidam verò ex iis libros nostros incluserunt, ne ab aliquo legi possint: quidam eosdem flammis tradiderunt: quidam imaginem nostri contumeliosè cremauerunt, & ceu captiuam duxerunt, non sine summa contumelia & dedecore, quæ iniuriarum nouæ species inclytæ Germaniæ hominibus, inprimis autem communi Heluetiorum solo hactenus incognitæ fuerunt.*

Zvving. Epl. ad 12. pagos Heluet. Tom. 2.

Alibi idem Hæreticus. *Friburgi libros meos nulla admissa excusatione combusserunt. Sed & Lucernæ imaginem mei effictam publicè cremârunt, hoc modo me, & doctrinam meam, quam per vniuersum agrum suum proscripserunt, infamem reddere volentes.* Ægre fert impius Sectarius imaginem su-

iam in fumum versam, qui tot Diuorum imagines, tot Sanctorum reliquias, tot Redemptoris nostri Cruces profanauit, & succendit. Ægrè fert pestiferos suos fœtus proscribi, qui tot monumenta veterum scriptorum contempsit & conculcauit; cui tota antiquitas quasi delirans ludibrio fuit. Benè profectò Lucernenses, præclarè Friburgenses, laudabiliter cæteri; piè, atque virtutibus consentaneè omnes, qui hydræ huic succrescenti maturè obuiam ierunt, & tam pestifera capita absq; cunctatione succiderunt. in quos & alibi stomachatur Zvvinglius: *Libros meos,* inquit, *grauibus pœnis prohibuerunt* (sex pagi) *& me vbicunq; locorum comprehendi possem, captiuum ducere jusserunt. Hoc omne verò citra scripturæ auctoritatem* (scilicet) *quia nondum conuictus eram* (imò vel maximè conuictus eras jam olim in Berengario, VViclepho & aliis) *& contra publica jura* (scilicet) ab ipsis *decretum est.* *Zvving. Resp. ad Antigr. Fabri.*

Et quia Zvvinglius scripturæ auctoritatem postulat, dabo illam, quam olim doctissimus pariter & religiosissimus Episcopus Roffensis dedit, cum de Luthero sermo esset. *Christi vox in canticis est: capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas. Qua planè monet, Hæreticos esse capiendos, antequam adolescant: nam hi vulpinis fraudibus vineas, hoc est, Ecclesiam Christi demoliri student. Optarim igitur, vt hanc vocem audissent hi, quibus ex officio incumbit, hæreticos, dum paruuli sunt, comprehendere. Neq; enim hodie tàm grauis esset in Ecclesia tempestas, & rerum omnium perturbatio, si Lutherus,* (Zvvinglius) *dum esset vulpecula, fuisset repressus. At nunc euasit in vulpem grandiusculam, annosam, & veteratricem, tot dolis, astutiis, artibus instructam, vt mediam teneri difficillimum sit. Sed quid dixi vulpem? canē dixissem rabidū, imò lupum rapacissimum, aut sæuissimam quandam vrsam,* *Roff. lib. pro Rege Angliæ. cit. Cochl. in Act. Luth. anno 1523.*

quæ raptis catulis furore quodam agitur, vel magis hæc omnia simul: multas enim hoc monstrum intra se bestias alit. Hæc verè sanctus ille Præsul, quorum non ignari magnanimi Heluetii, quibus prisca fides, pietasq; cordi erat, Zvvinglium, adhuc vulpeculam, sollicitè à suis finibus arcuerunt; ne si intra ditionem eorum augesceret, viresq; crescendo acquireret, omnia sacra pessundaret & demoliret, vt alibi factum, vbi vulpeculæ huic augmenti sumēdi tempus & otium concessum est.

At videamus vulpis huius vafram, genioque vulpis prorsus dignam de suis libris professionem. *Quantum ad me spectat, lubens profiteor, me libros meos omnes non inuitum exusturum esse, si quidem me vnius erroris conuincere poteris. Non autem Badenæ hoc facere licebit: humidis enim in locis libros incendere minus commodum esset.* Ita per jocum festiuus sectarius, cui Badena minus arridebat, ob Catholicam fidem, quam tunc retinebat, & vero hodie quoq; diuino munere, constanter retinet. Similes voces eructauit etiam non semel Lutherus, offerens se ad Palinodiam; si erroris conuinceretur. Ea tamen lege Hæretici talia pollicentur; vt num erroris conuicti sint, non rectè sentientium, sed ipsorum Hęreticorum committatur judicio. Quo nihil magis ridiculum! Quis enim Hæreticus vnquam aut suo, aut asseclarum suorum judicio erroris cōuictus est?

Porro cum Doctor Ioannes Faber sedulam operā daret, vt Biblia à Zvvinglio, aliisq; Hæreticis deprauata, & in vulgus sparsa, abolerentur, Zvvinglius arrepto calamo ad vniuersam Heluetiorum Rempublicam Parænesin scripsit; vbi sic caussam suam agit. *Summo studio & consiliis multiuariis hoc euincere & impetrare cupit* (Faber) *vt noui testamenti Codices, & si qui alii libri intra paucos annos Germanicè*

Zvvingl. in Paræn. Tom. 2. oper.

manicè scripti sunt, imò latini quoq; plures exurantur. Quamuis autem omnium librorum exustio diligenter caueri & vitari debet, priusquam certis & fide dignis rationibus confutati fuerint, nemo tamen Christiani nominis hominum eò dementiæ se adduci patietur, vt noui testamenti scripturas probroso & ignominioso incendio abolendas esse censeat; idq; his de caussis maximè.

Fatemur libros temerè non esse tradendos flammis, sed tunc, vbi perspicuè constiterit, perniciosis dogmatibus inquinatos esse: hæc autem perspicuitas metienda non est judicio illorum, qui huiusmodi libros procudunt; sic enim neque Protagoræ, neq; Porphyrii, neque Arii, neq; vllius alteri⁹ aut athei, aut Ethnici, aut Hæretici libri vnquam comburi potuissent; sed totum hoc æstimandum est judicio orthodoxorum Ecclesiæ Catholicæ antistitum, quibus libros Zvvinglii fœdissimis erroribus scatere tam euidens erat, quàm euidens nobis est, binarium numerum esse parem, ternarium imparem: ac proinde absq; vlla temeritate has tot hæresibus fœtas chartas ad rogum deposcere & quærere potuerunt.

At nefas est sacros diuinarum litterarum codices flammis absumere: non abnuimus; sed probandum restat Zvvinglio, codices, quos ipse aut alius Nouator falsauit & corrupit, sacros esse. Veneranda sunt, & quidem cultu non exiguo, biblia, non Zvvinglii, non Lutheri, non Caluini, non Bezæ, non Castalionis, non Roberti Stephani; sed Biblia Catholicæ Ecclesiæ, à patribus nobis commendata, & ad nos per tot annorum centurias delata. Biblia Zvvinglii & Lutheri hoc nomine immeritò afficiuntur, quia non sunt vera, sed falsa & falsata Biblia.

Expendamus tamen, quibus argumentis probet Zvvinglius sua & Lutheri Biblia flammis tradenda non

esse. *1. Graui edicto & præcepto cautum est, ne maledicamus Principi populi nostri, vel aliquo modo in illum simus iniurij Exod. 22. Multo minus ergo ferendum erit, vt in cælestem illum Principem nostrum, aliqua ex nobis contumelia redeat.* Nihil adhuc occurrit, quod displiceat. Perge igitur. *Cum verò verbum illius publico incendio tollimus, ignominiosè tractamus, in carceribus detinemus, quæ nam Deo maior iniuria per nos inferri poterit?* Et hoc verum est; si de vero verbo Dei intelligatur, non de illo putatitio, quod verius Verbum Lutheri aut Zvvinglij, quã Dei dixeris. Nam prius illud abolere velle, summæ impietatis est. At hoc posterius exscindere, pietatis legibus vel maximè consonat. Si ergo Zvvinglius aliquid contra nos efficere cupit, demonstrandum erit, verbũ illud, quod Biblia Lutheri, aut alterius sectarij cõtinẽt, esse Verbum Dei non Lutheri, aut similis hæresiarchæ.

Atqui nemo Principum est, ait Zvvinglius, *qui suas leges de aquæductibus, ædificiis, pascuis, & aliis rebus huiusmodi sancitas impunè contemni patiatur.* Ita est; at si quis impostor exsisteret; qui legum Codicem deprauaret & falsaret; aliusq; Principis amans exsurgeret; qui corruptum illum Codicem ferro & flammis exterminaret; is non modo Principem nullo dedecore afficeret; sed de illius nomine & existimatione præclarissimè mereretur. *Pertinet enim ad gloriam Principis*, vt decreta eius sincera & intacta conseruentur; nullaq; mendacia à falsariis sub hoc velo venditentur. Si igitur iure à corruptorum fraudibus, libros legesq; Principũ vindicamus, vitio nemini dabitur; si eadẽ diligentia libros & iussa Dei ab imposturis fallaciisq; hæreticorũ asserat: Et vt is, qui falsatum & deprauatum Constitutionum Codicẽ exurit; non exurit Codicẽ Principis, sed falsarij; ita qui corrupta Biblia abolet; is non abolet librum Dei, sed alicuius sectarii.

secun-

Secundum argumentum Zvvinglij. *Deut. 6. Deus disertè præcipit, vt verbum ipsius in animis nostris geramus semper, & in omnibus vitæ actionibus, hoc, ceu certam vitæ Cynosuram, respiciamus: præterea, vt libris quoq; nostris illud exponere studeamus, &c. necessarium igitur est, vt Dei verbum exactissimè descriptum quotidiano vsu teramus; & quod hinc est consequens, minimè comburi debet.* Quem petit hoc argumentum? quem ferit? Totum concedimus, si de genuino & legitimo Dei verbo intelligatur, vt quidem intelligi debet; non de verbo Saxonico aut Tigurino; de quo legendo; rimando; ediscendo, nullum penitus exstat verbum in Deuteronomio, aut alio libro sacro. Quare si quis informe argumētum paululum lambere, & in hanc formam redigere velit: *Deus præcipit, vt verbum Zvvinglij aut Lutheri perpetim in animo circumferamus, illudque memoriæ mandemus, & libris nostris tradamus; ergo non est abolendum flammis:* Vel puer videt, quonam responso Antecedens dignum sit.

Tertium Argumentum. *Circa initium Christianæ charitatis & zeli in vsu fuisse videmus, vt veteris testamenti libros haberent omnes, ergo multo magis nos Christiani, qui lucis sumus, non noctis aut tenebrarum, Dei Verbum litteris mandatum manibus nostris tenebimus.* Et hoc argumentum à scopo abit; quia nihil de Verbo Lutheri aut Zvvinglij adfert; aut si adfert, falso adfert: cum hoc Verbum nostro demum tempore in Heluetia & Saxonia natum sit. Illud item ex Zvvinglio quærendum est, vnde nouerit, *hunc vulgarem veteris Ecclesiæ morem fuisse, vt singuli è plebe eum scripturæ locum coram in libris inspicerent, qui à doctore tractabatur.* Citat quidem cap. 14. prioris Epistolę ad Corinthios. Sed licet caput illud legatur, sæpiusq; relegatur, nihil simile inde exsculpi potest, Ingēs enim raritas & infrequē-

tia librorum sacræ scripturæ erat, præsertim in vulgo, & necdum consuetudo illa inualuerat, quæ hoc æuo in castris Nouatorum viget; vt imperitissimus quisq; sacrarum litterarum volumina in sinu circumferret; earumque exactam cognitionem insolentissimè sibi arrogaret.

Quartum argumentum. *Nulli vnquam genti aut populo interdictum est, quo minus vnusquisq; integra biblia domi suæ priuatim haberet, legeret, & in illis exerceretur.* Respondeo, nulli vnquam vetitum fuisse, vt integra biblia latinè, græcè aut Hebraicè conscripta domi haberet & lectitaret; at vt biblia ab hæreticis vulgata & contaminata domi retineat, id toties prohibitum est; quoties hæreticorũ librorũ lectio prohibita fuit. Sæpissimè autẽ prohibita est; vt planum fecimus toto primo libro de iure prohibendi libros noxios. Quod verò biblia vulgari lingua multis in locis non conceduntur absq; superiorum permissu, id summa æquitate constitutum est; cum neminem fugiat, quid incommodi ex hac promiscua lectione apud imperitam multitudinem enascatur.

Quintum argumentum. *Si scripturæ vsum nobis extorqueri permiserimus, haud dubiè Conciliorum decretis & Patribus denuo subiiciemur, in quibus multa ex affectibus instituta esse palam constat: quæ enim in Christum fides, quam pura etiam & sincera hæc fuit, priusquam Patres isti prodirent?* Occurrit, quod Dominus alicubi ait cum Iudæis disceptans. *Neq;*
Ioan. 5. *vocem eius* (Patris) *vnquam audistis, neq; speciem eius vidistis, & verbum eius non habetis in vobis manens, quia quem misit ille, huic vos non creditis: scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me, & non vultis venire ad me, vt vitam habeatis.* In eandem sententiam meritò possent Patres & Concilia

agere

agere cum Zvvinglio aliisq; hæreticis: *Neq; vocem scripturæ vnquam audiistis, neq; speciem eius vidistis, & verbum eius non habetis in vobis manens; quia Conciliis & Patribus, quos misit ille, his vos non creditis: scrutamini scripturas, quia vos putatis, incredulorum Iudæorum more, in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de nobis, & non vultis venire ad nos, vt vitam habeatis.*

Subiiciuntur ergo hæretici scripturæ eo modo, quo olim Iudæi; vt scilicet sint supra, non infra; quemadmodum & Iudæi supra non infra scripturam erant, ad propriam libidinem scripturam inflectendo & detorquendo: & in hoc pulchra illa, scilicet, subiectio istorum consistit. Nam si verè & ex animo scripturæ subiicerentur, subiicerentur quoq; pastoribus & Doctoribus Ecclesiæ; quibus, vt ceruicem subdamus, toties scriptura monet. *Si crederetis Moysi,* aiebat Christus, *crederetis forsitan & mihi; de me enim ille scripsit. Si autem illius literis non creditis, quomodo verbis meis credetis?* Ita si hæretici crederent scripturæ, crederent fortassis Patribus & Cōciliis. De illis enim scriptura loquitur. Si autem scripturæ non creditis, quomodo verbis Patrum & Conciliorum credetis? Conuicia, quæ Zvvinglius hoc loco in Patres euomit, prudens prætereo, quia non tangunt Patres quippe iam extra omnem teli iactum positos.

Sextum argumentum. *Si noui testamenti lucem è manibus nostris auferri paßi fuerimus, concubinariis sacerdotibus & adulteris pro suggestu publicè mentiendi & se arroganter ostentandi occasio & copia denuo data est.* Mira ratio, si tamen ratio. Quid enim à ratione alienius, quam hæc argumentatio? Non est permittendum, vt sacerdotes concubinarij & adulteri pro suggestu publicè mentiantur, & sese ostentent; ergo permittendum non est, vt hæretica bi-

blia exurantur; probatur cõsequentia; quia si posterius permittatur, necessariò eueniet illud prius. Quæ verò cōnexio inter librorum exustionem & mentiendi, thrasoniceq; gloriandi impotentiam & impudentiam? Cæterum, quinam magis è loco superiore detonent & debacchentur, prædicantesne in sacerdotes, an sacerdotes in prædicantes; id vel ex iam auditis Epithetis, quibus Zvvinglius sacerdotes cohonestat, prõptum est intelligere. *Si Ecclesiastæ* (prædicantes) *tanta sæuitia declamitarent in vitia suorum*, inquit Erasmus, *quàm clamitant in vitia sacerdotum, demirabor si tres habituri sint auditores. In vitam Pontificum, Cardinalium, Episcoporum, Sacerdotum ac Monachorum mirè diserti sunt, de quibus ita loquuntur, quasi inter eos nullus sit non sceleratißimæ ac deploratißimæ vitæ, cum arbitrer inter illos esse longe plures, qui Christo in sinceritate spiritus seruiant, quam inter istos. Alicubi scio, nusquam fuisse maiorem luxum, plus adulteriorum, quam inter Euangelicos, sic enim appellari gaudent.* Hæc Erasmus.

Erasm. Epist. ad frat inf. Germ.

Septimum argumentum. *Omne veritatis studium, quod Dominus hoc nostro sæculo tam feliciter incendit, vt Pontificij quoq; vel inuiti ad scripturarum lectionem compulsi sint, denuo extinguetur.* Fortè legendum est. *Omne feritatis studium, quod Diabolus hoc nostro seculo tam feliciter incendit, &c. denuo exstinguetur*; si Biblia hæretica, aliiq; libri, perfidiæ doctores, exstinguantur: quod Zvvinglio certè tantæ feritatis Magistro commodum non foret. Quia verò Zvvinglius denuo linguam in sacerdotes vibrat; ideo facere non possum, quo minus illum fructuum qui ex Euãgelio Zvvingliano succreuerunt admoneam, non meis, sed Erasmi verbis, qui hæc ad Henricum Stromerum. *Hic nobis hoc nouum Euangelium gignit nouum hominum genus, præfractos, impudentes, fucatos, maledicos, mendaces, sycophantas,* inter-

Eras. lib. 19. Epist.

inter se discordes, nulli commodos, omnibus incommodos, seditiosos, furiosos, rabulas, qui mihi adeò displicent, vt si quam nossem ciuitatem ab hoc genere liberam, eò demigrarem.

Verum vt capiti huic finem imponamus, monendus est lector, licet iam alibi monitus, etiam Lutherum & Lutheranos Zvvinglij opera proscripsisse: Quiritatur ipsemet Zvvinglius lamentabiliter super hac, vt quidem ipse interpretatur, iniuria. *ex Lutheri libris non obscurè coniicere possumus*, inquit Zvvinglius alloquens Principes Hassiæ & Saxoniæ, *nostra scripta intra vestræ ditionis terminos nequaquam legi, cum videlicet ea nobis obtrudat, quæ nunquam à nobis tradita sũt, interim verò quæ docuimus semper, nos nũquã docuisse clamitet. Quæ sanè res non exiguũ damnum veritati aliquãdo dare posset; si enim Paulum Apostolum audire velimus, ille, omnia probate, inquit, quod bonum est tenete, Lutherus verò in hoc totus est, vt prohibeat, ne doctrina nostra vsquam legatur; quin potius prinsquã cognosci possit, damnetur vndiq.* Iubet quidem Apostolus, ô Zvvingli, vt omnia probemus; at non simpliciter omnia; sed omnia, de quibus, num proba sint; iure ambigitur. Nam si perspicuè constet, improba esse; quid opus est probatione; vt & tunc, cum bonitas in propatulo est? Iam vero librorum tuorum vanitas & inanitas Lutheranis dubia non erat. Quare nullo examine egebant, sed etiam non visos meritò exterminabant, omniq; ad prouincias suas aditu arcebant.

Præfat. lib. 1. de iure Prohib. libros.

CAPVT

CAPVT X.

Libri Hæretici ab ipsis hæreticis interdicti. Iudicium Lutheri de operibus Erasmi.

INter Articulos Heidelbergensium & Anhaldinorum primus est iste. *Lutheri scripta simpliciter damnanda & abroganda esse.* Et articulus decimus quintus mandat, *vt Lutheri paruus Catechismus ex Ecclesia Dei exterminetur.* Hoc honore dignantur aui sui scripta Caluinistæ; non obstante, quod in libro Concordiæ *omnia Lutheri scripta didactica simul ac polemica canonizata sunt.* vt loquitur Georgins Sohn Minister Caluinianus.

In disput. de multipræsent. corp. Christi. Thes. 16.

Libros Illyrici in Saxonia & Misnia vetitos, aut saltem, ne vetarentur, periclitatos fuisse, testatum reddunt ipsa Illyrici verba partim querelæ, partim impudentiæ plenissima; quibus Augustum Electorem affatur. *Hoc munusculum solummodo peto, ne patiatur isthic malos contra innocentes, constantesq́ doctores furere, neue nostros istos libellos tanquam seditiosos finas condemnari, &c. Equidem non patiar mea pia & innocentia scripta pro seditiosis damnari. Ac si quis vel Ecclesiasticus, vel politicus gubernator ea tanquam seditiosa condemnauerit, nec veras simul rationes (quod scio impoßibile esse) attulerit, eum ego viciſſem coram tota Ecclesia, tanquam IESV Christi persecutorem accusabo & condemnabo, &c. Non patiar sanè quenquam vel magnum vel paruum mea scripta pro libitu condemnare. Tentet sanè, qui vult aliquid contra. Næ ego ei respondebo.* En quam minax Illyricus, quam arrogans & fastuosus; & hoc cum tanto Principe loquens! At fungus fuisset,

Illyr. Epist. ad Aug. Elect.

ſet, quiſquis ſuperciliosiſſimi Nouatoris minas vel vnius aſſis æſtimaſſet. Neq; Catholici, neq; aduerſarij hiſce ampullis abſterriti ſunt, quo minus Illyrici libellos, tanquam ſeditionis flabella, damnationis ſententia percellerent, & ſempiterna ignominia ſimul cum Auctore notarent.

Baſileæ in carcerem coniectos eſſe duos typographos, q. libellos Germanicos Carolſtadij excuderãt, ſcribit Eraſmus. *Ex Baſilea ſcribunt amici*, inquit Lutherus, *typographos Carlſtadij illic carcere fuiſſe punitos, & parum abfuiſſe, quin libri eius fuiſſent exuſti.* Caluinus de Libertinorum & Anabaptiſtarum quorundam libris, *Exiſtimo*, inquit, *nemini non eſſe perſpectum, quam ſint fugiendi tales libri, infecti opinionibus adeo fanaticis.*

Eraſ. lib. 19. Epiſt. ad Melancht. Luth. Tom. 2. Epiſt. ad Spalat. fol. 269. Cal. Inſtruct. contra Libert. cap. 24. Tom. 1. Epiſt. 42. anno Domini 1518.

Obſeruatione porro dignum eſt Lutheranos non ſolum in ſuorum, hoc eſt, Illyrici & ſimilium, Zvvinglijq; & Caluini libros edictis inuectos; ſed & in Catholicorum lucubrationes flammis graſſatos eſſe. Non memorabo hic incendium Iuris Canonici, de quo copioſè alibi; audi quid Lutherus ipſe de exuſtione Theſium Tetzellinarum narret. *Studentes*, inquit, *vt ſunt mirè pertæſi ſophiſtici huius antiqui ſtudij, cupidiſſimi verò ſacræ bibliæ, fortè & mei fauoris ſtudio, cum reſciuiſſent, aduenisse virum ab Hallis miſſum à Tetzel auctore poſitionum, ſtatim adeunt, & hominem terrentes, quod talia huc auderet adſerre, aliquot quidam emerunt, alij verò rapuerant, & reliquas omnes fermè* 800. (*præmiſſa intimatione & conuocatione, & ſi quis vellet adeſſe conflagrationi & funeri poſitionum Tetzellinarum, veniret ad forum, hora ſecunda*) *cõbuſſerunt: atq; hæc inſcio Principe, Senatu, Rectore, deniq; omnibus nobis.* At quis credat tantum facinus in publico foro perpetrandum, à tanta multitudine; præmiſſa itidem ad ſpectaculum hoc inuitatione, latere potuiſſe vniuerſos Academicos Witebergenſes; præſertim Lutherum; de

quo tunc verè cani poterat.

Quidquid agit mundus Luther vult esse secundus.

An omnes eo die somnum Epimenideo profundiorem dormiebant?

Certè mihi & omnibus, inquit Lutherus, *displicet illa grauis iniuria homini à nostris illata.* Quis credat hypocritæ aliud promptum in ore; aliud clausum in pectore gerenti? Videlicet tantum Luthero displicuit hoc factum; quantum postea Iuris Canonici Incendium. *Sum extra noxam.* Tuo fortassis iudicio, quia pro noxa non reputas; at non aliorum. *Timeo, quod totum mihi imputabitur.* Meritò timuisti, si tamen timuisti; & non potius sceleratum hoc facinus, si non tua iussione; profecto tua dissimulatione susceptum; gloriæ & laudi tibi duxisti.

Cum Iodocus Isenacensis Luthero conflagrationem istam adscriberet, indignabundus Lutherus in hæc verba respondit. *Miror, quod etiam credere potuisti, me fuisse auctorem concremationis positionum Tecellinarum. adeo mihi omnem sensum humanum periisse credis, vt tam insignem iniuriam, ego religiosus & Theologus in loco non meo homini tanti officij irrogarem?* Hæc impudens perfuga transfigurans se in Angelum lucis & modestiæ; cum iam omnes modestiæ leges transcendere & frontem egregiè perfricare cœpisset. Non frustra hoc de Luthero suspicatus est Isenacensis. Norat hominis indolem & furiam; norat impetus illos & proiectam ad quiduis audendum audaciam, inficiandique impudentiam, vbi ausa ex voto successissent; sana autem mente præditis displicerent. Et nunc multo magis suasu Lutheri id accidisse credimus, postquam videmus eò nequitiæ Apostatam processisse; vt ipsum Ius Canonicum flammis absumendum daret.

Tom.1.Ep.47

Duo

Duo verò hic notari velim non à Luthero, qui nullius bonæ obseruationis amplius capax, sed à Lutheranis adhuc superstitibus; primum, nihil caussæ suppetere, cur adeo vociferentur, si ardere cernant libros Lutheranos, cum ipse Lutherus libros Catholicos æquissimis oculis ardentes adspexerit. Alterum, ab omni culpa meritò purgari Orlamūdenses rusticos: de quibus Lutherus stylo veteri, sibiq; consueto; *Orlamundenses rustici nates libello meo purgant.* Dignum tali bibliotheca opusculum, & bibliotheca tali opusculo digna. *Tom. 2. Epist. ad Lincum. fol. 272.*

Restat Lutheri iudicium de libris Erasmi, quod est huiusmodi. *Ego sanè optarim totum Erasmum esse ex nostris scholis explosū; nam si etiā non esset perniciosus, tamen nihil esset vtilis, nullas res docet aut tractat. Nec expedit iuuentuti Christianæ assuescere huic Erasmicæ dictioni. Discet enim de nulla re seriò & grauiter loqui & cogitare; sed tantum in graculi seu spermologi morē, omnes alios ridere, & planè aliud nihil, quàm morionari. Hac verò leuitate & vanitate paulatim desuescit à religione, donec adhorreat & penitus profanescat. Papistis relinquendus esset, qui tali sunt Apostolo digni, & haberent labra suas lactucas.* Agimus gratias, Luthere, pro hac tua liberalitate. Tu res tuas tibi habeto; conditione tua non vtimur. Alij sunt ab eruditione, & eloquentia longe instructiores, qui scholarū nostrarum Cathedras tenent, quam sit aut ille cuius tu dicendi genus adspernaris, aut etiam tuus Philippus. *Luth. Tom. 2. Lat. VViteb. Epist. ad Amsdorph.*

Alibi de eodem Erasmo Lutherus. *Erasmi libri valde sunt venenati, post mortem meam interdicam meis liberis, ne legant eius colloquia; quia in illis loquitur & docet multa impia sub peregrinis & fictitiis nominibus & personis, vt ex proposito oppugnet Ecclesiam & fidem Christianam.* *Luth in Serm. sympo siac tit. de SchVVermeris.*

Scalig. Orat. contra Cicer. Erasmi.

De eodem Iulius Scaliger. *Humani generis odio flagrare videris, qui præter te vnum probes nihil. Num Prophyrium (te vocabo?) at noti sunt sanctissimis collegiis tui commentarij, quorum impietatem omnibus suffragiis damnarunt; quorum labes, vt expurgaretur, mediis Lutetiæ foris, suggerente etiam populo ignem, publicè concremarunt.*

CAPVT XI.

Scriptores impuros meritò expurgari, nec nisi ab obscœnitate emaculatos Iuuentuti concedi aut prælegi debere; cum refutatione calumniarum, quas nuper Hæreticus quidam Grammatista in huiusmodi morem effutiuit.

IVuentutem à lectione lasciuorum poëtarum meritò arceri; ipsosq; poëtas, doctos alioquin & elegantes ab impudicitiæ sordibus laudabiliter expurgari; omni argumentorum genere demonstratum est lib. 3. de iure prohibendi libros noxios cap. 26. & 27. Interea incidi in nouum quendam Poëtæ Iuuenalis Interpretem, eumq; hæreticum Lutheranum, (nisi mauult audire Caluinianus) qui pro Iuuenale Apologiam instituens, multis cōuiciis debacchatur in illos, qui adolescentes dehortantur, ne lasciua Iuuenalis Poëmata attingant; quique ex Poëtis turpia exsecant; vt sine pudicitiæ & honestatis detrimento ab ætate in vitium plusquam cerea, euolui queant. Adeo autem inconsideratè & inconstanter caussam hanc agit; vt manifestè appareat, scribentis

manui & calamo rectorem non fuisse animum cautum & circumspectum, sed furorem improuidum, & vix quæ ante pedes obuersantur, intueri consuetum.

Miratur, Iuuenalem non explicari; aut certè rarius explicari in Academiis. Rationes adfert duas: *obscuritatem* & *obscœnitatem*. Prætereo obscuritatem: Quod attinet ad obscœnitatem; ea profectò tanta in Iuuenale inest; vt rei euidentia ipsimet hæretico Confessionem veritatis non semel expresserit: Non enim itinficias, *obscæniora quædam & castis auribus indigna* in Iuuenale contineri; præsertim in Satyra sexta: *quæ multis*, inquit, *in locis tam tetris obscænitatibus deformata est; vt vir bonus & honestus illam vix legere, nedum publicè explicare, salua fronte ac pudore possit.* Quod si ita est; vt reuera esse intelliget, quicunque satyram illam vel obiter inspicere volet; cur igitur insectatur illos; qui adolescentes ab impuro Iuuenale arcent? Si vir *bonus* & *honestus* obscœnitates illas vix euoluere potest; *Salua fronte & pudore*, vt ais; multo minus id poterit feruentior & calidior ætas, cui genua vigent; & melior sanguis dat meliores vires.

Rursus si obscœnitates illæ adeo omnem honestatis normam transcendunt; iure igitur abolentur & obliterantur; ne vel vestigium illarum supersit. Cui enim bono tanta obscœnitas; à qua vir bonus & honestus exitium sibi metuere debeat? Cui fini salua sit talis turpitudo? An vt alios perdat, & à salute deiiciat?

Quid, quod ipsemet immani turpitudine versus cuiusdam ex Satyra sexta offensus; negat illum in antiquis exemplaribus reperiri; idque testimonio Probi probat, qui iam olim commentarios in Iuuenalem

edidit: Et Satyra IX. adiicit iste hæc verba ad versus quosdam nimium Fescenninos. *Propter insignem turpitudinem hi versus explicari neq; possunt, neq; debent; & aliis quibusdam videtur illos non esse Iuuenalis, sed ab alio quodam impuro nebulone insertos.* Si tam nefarij sunt; meritissimò igitur reciduntur, & à castis oculis remouentur, ne virus suum legentibus afflent & inspirent. Nam quod addit de intrusione horum versuum; id optarem esse verum; sed qui Iuuenalis os nouit; simulque ea, quæ tam in sexta, quam in Nona Satyra canit; considerat; haud facilè induci poterit, vt Lubino assentiatur; credatq;, versus illos ex alia; quam ex Iuuenalis officina processisse.

Vt autem videas, lector, quam Sectarius sibi suis in dictis constet & concinat; placet consensionis illius aliquot specimina proferre. Primum enim laudat & approbat iudicium Scaligeri; qui censuit virum bonum à toto Iuuenalis opere auocari posse propter obscœnitatem: *Nec absurdè doctissimus ille Scaliger Pater ob talem obscœnitatem (quamuis illa rara in Iuuenale) à toto opere pudicis abstinendum censet.* Cur ergo tu toto tuo Apologetico, imò toto commentario, nihil prope aliud agis, quam vt omnes ad sedulam Iuuenalis lectionem incites? Si Scaliger non absurdè pudicos ab hoc poëta abstinere iussit; vt tu ipse confiteris; sequitur te non nisi absurdè omnes exstimulare; vt se huic poëtæ euoluendo studiosè dedant. An fortè Scaliger pudicos absterruit; tu solos impudicos ad tam bellas tuì poëtæ epulas inuitas? Quas si non in Helicone, sed sub fornice structas & apparatas dixeris; verum dixeris.

Lub. in Sat. 9.

Quod autem ait: *obscœnitatem in Iuuenale esse raram,* id falsum esse docet Satyra sexta & nona; tametsi enim

in toto Iuuenale nihil præterea turpitudinis occurreret; an non plusquam satis esset; quod his duabus Satyris non leuiter inspersum; sed pleniſſima manu infersum est?

II. Ait Lubinus *Satyram sextam ab honesto & bono viro vix posse legi, nedum publicè explicari, salua fronte & pudore.* Sed hinc alterum horum necessariò colligitur: aut Lubinum aliud loqui, aliudque agere; aut virum bonum, & honestum non esse. Quia satyram illam sextam non modò accuratiſſimè legit; sed & prolixiſſimo commentario publicè explicauit; nequitiamq; Iuuenalis multis in locis obscuram & abditam; nec intellectu facilem clara in luce posuit, & quidem verbis turpiſſimis, & ex medio lupanari petitis; *nudum olido stans fornice mancipium quibus abstinet.* Quid in schola fecerit, nescio. Sed si coniecturam facere licet; suspicor illum ea impudentia satyram sextam intra parietes scholę explicasse; qua eandem explicauit audiente & inspectante toto litteratorum consessu. Vix enim arbitror modestiorem fuisse apud paucos, quam modò sit apud plurimos.

III. Versus quosdam impuriſſimos ex Satyra IX. dicit Interpres, *nec posse, nec deberi explicari propter insignem turpitudinem.* Et tamen illo ipso loco, vbi Lubinus hoc scribit; explicat turpiſſimos illos versus explicatione digna eiusmodi versibus; hoc est, turpiſſima, & sordidiſſima.

IV. Ibidem hæc habet Lubinus. *Reprehendendus profectò Iuuenalis, quod hæc enormia tam apertè exprimat; & quasi ob oculos ponat.* Et tamen in Apologetico pro excusatione Iuuenalis ait commentator iste: *de scelerum illorum prodigiis ac portentis honestius neminem loqui potuisse; scapham enim, vt est in prouerbio, scapham dicendam esse.*
Cur

Cur ergo reprehendis Iuuenalem, si *scapha* est dicẽda *scapha*? An non sat nudis & latinis verbis *scapham* nominauit *scapham*; *ligonemq́ ligonem*?

Lub. in Sat. 2. V. Non vult Lubinus videri doctor turpitudinis. *Fœdißima aliquot vocabula*, inquit, paucis, *non vt turpia te doceam, sed vt poëtam scilicet intelligas, exponam.* Sed quæso te, quid est docere turpia nisi vim, sensum & sententiam turpium explanare & elucidare? Quid est docere leges, nisi animo auditoris vim verbis legum subiectam patefacere? Quam ridiculus igitur esset; si quis legum Professor diceret: Vsitatissima aliquot vocabula legum paucis exponam; non vt te leges doceam; sed vt pandectas scilicet intelligas: tam ridiculus est commentator noster, cum ait se *fœdißima quadam vocabula*, exponere velle; non vt te doceat turpia; sed vt poëtam scilicet intelligas. Vbi nescio an illud *scilicet* ironiæ gratia interiecerit, vt communi loquentium consuetudine sæpius fieri solet. Vt vt sit; quæro ex isto, quonam discrimine distent exponere & docere turpia? An non docet qui exponit? An Euclidem non docet, qui Euclidem interpretatur? *Non iubeo*, inquis, *patrare turpia.* Quasi verò hoc solum sit docere turpia. Nimis impudens talis doctor esset. Subtiliorem & specie paulò honestiorem turpia docendi rationem init pudicitiæ, omnisque virtutis hostis Diabolus: satis illi est, quod turpia tegumentis nonnullis inuoluta euoluuntur, & in omnium conspectu collocantur: neque enim ignarus est; qua vi polleat turpitudo voluptatis amictu vestita; si menti ad corporis oblectamẽta tam propensæ absq; vllo velo proponatur.

Si quis chartis suis hæretica & blasphema in Deum mandet,

mandet, eaq; verbis nudis & disertis lectori explanet; an ideo blasphemiæ & hereseos doctor non erit, quia apertè non jubet, vt hæresin amplectatur, aut linguam seu calamum in blasphemias resoluat? Iussio, si nescis, duplex est; Expressa nimirum & tacita. Vt expressè turpia agere non jubeas; at jubes tacitè, hoc ipso, quod *fœdissima* illis exponis, quos aut malitia, aut ardor ætatis ad fœda quæq; non modò trahit, sed & rapit. Etiam exempla docent, quanto magis verba? Scis quid Iuuenalis tuus dicat, *de voce blanda & nequam?* quàm excitet & incitet? Istę voces non sunt aliæ, quàm tuæ & tui Iuuenalis.

VI. Illud Iuuenalis præceptum Sat. XIV.

Nil dictu fœdum, visuq; hæc limina tangat
Intra quæ puer est.

Vocat iste sanctissimum & diuinum præceptum, omnibus cubiculis & conclauibus inscribendum, ne teneros puerorum animos, & castas aures aliquo scandalo verbi vel operis offendamus. Ostendit quanta verecundia & reuerentia pueris debeatur: quod vbi pueri sint, ab omnibus fœdis dictis & factis sit abstinendum. Si hoc sanctissimum præceptũ est ac diuinum; cur illud non obseruas? Cur in eodem Commentario quo hoc præceptum meritis laudibus extollis; illud opere ipso toties violas? nisi fortè spurcitiæ illæ, quas Satyrâ secundâ, sextâ, nonâ, & alibi in medium adducis, non sunt in dictu visuque fœdis numerandæ, tuo judicio. Si præceptum hoc Iuuenalis *omnibus cubiculis & conclauibus inscribendum est*; vt tu ipse mones; væ tuo commentario, in quo tam multa visu, dictuq; adeò nefaria. Recipi profectò non poterit in conclaue, cui præceptum illud Iuuenalis inscriptũ fuerit: quin ipsi quoq; Iuuenali foris emanendum erit: & quidem ex lege, quam ipse sibi dixit.

VII. In Apologetico ait Lubinus, Satyram sextam

 persequi

perſequi *inaudita veneficia, & innumera alia ſcelerum portenta & flagitiorum prodigia, quæ honeſtè nominari non poſſunt, inhoneſtiſſima*: Et tamen iſte contra hanc ſuam propriam ſententiam, ruptis vniuerſæ honeſtatis repagulis, non modò nominat inhoneſtiſſima illa flagitiorum prodigia, ſed & explicat. *Fœdiſſima*, inquit, *vocabula, paucis exponam.* Vbi, obſecro, manet illud apud Caceuãgelicum, vel maximè memoria tenendum? *Fornicatio autem & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, ſicut decet Sanctos, aut turpitudo, aut ſtultiloquium, &c.* Hæc turpia Apoſtolus ne nominari quidem vult; at Lubino fœdiſſima quoque vocabula explicare, & quod *Poeta* tectè dixit; hoc ſine vllo verborum inuolucro efferre lubet. Forſan & ſibi dictum nouit, quod mimis & hiſtrionibus olim, ſolenni formula, mandatum fuiſſe teſtatur S. Chryſoſtomus: *Sis mimus & nihil pudeſias*,

Eph. 4.

S. Chry. in ca. 4. ad Epheſ.

VIII. Grauiter inuehitur Lubinus in illos, quibus maxima pars vitæ elabitur malè agentibus, magna nihil agentibus: tota aliud agentibus. quod de Poetis & Criticis noſtri æui verè affirmari poſſe dicit. *Vt enim omnium rerum, ſic litterarum quoque intemperantia laborant*, inquit. *Et plerique, ne nihil agant, mala aut ſuperuacanea tractare malunt: Et toto vitæ tempore diſputant, dicendumne ſit Vergilius an Virgilius, Carthaginenſes an Carthaginienſes, intellego an intelligo. Et ſi quod otium ab huiuſmodi affaniis ſupereſt, Epigramma aliquod componunt in emergentem aut præpoſteram Venerem, in laudem Cupidinis, in elogium Bacchi, id eſt, ſuorum vitiorum ac turpitudinis, & ipſius adeò Satanæ, vnde hæc omnia Encomia inſtituunt.* Hæc in alios Lubinus oblitus ſui, qui fœdiſſima quæque in Iuuenale non modò clarius & expreſſius, ſed ſæpè multò fœdius, quàm

ipse Iuuenalis explicat, & vt gloriatur, *Poetam hunc ex obscuro facillimum, & quantum potest, ex grypho scirpum reddit*: ita, vt impuritas, quæ antea vel sub antiquitatis, vel obscuritatis tegmine recondita & ignota delitescebat; nunc omnium oculis exposita sit nuda prorsus & aperta. Imò publicè profitetur iste sui muneris esse, *vt obscœna & castis auribus indigna, pari fide, parique luce, qua reliqua omnia explicet ac illustret, ne quid obscuritatis scilicet, quod Lectorem vllo modo remorari possit* (à nequitia) *relinquat*.

Quæso quis tempus & otium infructuosius conterit? Illéne, *qui Vergilius* an *Virgilius*; *suboles* an *soboles* dicendum sit, Criticorum more, disquirit; an illi, qui omnia Vela turpitudinis, & quidem extremæ pandit? Quid aliud hic dicam, præter illud Iuuenalis?

Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?
Quis cœlum terris non misceat, & mare cœlo;
Si fur displiceat Verri, Homicida Miloni?
Clodius accuset mœchos, Catilina Cethegos?

Careat vitio necesse est, inquit Lubinus, *qui alterius vitia carpere studeat*: Et quod Iuuenalis monet:

Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus.

Alioquin aduolabit etiam Flaccus, & hoc occinet:

Tu cum sis, quod ego, & fortaßis nequior, vltro
Insectere velut melior, verbisq; decoris
Obuoluens vitium. Quid si me stultior ipse?

Addo ego per parodiam:

Quid si me turpior ipse?

Verum Cacodamonis techna, vt vbiq; ita hic etiam non obscura, qui talia ingenia vel omninò ad mala deducit; & in om- Verb. Lubb.

nis generis hæreses & errores præcipitat, vel ſaltem in huiuſmodi ineptiis, (& fœditatibus) *per totum vitæ tempus detinet, quibus nec ſibi nec aliis proſunt.*

IX. Exagitat Lubinus Poetas noſtri temporis, quod diuina poëſeos arte malint abuti, quàm vti. *Quotus quiſque inuenitur,* inquit, *qui ſuos amores, delicias, libidinem, voluptates, iram, odium, inuidiam, & alios prauos affectus, omnibus ingenii viribus adhibitis carmine & verſibus non celebrare malit, quàm illum, cuius cauſſa in mundum introductus, & ratione ac oratione donatus eſt?* Hic iterum ſui oblitus eſt Lubinus. Nam ſi ſuos amores voluptatesq; & delicias carminibus decantare non licet; vt reuera non licet; vtiq; nec alienos amores, & facta prorſus nefanda, fœdiſſima & turpiſſima, Commentariis illuſtrare, & in lucem protrahere licebit. At hoc poſterius impudenter facit Lubinus: Teſtis Satyra ſexta & nona Iuuenalis. Imo teſtis totus eius in Iuuenalem Commentarius. Videat igitur quàm conſtanter agat, dum alios aſperè accuſat; ſibi autem illud ipſum, ſi non plus indulgentiſſimè concedit. Mihi, vt quod ſentio, liberè promam;

Vltra Sauromatas fugere hinc libet, & glacialem
Oceanum, quoties aliquid de moribus audet

Lubinus, inter Commentatores turpes turpiſſimus.

X. Cum Satyra nona nouus hic interpres perueniſſet ad nefanda prorſus, nulliſq; pudicis oculis adſpicienda carmina, hæc annotauit. Meritò hic exclamârim:

Eſte procul caſti, procul ô procul eſte pudici.

Vos inprimis Germani mei, quibus hoc, quod hic exprimitur, horrendum, exſecrandum & deteſtabile ſcelus, non ſolùm inuſitatum, ſed Deo optimo maximo ſit gratia etiam incognitum, Si vis, vt Germani ab hoc tam periculoſo loco abſiſtant; cur Germanos, imò omnes cuiuſcunq; nationis adeò ſollicitè

excitas,& tanto verborum ſtrepitu in tua Apologia inſtigas, vt Iuuenalem nocturna diurnaq; manu verſent? Cur mentiris,(ſcapham voco ſcapham) *in quibuſdam Iuuenalis Satyris plus doctrinæ, plus præceptorum ad vitam & mores emendandos contineri, quam in integris decem Ariſtotelis ad Nicomachum filium libris?*

Quod Germanis ſcelus illud ais eſſe incognitum, opto,vt ita ſit. Sed vereor, ne tu & tui ſimiles commentatores flagitium incognitum cognitiſſimum reddatis: ſi huiuſmodi commentariis Germaniam implere non deſinatis. Si ſeriò optas, vt talia ignota ſint tuis Germanis, cur debaccharis in illos, qui Iuuenalem, aliosq; Vates ab huiuſmodi ſordibus expurgant? Verum ſat ſpeciminũ inconſtantiæ Lubinianæ in ſcribendo & agendo protulimus.

Tempus jam eſt, vt expendamus rationes, quibus Lubinus ſuam commentandi turpitudinem comere nititur, & quanam de cauſſa tam furioſè incurrat in illos, qui laſciuos Scriptores amputata obſcœnitate caſtigant. Prima cauſſa eſt, vt Poëta intelligatur. Eandem reddit cum turpia quædam *Perſii* Sat. 4. turpiſſimo commentario explicat. *Hæc obſcœniora,* inquit, *explicanda tamen, nõ vt Romanorum infanda ſcelera vel diſcamus, vel doceamus; ſed vt Poetam intelligamus.* Si non vis diſci, cur explicas? Si vis diſci Poetam, ergò & hæc; quia ſunt Poetæ, quem explanandum ſuſcepiſti, pars. Profeſſio certè tua facto tuo ex diametro opponitur. *Hæc ſunt fœda* inquis, *& turpiſſima in hominem fœdum, quæ non niſi curioſi legant.* Atqui longè rectius feciſſes, ſi ne curioſis quidem tam infamem commentarium lectitandum propoſuiſſes; quorum cũ maxima ſit multitudo, præſertim inter adoleſcentes, fieri non poteſt, quin tanta obſcœnitas aliquorum mores

inficiat atq; deprauet. Sed satis de hoc iam supra.

Ad caussas accedamus. turpia explicas; vt turpes poëtę Iuuenalis & Persius intelligantur. Respondebo tibi, non meis, sed tuis verbis: *An non satius erat supervacanea hæc* (addo ego turpia, &, vt cum S. Augustino loquar, *Fugalia pudoris & honestatis*) *transisse, quæ nec scire iuuat, nec prodest, quæ siue contineas, nihil tacitam conscientiam iuuant, siue proferas; non doctior videbere, sed molestior;* (& obscœnior) *quæ dediscenda erant, si scires.* Rides omnia illa, *in quibus nostri temporis Critici ætatem terunt; vt est syllabarum enarratio, verborum diligentia; versuum lex & modificatio; item quærere, maior ætate fuerit Homerus an Hesiodus: Hecuba maior fuerit an Helena; & quare tam malè ætatem tulerit: item in notissimo illo Iuuenalis versu:*

S. Aug. lib. 2. de ciuit. Dei cap. 6.

Verb. Lub. ex Orat. de poet.

Qui Lacedæmonium pitysmate lubricat orbem:

Sitne legendũ pitysmate, an pitylismate, an pedemate, & quæcunq; his sunt similia. Hæc tu de aliis.

At fortè tibi occinent alij illud tui Iuuenalis.

Vnde tibi frontem libertatemq; parentis
Cum facias peiora senex, vacuumq; cerebro
Iam pridem caput hoc ventosa cucurbita quærat?

Addent alij quibus pietas & pudicitia cordi; tua non risu; sed fletu esse digna; quid enim ex his, quæ tu in Iuuenalem & Persium commentaris, *metum demit, cupiditatem eximit, libidinem refrenat; ad virtutem viam sternit?* Imò quid cupiditatem non excitat? quid libidinem non inflammat? Quid ad virtutem viam non obsepit? *Quid quod pleraq; ex his aut ficta sunt,* (adde impudica & flagitiosa) *aut mendacij similia. Et quæ vera aliquis deprehendat, cuius ista errores imminuent, cuius cupiditates prement; quem fortiorem, quem iustiorem, quem liberaliorem* (quem castiorem & puriorem,) *facient?*

Verba Lub.

Sanè

Sanè nihil in his (impudicis commentatiis) *inuenies, quod vetes timere; vetet cupere. Atq; adeo tantum abest, vt hæc possessorem meliorem reddant, vt sæpe etiam eundem perdant & corrumpant.* Ah nimis sæpe, ô Lubine; non quidem illa Criticorum innoxia ζητήματα, *quem remigum numerum Vlysses habuerit: Prior scripta sit Ilias an Odyssea; eiusdemne sint auctoris: De Patria Homeri; de Ænea matre veras;* & id genus alia; sed tua tuique similium Interpretum commentaria, propè dixeram Cynica; omnisque frontis expertia. *Doce me quid sit pudicitia, & quantum in ea boni. Quisquis hæc ignorat, alia frustra didicit;* præsertim illa, quæ Lubinus suis in commentariis ad Iuuenalem Persiumq; tradit.

Tu verò bona & salutaria tantum disce, & illa non scholæ, sed tibi disce, omnia ad mores & sedandam rabiem affectuũ referens: ad quam compescendam & intra honestates limites coërcendam tam apti sunt commentarij Lubini in satyram secundam, sextam, & nonam Iuuenalis, & in quartam *Persij*; quam aptum est oleum aut stupa ad exstinguendam flammam. *Optimum autem est, vt omnia nostra facta, dicta, scripta, cogitata, & omnia studia denique, ad* DEI *gloriam, & hominum, atque adeò nostri salutem referamus:* Quod certè non fit; si fœdissima quæque vocabula, dicta & facta poëtarum, eorumq; quos poëtæ lasciuissimis versibus insectantur; crimina & flagitia non iam tectè & inuolutè; sed apertè & absque vllo integumento lectoribus proponantur & exponantur. Cui tandem, dic, obsecro, bono? Tuone an adolescentum? Quos hæc talia nescire; quàm est optabile: Quam docta & appetenda est hæc

igno-

ignorantia? Quasi verò eruditio in eo sit posita, vt noueris, quid nequissimi, & omni libidinum genere contaminatissimi suis in latibulis & gurgustiis agere soleant.

Quanto præclarius Casaubonus omnibus Lubinis longè eruditior, qui cum apud Theocritum in obscœnum quendam locum incidisset, hæc adiecit. *Quem vt explicem, operæ non est pretium. Atque vtinam sinerent nos eruditissimi viri, multa id genus in Plauto ignorare, nec tantum se in eorum expositione torquerent.* Vbi non immeritò perstringit illos, qui summo conatu omnes turpitudines Plauti in apricum, vt sic loquar, ex tenebris educere certant, quos importuno suo studio non rarò eò vsq; progredi videmus, vt obscœnitatem somnient, vbi nulla prorsus reperitur, Plautoq; turpitudinem affingant, quam ipsi in suo cerebro gestant.

Casaub. lect. Theocr.

Rectè itidem Iosephus Scaliger, qui in Catullum, Tibullum & Propertium emendationes & scholia euulgans, publicè protestatur, se nihil quod castas aures offēdat, & turpitudinem redoleat, in medium allaturum. Videturq;, si me non fallit memoria, dictis mansisse, & promissa fecisse. Sed ipsius Scaligeri verba accipe, qui gloriosè, vt solet, operam tribus Romanæ Poëtices luminibus impensam prædicans, ait, *se vix vllum locum animaduersione dignum prætermisisse, præterquam si quæ sunt, quæ castæ aures ferre non possunt. Ea enim attingere, neque partes meæ sūt,* inquit, *neq, alius cuiuspiam, qui aliquem saltem pudorem habet. In istis commentatiunculis nostris ne verbulū quidem exstat, quod me præteriisse melius fuerit, quàm scripsisse. Vellē equidem ipsi veteres pudoris aliquam rationem habuissent, neque tot infamibus scriptis hominibus sese traduxissent.* Hæc Scaliger. Cuius vestigia, vt in aliis, ita & in hac à turpibus abstinentia imitari debebat Lubinus: Sed Lubentia aliud suasit. Satis de prima caussa. Alteram excutiamus.

Iuue-

Iuuenalis, inquit iste, non probat, laudatué flagitia, sed *ea lacessit, inuadit, flagellat, secat, vrit, lancinat, jugulat.* nec scelera commendat, *sed omni turpitudine detecta & reuelata flagellat, idq; tanta animi vehementia, vt nemo vitiorum turpitudinem exhorrere & detestari non possit.* Respondeo, etiam is, qui mala monstrat, docet, præcipuè, si id sordido & cynico, ipsisq; flagitiis pari dicendi genere faciat, vt facit Iuuenalis, & crassius adhuc commentator eius Lubinus. Multa sunt, quæ longè satius est perpetuo silẽtio obruere, quam speciatim reprehendere: ne si postea pronus ad scelera, in reprehensionem illam incidat, non tam absterreatur nuda, libera, & cynica reprehensione, quàm ad simile quid tentandum ab insita cupiditate inuitetur & accendatur. Quocirca qui ore & stylo tam procaci petulantissima quæq; facta litteris mandant; illi non tam dehortatores, quàm hortatores ad luxuriam existimandi sunt: quidquid demùm sui purgandi gratia, contrà garriant.

Adscribam hîc verissimam, & ima mente condendam Iulii Scaligeri orationem, qui præcepta de Satyra conscribenda tradens; *alterum,* inquit, *est, vt ne, dum vitia insectamur, eas ponamus voces, è quibus, qui legunt, euadant deteriores: nam sanè fœditates nemo bonus nominare debet, nedum vt litteris mandet: Quid enim cogitet adolescens, qui certarum ignarus obscœnitatum, audiat verba, aut vocabula tam nefanda? quàm monstroso sunt ingenio ii, qui ea scriptis suis audent inserere! Malo igitur non reprehendere vitia detestanda, quàm in execranda oratione mereri reprehensionem. Si quis igitur aliena peccata insectetur, ea modestia vtatur, ne suum librum efficiat eo nequiorem, de quo verba facit. Quid enim tetrius quibusdam versibus Iuuenalis, propter quorum insolentiam vel jusserim, vel optarim toto opere abstinere virum bonum.* Hæc præclarè Scaliger,

liger, quæ à Lubino minimè prætereita oportuit, cum videri velit, quasi Scaligeri de Iuuenale iudicium maximi faciat.

Tertia Lubini ratio est; quod Iuuenalis castis & pudicis non noceat: *nisi quis*, inquit, *malum animum, malos mores iam antè huc adferat, neutiquam hinc auferet.* Falsum erit ergo illud non iam Menādricum; sed Apostolicum: *corrũpũt bonos mores colloquia praua.* Dicere enim licebit cũ Lubino: nisi quis malum animum, malosq; mores ad prauas confabulationes adferat; nequaquam hinc auferet; nisi fortè neget, fœdissima illa, quæ tam Iuuenalis, quam ipse in chartas retulit, esse *praua colloquia*; quibus certè nihil prauius & deterius fingi potest; vt ipse etiã *Lubinus* nonnunquam rubore suffusus fuerit, tametsi fronte valde dura & propemodum ferrea præditus.

Deinde, si hæc talia ex cycno coruum non faciunt; hoc est, si pudicum in impudicum; continentem & modestum; in intẽperantẽ luxuriosumq; non transformant; cur ipse Iiuenalis adeò seuerè præcipit; ne quid dictu aut visu fœdum ea limina tangat; *intra quæ puer est?* Cur tanta vehementia mordaces versus in illos vibrat; qui lasciua spectacula in symposia inducunt, nisi quia videbat, etiam sanctissimos mores tanta leuitate & procacitate dissolui & expugnari posse. Opponat se bonus iste commentator suo Vati; suumque illud oggerat. *Talia non obesse pudicis; bonos mores si quis ad hæc adferat; neutiquam malos ablaturum.* Quasi tritum illud ex sacris litteris iam exoleuerit: *cum sancto sanctus eris: & cum peruerso peruerteris.* (*Sat. XI.*)

Quam grauiter; quam copiosè; quam acriter insectantur antiqui Doctores; vt Tertullianus, Arnobius, *S.* Augustinus, Saluianus & alij; illos, qui ludos sceni-

eos olim frequentabant; idq; potissimum propter turpitudinem, quæ spectaculis illis admiscebatur, quod eam intueri per se cum indecens, tum etiam periculosum esset, nequid spectatoribus affricaret. Verum noster Lubinus hanc veterum disputationem paucis disiiciet; obiiciet enim talia castis non obesse, & eum qui bonos mores ad theatrum adferat; non ablaturum malos. Quod tam verè dicit; quam verum est; vel vnam morbidam pecudem, non inficere plures, aut etiam vniuersum gregem. *Dabit hanc contagio labem, & dabit in plures, sicut grex totus in agris vnius scabie cadit & porrigine porci. Vuaque conspecta liuorem ducit ab vua.* Ergo *ille fruatur vocibus obscœnis omniqúe libidinis arte: Qui Lacedæmonium pytismate lubricat orbem:* hoc est, Lubinus, & similes Interpretes, flagitiosos poëtas flagitiosè explanantes. *Nostra dabunt alios hodie conuiuia ludos, conditor Iliados cantabitur atque Maronis Altisoni dubiam facientia carmina palmam.* Castos poëtas castosq; Interpretes versabit pudicitiæ amans adolescens; & ab aliis, tanquam à Sirenum scopulis, resiliet. Iuuen. Sat. 2.

Quotus enim quisque est, qui si semel pedem inferat, in hac flagitiosa pice non hæreat, aut opere, affectu & desiderio, aut simili retinaculo illigatus. *Forsitan hæc spernant Iuuenes quibus arte benigna è meliore luto finxit præcordia Titan.* Quantula autem horum portio? *Nam reliquos fugienda Patrum* (dicerem Vatum, si lex carminis fineret) *vestigia ducunt. Et monstrata diu veteris trahit orbita culpæ. Abstineas igitur damnis:* lasciuisq; commentariis. *Huiusce etenim vel vna potens ratio est, ne crimina nostra* (poëtarum) *sequantur ex nobis geniti, & discipuli.*

Hactenus Lubinus noster solummodo lusit; vel potius ad futuram pugnam prolusit. Nunc maius opus mouet: maior illi rerum ordo nascitur. Arma, arma fremit;

Spumantemq́, dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fuluum descendere monte leonem.

Iesuitas in certamina vocat; totus furiosus, *velut enthea Dæmone Mænas.* Ex quo jure sciscitcris. *Dic qua Tisiphone, quibus exagitere colubris?* O *Medici mediam pertundite venam.*

Audiamus tamen insanientis clamores insanos. *Satis demirari nequeo illos, qui paucula ob obscæniora, Poetam vnà cum Interpretibus, per se staret, mundo & rebus humanis exulare juberent.* En quanta μείωσις. *paucula ob obscæniora*: quasi Satyra sexta non sit refertissima omni obscœnitatis specie, vt de aliis sileam. Et tamen huic, cui nihil obscœnitatis sufficere videtur, hæc obscœnitatis abundantia nihil aliud est, quàm *paucitas*: quem mirarer, si non demiraretur illos, qui obscœnitatem exstinctam cupiunt. Agit & hæresi & inclinationi hæreticæ consentanea. Obscœna enim Hæresis, qualis Lutherana, ex obscœno parente Luthero, & obscœna genitrice Borrha proseminata nō potest non cultorum suorum præcordia ad obscœnitatem defendendam inclinare. Pascitur grandior natu iisdem epulis, quibus tenera ætate à parentibus quis pastus est:

Serpente ciconia pullos
Nutrit, & inuenta per deuia rura lacerta.
Illi eadem sumptis quærunt animalia pennis.
Vultur jumento, & canibus crucibusq́, relictis
Ad fœtus properat, partemq́, cadaueris adfert.
Hic est ergò cibus magni quoq́, vulturis, & se

Pascen-

Pascentis, propria cum jam facit arbore nidos.
Sed leporem aut capream famulæ Iouis, & generosæ
In saltu venantur aues, tunc præda cubili
Ponitur. inde autem cum se matura leuabit
Progenies, stimulante fame, festinat ad illam,
Quam primam rupto prædam gustauerat ouo.

Ergò cum isti vnà cum lacte Euangelii sui obscœnitatem suxerint, insolitum non est, si reliquo vitæ decursu eandem obscœnitatem diligant, sectentur, vtq; vigeat & superet, ardentibus votis exoptent.

Quid verò à ratione alienum agunt, qui obscœnitatem perditum eunt, vt suus virtuti stet honos, honestoq; sua gloria incolumis perseueret? Nam quod ait; *Nos ipsum Poetam, interpretesq; eius radicitus exstirpatos percupere;* id vanitati Lubinianæ cum cæteris condonandum existimo. Turpitudinem ex adolescentiæ manibus excutere studemus & ense etiam recidere, ne *pars sincera trahatur:* Si quid Poetæ, eorumque interpretes continent, quod morum innocentiæ non aduersetur; id studiosæ juuentuti nô inuidemus: imò libentissimè, & liberalissimè impertimus; vtq; tales auctores omnium manibus terantur, sedulò laboramus. Quanquam si de tuo Commentario sententiam meam quis exquireret; fortassis nullo scelere me obstringerem, si affirmarem, eum, præter extremam obscœnitatem, plus loquacitatis, quàm eruditionis habere, verborumque perquàm diuitem; rerum autem planè inopem esse, ac proinde Rempublicā litterariam jacturam exiguam subituram fuisse, licet nūquam in luminis oras venisset, aut postquam venit, ad tenebras, vnde exstitit, remearet.

Cæterum ne sine caussa demirari, vel potius debacchari existimetur, caussas suæ admirationis, & indigna-

tionis nobis perquam grauiter exponit; quas tamen *si non caussas pro caussis* allatas dixeris; rem ipsam dixeris. Vera enim & legitima caussa huius rei est obscœnitatis amor; qui Lubino sub pectore stimulos vertit; nec quietum esse sinit, sed ad omnis generis conuicia in turpitudinis osores largiter euomenda concitat. Prima igitur non caussa, vt caussa est ista: Qui poëtas obscœnos Iuuentuti aut vetant aut purgant; *id non faciunt ex sanctitate; sed ex ficta pietate & hypocrisi.*

II. Ipsimet sunt flagitiosissimi vita & factis.

III. Hinc cum sua vitia in aliis reprehendi molestè ferant; Horatios, Martiales, Catullos, Tibullos, Propertios, Iuuenales, Plautos, Terentios, & alios trũcatos dimidiatosq; mundo obtrudunt.

IV. Quia hoc facit secta Iesuitarum, seu vt Lubino loqui lubet, Iesuvvidarum:

Qua non immanior vlla
Pestis & ira Deum stygio sese extulit Orco.

Per quos staret, iam pridem omnis sanctitas, pietas, fides cum omnibus bonis artibus mundo & rebus mortalium profligata forent.

Dij talem ac tantam terris auertite pestem.

Hæc Lubinus planè Euangelicè: & conuenienter diuinis illis monitis: *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos: vt sitis filij patris vestri, qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* Cui monito Lubinus in hac sua Inuectiua præclarè satisfacit; dum illos, quos ipse sibi hostes aut fingit, aut hæresi sua facit, tam faustis votis prosequitur. Quo euidenter ostendit, cuius sit filius: Si enim *orare pro persecutoribus & calumniatoribus* nota est ac indicium

Matth. 5.

eiũ filij Patris æterni; certè calũniis dirisq́; impetere iño-centes, argumentum erit filij Diaboli; qui ad se nihil pertinere censet illud à cœlesti *Patre* per os D. *Pauli* dictatum: *noli vinci à malo; sed vince in bono malum*: quin potius diuinum hoc pronunciatum inuertens, hanc sibi legem à Tartareo suo Patre acceptam, sanctè custodiendam credit. *Noli vinci à bono, sed vince in malo bonum.* Rom. 12.

Deinde animaduerto, Lubino in intimis visceribus, tanquam viro Euangelij luce mirificè collustrato, hærere illud Domini præceptum: *Nolite iudicare, vt non iudicemini.* Item illud Apostoli. *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Domino enim suo stat, aut cadit.* Audacissimè enim, de illorum vita pronunciat; quos, quia suo & suorum modulo metitur, flagitiosissimè viuere clamat: Et, vt sua crimina magis ob oculos ponat; vocabula fœdissima, ex medio prostibulo hausta, iactat; quæ profectò indicant, istum artium in lupanaribus laudatarum non imperitum artificem esse; qui etiam malè de omnibus suspicando perspicuè demonstrat; quam sanctè ipse viuat; vt de Lubini similibus, propè dixeram, *Draucis*, iam dudum scripsit *S.* Hieronyms: qui, Matth. 7.

Aduerso nomen de nomine Christi
Ducunt, & verè mala gens contraria Christo est.

Hæreticos dico; qui vt verè ait Serapion Episcopus Thmuecos, *pro pellibus ouium nomen Christi induti, se quidem dicunt, quod non sunt. quod autem sunt, dici nolunt: sed suam improbitatem amictu nominis tegunt; qui commune quidem babent nomen; student verò, vt nomen Christi funditus deleant:* qui Serap. lib. contra Manichæos.

con-

contra Iesum militant, & Iesum inuocant. Hæc est difficillima omnium improbitas; nomine Christi appellari, & Christum oppugnare. Etenim quia non potuit peruersitas contra Deum bellum gerere, vsa est nomine, vt vsus nominis opinionem imprudentibus iniiciat, vt quasi Christi familiaris, hic & illic, vt libet, eos, qui in Saluatorem crediderunt, perdat. Hæc verè Serapion de Hæreticis, in quorum castris Lubinus stipendia facit, quorũ præter Serapionem egregiam anatomen instituit Iuuenalis *Sat.* 2. cum ait:

Qui Curios simulant, & Bacchanalia viuunt.

Qui Euangelium in ore, Satanam in corde ferunt. Qui se Euangelicè viuere jactant, cum calumnientur & conuicientur prorsus Diabolicè. *S*ed fremant isti & frendeant, quantum lubet, Societas IESV cum Dauide læta voce canet: *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Si consistant aduersus me castra* (criminatorum & sycophantarum) *non timebit cor meum. Quid timetis inter susurrones, detractores, Deo odibiles?* inquit sanctus Augustinus. *vbi possunt palàm oppugnantes, vbi non possunt occultè insidiantes, falsò laudantes, verè inimicantes. Inter hos, quid timetis? Deus adiutor noster. An æmulantur Deum? Numquid fortiores illo sunt? Deus adiutor noster est, securi estote.*

S. Aug. in psa. 61.

Sed redeo ad Lubinum: Ex quo quæro, quosnam probabilius sit sanctè, castè, & innocenter viuere; illosnè qui quoduis carnis peccatum à votis obstricta persona commissum pro flagitioso sacrilegio habent; digno sempiternis inferorum suppliciis; quiq; certissimò sciunt, quemuis, gratia Dei adiutum (quæ omnibus præsto est) castam vitam agere posse, expertem omnis illicitę & Venereæ labis; An illos, qui hunc Magistrum sequuntur: cuius hæc sunt *E*picurea axiomata.

I. ἄγαμος (sine matrimonio) *viuere volens, planè* ἀδύνατα τηρεῖ, *impoßibilia seruat*, καὶ ὅλως θεομαχεῖ, *penitusq; cum Deo pugnat; in hoc, quod verbo Dei & creaturæ per verbum eius creatæ, & deinceps conseruandæ & exercendæ perperam obnitendo repugnat.* *Luth. Ep. ad VVolffg. Reifsenb. Tom. 2. Epist. f. 275.*

II. *Votum* (castitatis) *contra verbum & opus Dei susceptum, vt impoßibile & impium nullius momenti est. Deus quoq; reprobat illud, non secus, ac si uouissem Dei matrem me velle fieri, aut nouum cælum condere velle.*

III. *Estne dedecorosum vxorem ducere?* (votis obligato, qualis erat Wolffgangus Reissenbusch, Ordinis S. Antonii, ad quem Lutherus scribit) *cur non pari datur dedecori & probro, sumere cibum & potum, cum vtrumq; juxtà facere cogat neceßitas, & Deus vtrunq; ex æquo fieri imperet.*

IV. *Miseranda res est, eò dementiæ ventum esse, cum hominibus pudendum facinus æstimantibus, si quis* (Monachus, Deoque votiuus) *vxorem duxerit; aut si quis ob ductam vxorculam pudore suffunditur, cum nemo miretur homines edentes & bibentes.*

V. *Non video hîc quidquam consultius, quàm clausis animi oculis quantocius ipsum opus adgredi, ad quod à Deo creatos nos esse videmus & sentimus, dum magnis flammis quotidie in carne nostra adurimur.*

VI. *Quemcunq; puduerit connubii* (ineundi seu Monachus fuerit, seu Monialis) *hunc quoq; pudet esse aut dici hominem, aut se meliorem, quàm à Deo creatus est de integro faciat.*

VII. *Castè & integrè viuere tam non est in manu nostra, quàm omnia Dei reliqua miracula, gratia, & opera. Omnes itaq; ad matrimonium, hoc est, ad legitimè procreandos liberos nati sumus, sicut ipsa corporis membra indicant.*

VIII. *Qui se hominem esse agnoscit, & credit hominis appel-*

latione se quoq; comprehendi, ille purgatis auribus audiat, quam Deus omnium rerum conditor super omnem carnem pronunciet sententiam dicendo, nimirum se nolle viuere quenquam ἄγαμον (cælibem) *sed multiplicari.*

IX: *Qui adeo* ἄγαμος ἢ μονόσπορος *manere statuit; ille nomen hominis à se deponat, planum faciens se Angelum esse aut spiritum. Homini enim à Deo nullo modo conceditur.*

X. *Corpus nostrum penè in vniuersum muliebris caro est, nimirum in qua conceptum, auctum, natum, lactatum, fotum & nutritum est. Ita vt super vires nostras sit, ab hac sibi temperare posse, & hoc cogente verbo Dei ita volentis & facientis. Hinc videmus homines alioqui mulieribus parum aptos procreando fœtu, naturali inclinatione nihilominus esse plenissimos: & quo minus instructi sunt* εἰς τὸ παιδοποιεῖν (ad procreationem liberorum) *hoc magis sunt* γυναικόφιλοι *mulierum amatores.*

Hæc & plura huius generis prorsus Cynica Lutherus in Epistola ad VVolffgangum Reissenbuschium, I.V. Doctorem, Præceptorem in *Lichtemberg*, Ordinis D. Antonij; qui cum paulò tardius, quã *Luthero* placeret; vxorem duceret; prædictis argumentis eum ad nuptias impulit. Nec omnia exscripsi; sed quædam duntaxat; & quidem ex vnica Epistola. Si quis enim alia huius notæ ex operibus Lutheri colligere velit; volumen ingens conficiet. Quantus quantus enim Lutherus fuit, nihil aliud quam porcus & Epicurus fuit. Quæro igitur ex quocunq;, cui vel scintilla virtutis superet; quosnam credibilius sit pudicam, sobriam, castamque vitam agere; illosne, qui prædictos Magistri sui aphorismos amplectuntur & exosculantur, an verò illos; qui eos non modò ex Epicuri hara; sed & ex Diaboli officina prodiisse seriò censent priuatimq; & publicè docent.

Vbi

Vbi & illud notandum: Hæreticos inanem mortalibus vendere fumum; quando dicunt; castitatem seruari posse ab illo, qui donũ castitatis habeat; nemo enim ex Lutheri decreto donum hoc habet: nam velle castitatem seruare perinde est, vt Lutherus blasphemat, ac *velle matrem Dei fieri*; aut *nouum cœlum velle condere*: at donum hoc, vt quis *mater Dei fiat*; aut vt *cælum nouum* condat nemini conceditur; ergo nec vt castè viuat, ex sententia impij Lutheri.

Item tam necessarium est; vt quis cum muliere consuescat; quam necessarium est, vt *comedat* & *bibat*: at hoc, via & lege Dei ordinaria, simpliciter necessarium est, ergo & illud. Ex quibus ineluctabili consecutione colligitur inter hæreticos tã paucos castè & impollutè viuere; quam pauci sine cibo & potu viuunt; hoc est, nullos.

Præterea quam necessarium est *hominem esse hominẽ*; tam necessarium est hominem mulieris consortio vti; sed prius illud simpliciter est necessarium; ita vt ne Deus quidem efficere queat, vt homo non sit homo; ergo & alterum ex doctrina Lutheri simpliciter est necessarium. Cogitet igitur Christianus Lector, quã sanctè & integrè Lutherus vixerit vsq; dũ publicè cum sua *Borrha* an *Porna*? scortari cœpit. Cogitet, an non Lutherus se & sui similes nebulones depinxerit: cum hæc ad eundem Reissenbuschium verba effutiuit. *Fit, vt dum student viuere cœlibes & ἄγαμοι, scortatione & carnis intemperantia reddantur plenissimi.*

Totus profectò obstupeo, & vox quodammodo faucibus interclusa hæret; quoties considero repertos esse, & etiam num reperiri tam excordes & amentes; qui huiusmodi porco talia, tam fœda, & flagitiosa,

tam ab omni omnium mortalium consuetudine, praxi & vsu aliena deblateranti fidem habendam censuerint, & hodie etiam censeant. Quo certè quibusuis accuratius de hoc argumento cogitantibus suspectissimos tam se, quàm suos liberos reddunt. Quid enim flagitii, quid labis & maculæ non fluit ex supradicta Lutheri doctrina, si in discipulorum mentes influat, vt quidem influit, non sine mellea dulcedine, tandem in felleam amaritiem desinente.

Quid ego non suspicer de Luthero, omnibusq; Lutheri discipulis & sectatoribus, qui æquis oculis & animis intueri & legere possunt obscœnissimam illam salutationem, quam ad Spalatinum, Apostatam Sacerdotem, misit & perscripsit carnalis Lutherus. *Saluta tuam coniugem suauissimè; verum vt id tum facias, cum in thoro* (ignoscite castæ mentes) *suauissimis amplexibus & osculis Catharinam tenueris, ac sic cogitaueris: en hunc hominem, optimam creaturulam Dei mei, donauit mihi Christus meus, sit illi laus & gloria.*

Luth. Epi. ad Spal. To. 2. Ep. fol. 306.

Quid referam alias salutationes & valedictiones plenas Venere, jocisque Venereis, impuris, impudicis, & petulantibus, quæ passim in Epistolis Lutheri occurrunt, *Ketha mea salutat Ketham tuam. Cathena mea salutat Cathenam tuam. Ketha mea vomit & nauseat, ægrotatq; rursum, sed bona, vt spero, ægritudine, nempe capitis & vertiginis (nescio cuius) quæ te, Elsamq; tuam valdè salutat. Ioannellus meus lætus & robustus est, atq; homo vorax ac bibax. Saluta costam tuam, carnem tuam, vitem tuam, cum vuis suis. Vale cum costa tua, cum Heua tua. Salutat te Heua mea, satis sana & læta, petitque pro se orari, vt saluis liberis tertium fœtum salubriter ferat & pariat. Saluta Elsam tuam cum vuis suis.* Et ad Amsdorffium: *Vale, & pinguem maritum Melchiorem saluta, cui opto* coniu-

Luh. To. 2. Ep. ad M. Agricolam f. 333.

ad Spa. f. 377.

f. 271.

coniugem obsequentem, quæ per diem septies eum capillo circum forum ducat, & per noctem ter benè obtundat verbis connubialibus, vt meretur. Ad Lincum. *Benè vale in Domino;* ich bin an Kethen gebunden/vnd gefangen/vnd liege auff der Bore/ *scilicet mortuus mundo.* Vbi aliud dicens, nequissimè ad nomen & cognomen scorti sui Catharinæ seu Kethæ Borræ alludit. fol.297.

Et quisquam cerebri tam vacuus est, vt hunc scurram ex *Kethis, Elsis, Costis, Euis, vitibus,* vno verbo. *mulieribus*, totum coagmentatum Apostoli, aut Euangelistæ nomine condecoret, aut *organum Dei*, doctrinæq; cœlestis *reparatorem* fuisse credat? Vbi, oro, simile scribendi exemplum in Apostolicis, aut Apostolicorum virorum Epistolis? An Apostolus Paulus scribens ad Timotheũ, Titum, & Philemonem, ad finem literarum subiecit. *Ketha mea salutat Ketham tuam.* Vale cum tua *Elsa*, cum *Costa*, cũ *carne*, cũ *vite & vuis eius. Saluta coniugem tuã, quæ faciat oro pulchra te prole parentẽ.* Num ad hanc Lutheri normã: *Philippo dedit heri Deus Philippulum, qualem & tibi opto det Deus.* Paul⁹ scribẽs ad Timotheũ dixit: *Tito dedit heri De⁹ Titulũ, qualẽ & tibi opto det Deus.* Apage hos fœtores à litteris & pectoribus Apostolicis: nequaq̃ halant talẽ Mephitim; sed spiritũ & castimoniam spirant: non carnem & sanguinẽ. Luth. ad Langum Monach. Apost. f. 293

Nec in Epistolis sancti Pauli valedictionẽ huius Lutheranæ similem, ipse etiam Argus, quamuis totus oculeus, inueniat: *Vale cum tua costa in Domino. Meus Ioannellus te salutat, qui dentionis mense incipit jattare, & jucundis offensionibus quosuis increpare. Ketha quoq; tibi omnia optima imprecatur, maximè Spalatinulum, qui te doceat quod se doctam jactat à suo Iohannello, hoc est, fructum & gaudium coniugii, quibus indignus erat Papa cum suo mundo.* Hæc Lutherus, qui cum doctrinam suam alio sigillo non obsignarit, quam sacri- Luth. Tom. 2. Epist. ad Spal. fol. 322.

 lego

lego, diuinisq; & humanis legibus interdicto cum Moniali connubio, mirũ non est, ex Euangelio tã pulchrè obsignato, nasci filios tam lasciuos, salaces & petulcos.

Quod autem postremũ firmamentũ & robur quinti Euangelij positum sit in incestis illis nuptiis, testatur non semel ipsemet Lutherus: *non duxi*, inquit, *vxorem, vt diu viuerem, sed vt meam doctrinam fortè mox post meam mortem conculcandam iterum proprio exemplo relinquerem confirmatã pro infirmis.* Alibi: *Vera est fama me esse cum Catharina subitò copulatum, &c. Et hoc nouissimum obsequium parenti meo* (homini ex infima plebis fæce) *postulanti nolui denegare spe prolis, simul vt confirmem facto, quæ docui.* En confirmationem Lutherani Euangelij: Hæc paucissima de plurimis ex Luthero in gratiam Lubini proferre volui; vt quia dixit, quæ lubuit; audiat iam, quæ audire non lubet, simulque labes & maculas suas suiq; gregis agnoscat; quas suscipiunt, qui tam carnale Euangelium profitentur.

Luth. Epi. ad Mich. Stifel. To. 2. f. 300.

Epist. ad Ambstorff. To. 2. fo. 295.

Itaq; cum Lubinus, aut similis putidus & impudicus lasciui poëtæ interpres rogat; quare poëtas lasciuos adolescens deuitet, ac ne attingat quidem; idem det responsum, quod olim dedit S. Hieronymus, sciscitanti cur ad eremum pergeret: *Videlicet, vt te non audiam, non videam, vt tuo furore non mouear: vt tua bella non patiar; ne me capiat oculus meretricis, ne forma pulcherrima ad illicitos ducat amplexus. Respondebis: hoc non est pugnare, sed fugere; sta in acie, &c. Fateor imbecillitatem meam: nolo spe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victoriam. Si fugero, gladium deuitaui; si stetero, aut vincendum mihi est, aut cadendum. Quid autem necesse est certa dimittere, aut incerta sectari? Aut scuto aut pedibus mors vitanda est. Tu qui pugnas, & superari potes, & vincere: Ego cum fugero, non vinco in eo, quod fugio, sed ideo fugio, ne vincar. Nulla securitas est vicino serpente dormire; potest*

S. Hier. contra. Vigil.

test fieri, vt me non mordeat, tamen potest fieri, vt aliquando mordeat.

Sed ait Hæreticus. *Castum & pudicum animum ad poëtas lasciuos adferas; & nihil damni referes,* Pulchrè. Quasi nullus pudicus animus impudica lectione euerti queat. Quasi non ea vis insit in petulanti oratione; vt intimos etiam mentis recessus peruadere, & sollicitare ad defectionem possit.

Sirenum voces, & Circes pocula nosti?

Ea sunt lasciua poëtarum poëmata,

Quæ si cum socijs stultus, cupidusq; bibisset

Nimirum Vlysses,

Sub domina meretrice fuisset turpis & excors,

Vixisset canis immundus, vel amica luto sus:

Vt verè canit præstans ille *Lyricus* & *Satyricus*: sed refragante Lubino, ex cuius placito, si Vlysses cum socijs castum animum ad Sirenum voces & pocula Circes attulisset; sine noxa & illas audisset, & hæc hausisset.

Quam multis castimonia & innocentia morum alioquin conspicuis, cum ad turpium scriptorum lectionem accedunt, accidit quod Alypio suo euenisse scribit S. Augustinus; qui cum semel à sodalibus quodammodo inuitus raperetur ad ludorum Circensium spectaculum: *Si corpus meum,* aiebat, *in illum locum trahitis, & ibi constituitis, nunquid & animum & oculos meos in illa spectacula potestis intendere? Adero itaque absens, ac sic & vos & illa superabo. Quibus auditis, illi nihilo secius eum adduxerunt secum, idipsum fortè explorare cupientes, vtrum posset efficere.* *Aug. lib. 6. Confesion. cap. 8.*

Quò vbi ventũ est, & sedibus, quibus potuerũt, locati sũt, feruebãt o͠ia immanissimis voluptatibus. Ille clausis foribus oculorũ, interdixit animo, ne in tanta mala procederet, atq; vtinam & aures obtura-

turauiſſet. Nam quodam pugnæ caſu, cum clamor ingens totius populi vehementer eum pulſaſſet, curioſitate victus, & quaſi paratus quidquid illud eſſet, etiam viſum contemnere & vincere, aperuit oculos, & percuſſus eſt grauiore vulnere in anima, quàm ille in corpore, quem cernere concupiuit, ceciditque miſerabilius, quàm ille, quo cadente factus eſt clamor, qui per eius aures intrauit, & reſerauit eius lumina, vt eſſet qua feriretur & deiiceretur audax adhuc potius, quàm fortis animus, & eò infirmior, quò de ſe præſumpſerat, qui debuit de te. Vt enim vidit illum ſanguinem; immanitatem ſimul ebibit, & non ſe auertit, ſed fixit aſpectum, & hauriebat furias, & neſciebat, & delectabatur ſcelere certaminis, & cruenta voluptate inebriabatur. Et non erat jam ille qui venerat, ſed vnus de turba, ad quam venerat, & verus eorum ſocius, à quibus adductus erat. Quid plura? Spectauit, clamauit, exarſit, abſtulit inde ſecum inſaniam, qua ſtimularetur redire, non tantum cum illis, à quibus prius abſtractus eſt, ſed etiam præ illis & alios trahens,

Si ergò Ludi Circenſes adeò immutare potuerunt Alypii probum, candidum & ſincerum animum; quanto facilius blandimenta illa laſciuientium Poëtarum eundē quamtūuis purum, intactum, & illibatum de recto tramite deiicieēt, cum Poetæ turpitudinem illis verborum lenociniis proponant,

Quibus incendi vel frigidus æuo
Laomedontiades, vel Neſtoris hernia poſſit.

Quod verò, ex intimis procul dubio præcordiis, pro Ieſuitis has preces fundis:

Dii talem ac tantam terris auertite peſtem.

Paulin. Ep. ad Auſon. Id vt ſcias, ne pili quidem ducimus

Cum ſteriles fundas, non ad diuina, precatus
Caſtalidis ſupplex auerſo numine Muſis.
Non his numinibus tibi me patriæq; reuelles

Surda

Surda vocas, & nulla rogas;
Irrita ventosæ rapiunt hæc vota procellæ,
Quæ non missa Deo, vacuis in nubibus hærent,
Nec penetrant superi stellantem Regis in aulam.

Finis primæ partis.






Supplementi

PRO DVOBVS LIBRIS DE IVRE ET MORE PROHIBENDI, EXPVRGANDI ET *abolendi libros Hæreticos & noxios*

PARS ALTERA.



CAPVT I.

Mos hæreticorum euulgandi libros Anonymos aut falso nomine insignitos; ab ipsis hæreticis grauiter reprehensus.



INter cæteras fraudes, quibus hæretici sectæ suæ latius diffundendæ gratia, vtũtur, hæc infima non est; quod sæpe operibus suis vel commentitium, vel planè nullum nomen apponunt; vt lector nominis fictione vel absentia illiciatur in nassam, quam nullo ne-

lo negotio vitasset, si liber verum nomē prætulisset. Luserunt hunc lusum nō semel Caluiniani; nec rarius Lutherani. De Caluinianis testem do Lutheranū Schlusselburgium, qui hisce coloribus Caluinistarū technas nobis depingit. *Sacramentarij, more spiritus tenebrarum, multa scripta, nomine suppresso vel mutato, publicis typis inuulgari curant, vt venenata sua dogmata hac ratione, melle fucata & circumlita, incautis & ignorantibus propinent. Beza anno Domini 1575. homilias duas de negotio sacramentario typis inuulgari curauit, quibus homiliis huiusmodi titulum præfixit. Aduersus sacramentariorum errorem, pro vera Christi præsentia in cœna Domini.* Schlusselb. li. 2. de Theol. Caluinist. a. 7.

Diligenter notetur versutia huius sacramentarij & malitiosi spiritus fraudulentia, quomodo videlicet sub honesto & specioso titulo, ac plausibili inscriptione, hæresin sacramentariam, lectoribus imperitis venditet. Promittit in titulo se aduersus sacramentariorum errorem pro vera CHRISTI *præsentia in cœna Domini disputare, cum tamen ex professo contra veram præsentiam disputet, &c. Nec sub suo, sed sub alieno & fictitio nomine edidit Beza has duas conciones. Appellat enim se Hebraica forma, & mutato nomine Nathanaelem Nesekium. Hoc certè non Prophetarum & Apostolorum, sed tenebricosi spiritus ἦθος & ingenium est, vt nomen alienum assumat. Vult hic Beza esse & haberi pro vero Nathanaele, in quo non sit dolus, cum tamen ex dolis, fraudulentia, & impietate totus sit conflatus. Nomen quoq; loci, vbi impressus est liber, adulterinum & fictitium est: nam Theopolis ista, vbi excusus esse scribitur, non est in rerum natura. Est autem sacramentariis admodum familiare libros edere in publicum, vel sine nomine auctorum, vel iisdem libris fictitia nomina præfigere. Et possent sanè plurima huius rei exempla recitari, &c. Nos pauca nunc addemus.*

Anno 1525. *Cinglius contra Pomeranum, scriptum virulentissimum, sub*
Anno 26. *nomine fictitio Conradi Riß publicari curauit. Leo Iudæ Tigurinus sub adulterino nomine Ludouici Leopoldi contra Lutherum scripsit.*
Anno 29. *Sic ψευδώνυμος quidam contra Lutheri librum, cui titulus de vero & genuino sensu verborum cœnæ, &c. libellum edidit circa 300. argumenta complectentem. Ita quidam sine no-*
Anno 57. *mine librum de Eucharistia sub titulo Diallactici edidit, cum Anonymi Caluinistæ, cui est nomen Quidam præfatione. Ita anno eodem Ioannes Anastasius Cinglianus libellum quendam impium sub nomine Adami Christiani, Tiguri impressum, &c. contra veram præsentiam Christi in sacra cœna publicauit. Anno sequen-*
Anno 28. *te occultus quidam Caluinista Epistolā de re sacramentaria contra*
Anno 62. *VVestphalum edidit. Ita Thomas Erastus, sacramentarius Germanica lingua librū de sensu verborū cœnæ sine nomine edidit, &c.*
Anno 63. *Sic in schola Ingolstadiana, quidā Cinglian⁹ Iesuita Anonym⁹ contra Iacobum Andreæ, &c. de negotio sacramentario theses edidit. Siste hic gradum prædicans.*

Monstra loqueris. Quale enim monstrum, *Iesuita Cinglianus*: Et in schola Ingolstadiana. Iesuita & Zvvinglianus disparata sunt; sicut lapis & ferrum; & hoc ipso, quod quis Iesuita est; Cinglianus non est; & si Cinglian⁹ sit, Iesuita esse nequit. Cinglius item & schola Ingolstadiana toto cœlo distant. Nihil hic loci Cinglianis Professoribus; nihil Cinglianis Thesib⁹, sed q̄a Professor ille vestram fortassis de Eucharistia Phantasiam, & præsertim pulchellam illam vbiquitatem fortius tetigit, quàm vobis placeat; ideo Zvvinglianus à te audit. Iam pergo.

Anno 1566. quidam ex Cinglianis sub alieno nomine Abdiæ Liberini Syntagma sacramentarium emisit, & cæt. Anno 69. Cingliani sub nomine putatiuo Eliæ Palingenii Tragœdiam de Cœna Domini ediderunt, &c. Anno 71. Beza sub nomine ficti-

fictitio Christiani Heßiandri librum blasphemum de negotio Eucharistico edidit, &c. Anno 77. ediderunt Caluinistæ assertionem contra Testamentum filii Dei sub nomine peregrino Theophili Alymantii Franci Theologi, &c. Anno 79. Iosua Lagus Pomeranus &c. contumeliosissimum, & atramento Diabolico tinctum scriptum edidit contra Selneccerum sub nomine Germani Bauari Hallensis. Anno eodem libellus Cinglianorum contra librum Concordiæ sub adulterino titulo Ioannis Palmerii exiit. Contra eandem Concordiam Anno 79. & 80. Christophorus Hardesianus, Syndicus Noribergensis, &c. sub nomine Ambrosii VVolfii verè furiosi lupi publicauit duo venenatissima & maledica scripta. Ita contra Osiandrum, rabula Caluinistarum conductitius Ioannes Sturmius scurrilem & ineptam inuectiuam edidit sub falso titulo Hermanni Sturmiani. Ita Franciscus Hottomannus sub personata facie Francisci Aspastis virulentissimum & calumniosissimum Basiliscum contra Iesu Christi Testamentum euulgauit, &c.

Anno 81. Synodum Ephesinam Caluinisticis erroribus contaminatam, turbulenti sacramentarii, sub specioso nomine Hermãni Pacifici emiserunt. Anno 82. contra librum Scroppii de re Sacramentaria epistolam monitoriam Neustadiani, sub adulterino nomine Angeli Masarelli ediderunt, prætendentes librum Romæ excusum, per Typographum Apostolicum, cum tamen liber iste nunquam Alpes, nedum Romam viderit, &c. De reliquis scriptis multis Neapoli, Heidelbergæ, Geneuæ, Bremæ & alibi à Neministis editis, nihil jam dicam. Ex his & aliis exemplis Christianus & piè eruditus Lector facilè videt, Caluinistas sine nomine, clanculum, sua scripta, contumeliosa, maledica, impia & blasphema in agrum Ecclesiæ Domini hinc inde disseminare. Hæc Lutheranus iste Superattendens non malè in Zvvinglianos & Caluinistas.

Sed quare, obsecro, oblitus est suorum Lutheranorum? An fortè nesciuit illos eidem crimini (si, vt iste di-

ſputat, crimen eſt) obnoxios eſſe? an ſciuit, ſed quia propria vineta cædere nolebat, diſſimulauit? At ſtipitem eſſe oportet, ſi non animaduertit, fore, vt nec Zvvingliani, nec Catholici hanc improbam diſſimulationem diſſimularent. Dicat, oro, ſuperintendens iſte, an non nouerit illum Prædicanté *qui verſo nomine*, vt inquit Eraſmus, *dicauit librum filio Regis Galliarum; & inſperſit identidem voces Gallicas, ne in Germanum Auctorem caderet ſuſpicio, affictis & aliis aliquot coniecturis: vt liber Lugduni à Gallo & ſcriptus, & excuſus videretur.* Occurret fortaſſis non fuiſſe Lutheranum, ſed Zvvinglianum. Atqui initio non modò Lutheranus, ſed Luthero tam addictus fuit, vt opera illius Germanica in linguam latinam tranſtulerit. An non enim Martinus Bucerus interpretem Lutheri ſe præbuit, tam ex Germanico in Latinum, quàm ex Latino in Germanicum? An non ſæpius hoc nomine commendatur à Luthero? Etſi eas tandem illi ſoluit grates, quas Bucerus minimè ſperauerat. Quod ſi Bucerus Lutheranus non fuit; cur Lutheranam cauſſam in Colloquio Ratisbonenſi cum aliis Lutheranis egit? Fortè tunc Lutheranus erat, quando ſe Martinum Bucerum nominabat: At cum Aretii Felini appellationem ſubibat, tū ſcilicet derepente, Luthero exuto, Zvvinglium induebat.

Eraſm. Epiſt. contra pſeudoeuang.

Sed non contendam cum Superattendente de Bucero, factus fuerit ex Monacho Lutheranus, ex Lutherano Zvvinglianus, iterum ex Zvvingliano Lutheranus: tandem ex Lutherano rurſus Zvvinglianus; aut, ſi vis, Iudæus Apella; hoc tantum percontanti reſponde: an Bucerus fuerit Lutheranus, quādo abnegata Martini Buceri appellatione edidit librum ſub nomine *VVaremundi Luitholdi* hac inſcriptione: *Quis impedierit Haganoæ, ne colloquium de religione haberetur: item, quo iure à proteſtantibus petatur reſtitutio bonorum Eccleſiaſticorum, &c.* Item

Item an in Lutheri castris militârit tunc, quando librum euulgauit sub nomine *Conradi Trew de Fridenßleuen?*

Mittamus Bucerum: Lutheranos fuisse Huttenum, Melanchthonem, Brentium, & Vergerium, non inficiaberis opinor. At qua metamorphosi transiit Huttenus in *Abydenum Corallum*: Melanchthon in *Didymum Fauentinũ*: Brentius in *Vtilingium*: Vergerius in *Fregosium*, alii in alios. Nam si quis Lutheranorum scripta & acta curiosius lustrare velit, forsan plura inueniet ab illis sine nomine, vel supposititio nomine cusa & disseminata opera, quàm à Zvvinglianis. Et tamen Prædicans iste de suis mutus est: de Zvvinglianis clamosissimus.

Forsan dicet: pius dolus est, nemini nocet, prodest multis. At eodem responso tuebuntur se Zvvingliani aduersus tuam accusationem. Deinde, nulliné nocet hæresis? Nec confugere potes ad rationes, quibus se Caluinistę purgant, quia tu illas refutas. si ergò in caussa Caluinistarum non censentur idoneæ, cur in caussa Lutheranorũ plus ponderis viriumq; haberent? *Scio, inquis, & lego in Sacramentariorum libris, quanam ratione librorum anonymorum scriptionem incrustare, & excusare homines isti athei soleant. Dicunt non esse nouum, vt libri absq; nomine auctorum inuulgentur, Scriptores non metu, sed humilitatis potius caussa nomen suum non sēper præfigere.* Sed quæ humilitas apud Caluinianos & Lutheranos, gloriæ animalia & mancipia? Nullus hæreticus humilitatē vnquã gustauit; alioquin hæreticus nõ esset; nã quò humilitas intrat, inde in exilium hæresis, exturbatur.

Alii clamitant, se ideò nomina sua occultare ne conceptum ex persona præiudiciũ caussæ ipsi obsit. Verũ hoc etiã fine fur, qui non venit, nisi vt furetur, nomẽ suum tegit, ne ex persona præiudiciũ proposito suo officiat. *Alii prætẽdũt, se propterea nomina sua nõ adscribere, ne videãtur acquirẽdæ fidei caussa obtẽde-*

re personam. Hæc ratio omni probabilitate destituitur. Cum enim Hæretici vel maximè cupiant dogmatibus suis apud quamplurimos conciliare fidem, vtiq; nomen suũ silentio nõ præterirẽt, si crederẽt id ad fidẽ faciendã plus momenti allaturum, quàm aut nullum, aut alienum.

Alii vociserãtur se nomina sua ideo supprimere, ne nominis sui fulgore alios obruant. Hæc ratio vanitate cum superiore certat. Nullus enim ex Hæreticis est, qui alteri primas deferat; quemq; si fulgore nominis sui obruere posset, nõ obrueret. *Nullus est, qui non velit Luthero esse doctior,* inquit ipse Lutherus. *Et nemo est, qui non de me prostrato victoriæ palmam auferre cupiat.*

Luth. Tom. 2. Epist. ad Antuerpienses.

Alii quidam infirmitatem & timiditatem suam prætendunt tempore persecutionum, aut alioquin periculis imminentibus, vbi non semper hominibus commodum, vel tempestiuum, vel tutum etiam sit, nomina sua profiteri. His & similibus artibus & verborum præstigiis, inquit Schlusselburgius, *Anonymi isti sacramentarii* (& Lutherani) & ipsorum patroni, *eiusmodi Neministica scripta excusare solent. Sed pii sciunt & dicunt, hac ratione laruas istas, quas sibi multiplices Spiritus isti tenebrarum ad fallendos imperitos induunt, non posse occultari, vtut se in Angelos lucis transforment. Prophetæ & Apostoli nomina sua libris & concionibus præmittere solent. Decreto etiam imperii publico cautum est, ne quid sine nomine auctoris edatur in lucem. Iurisconsultorum etiam præcepta prohibent suppreßionem & mutationem nominum, quæ sit in fraudem aliorum. Christiani, qui sunt filii lucis, in die ambulare, & aperto Marte contra hostem dimicare consueuerunt. Honesti & ingenui homines semper rationem istam sine nomiue disputandi & scripta spargendi, pasquillorum instar auersati sunt.* Hæc omnia, quæ Schlusselburgius disputat, tam in Lutheranos, quàm in Caluinianos valent; Et si non in illos; neq; in hos: Absit autem vt in hos non valeant.

Ergò

Ergò dum *Prædicans* iste in Caluinianos tela vibrat, se quoq; & suos imprudens sauciat. Numquid & Catholicos? nam & his mos est nomen interdum mutare aut supprimere. Respondeo: malè agere, & in Ecclesiasticam legem delinquere eum, qui sine justa caussa nomen suum libro non præscribit. Sic enim lex edicit. *Nullus liber in posterũ excudatur, qui non in fronte nomen, cognomen, & patriam praeferat Auctoris: Quod si de auctore non constet, aut justam aliquam ob caußam, tacito eius nomine, Episcopo & Inquisitori liber edi posse videatur, nomen illius omninò describatur, qui librum examinauerit, atq; approbauerit.* Hæc lex, quæ indicat posse nominis omittendi justas caussas suppetere, de quibus dixi libr. 2. de jure prohibendi libros cap. 4. Nec si veritati, veritatisq; defensoribus aliquid conceditur, id etiam falsitati, falsitatisq; propugnatoribus Hæreticis concessum videri debet: vt studium humilitatis v.g. aut inanis gloriæ fugiendæ desiderium, aut metus imminẽtis ab osoribus veritatis periculi excusare potest Catholicum, ne nomen suum profiteatur, dareq; potestatem, vt in sui nominis locum aliud supponat; hæc tamen & id genus alia Hæreticum nunquam excusatum reddent, tum quia ne micam quidem humilitatis possidet; tum quia hæreseos disseminatio nullius discriminis formidine ita cohonestari potest, vt auctor eius occultè agat, quod publicè & patefacto nomine absque præsenti periculo præstare nequit: imò eò fit nocentior & sceleratior, quò tectior & ignotior venenum spargit. Veritatis hoc priuilegium est, vt se immunem cõseruare possit; etiam nominis mutatione, aut suppressione. Neq; enim leges absolutè prohibẽt nominis mutationem; sed illam duntaxat, quæ in detrimentum rei communis aut alterius priuati cedit. Accipe verba legis.

Ind. Clemen. VIII. de impreß. lib. §. 1.

L. sicut. C. de mutat. nominis.

Sicut in initio nominis, cognominis, prænominis recognoscendi singulos impositio libera est priuatis: ita eorum mutatio INNOCENTIBVS periculosa non est: mutare itaque nomen vel prænomen, siue cognomen SINE ALIQVA FRAVDE licito jure, si liber es, secundum ea, quæ sæpè statuta sunt, minimè prohiberis, nullo ex hoc præiudicio futuro. Clypeo huius legis tunc hæretici sese meritò defendent, cum nobis innocentiam suam, mentemque ab omni fraude liberã demonstrauerint. Sic & Paulus Iureconsultus alienum nomen non vetat, nisi fraudulenter & dolosè vsurpetur.

Paul. lib. 5. sent. tit. 25.

Qui sibi falsum nomen imposuerit, genus parentesuè finxerit, quo quid alienum interceperit, possederit, pœna legis Corneliæ de falsis coercetur. Notentur verba illa: *Quo quid alienum interceperit, &c.* quæ propriè Hæreticos tangunt, quibus solenne nomẽ sibi adfingere, vt alienas oues, animas inquam, Christi sanguine redemptas interuertant, & à pascuis Ecclesię ad tenebrosa sua antra abripiant: aut vt liberius in famam, bonamque existimationem eorum, quos oderunt, grassentur. Quod consilium longè abest à Catholicorum pectore.

Cæterum cur hæc licentia anonyma vel recto nomine non insignita scripta toleranda non sit in Caluinianis & Lutheranis, his rationibus, iisque efficacibus ostendit Schlusselburgius.

I. Quia libri (Caluiniani & Lutherani) *sine auctorum nominibus editi, non sunt ex Spiritu S. sed ex spiritu impuro potius, instigante homines ad serenda mendacia, & excusanda, & ornanda peccata, ad effundenda conuicia. Esse autem organon maligni & maledici spiritus, non est exiguum peccatum.*

II. Quia anonymi isti libri oriuntur ex corde liuido, exulcerato, sibi malè conscio, ardente cupiditate vindictæ, &c. Nam ex amore Dei & zelo pro veritate & ex dilectione proximi nequaquam instituuntur.

III. Quia

III. Quia Neministica illa scripta omni frano ac pudore carent, modumque non seruant, ac sunt mera inuectiua, audentque ea proferre, qua aliâs nunquam auctor nomine suo adiecto, pronunciaret. judicium nimirum, aut refutationem extimescens. Non itaq; vllum Deum verentur, non vllam spectant honestatem Neministæ (Caluinistæ, Lutheristæ) regnantq; in iis, atq; veluti in fœtido stagno regurgitant atq; exundant mendacia, calumniæ, maledicta, conuicia, quibus miseri Neministæ sese immergunt.
IV. Quia nulla est rectitudo, nulla ingenuitas, nulla dexteritas in Neministicis scriptis, sed fraudulenter, dolosè, sceleratè pleraque peruertuntur falsis narrationibus, interpretationibus, detorsionibus, ita vt nunquam magis sophistica & sycophantia & Vlyssea artes locum habeant.
V. Quia meritò suspecta habentur, & omni fide carent: nam istam ob caussam nomina dißimulantur, quia auctores nolũt de singulis reddere rationem.
VI. Quia sunt famosa scripta, non tantum eò, quod nomina sua Auctores occultant, sed quia conuiciis spurcis & inhonestis scatent. Sunt igitur contra leges ciuiles, & honestatem publicam C. de famosis libell. & 5. q. 1. c. Hi qui inuenti. Item L. 13. Falsi ff. ad leges Cornel. vbi Iureconsulti tradunt, non tantum inhonestum esse sine nomine, vel sub fictitio nomine, alios honestos homines conuiciis proscindere, sed disertè pronunciant, hoc facientes de facto infames esse.
VII. Quia sunt scandalosa scripta, quæ etiam alios faciunt peccare; nam calumniare, ait ille, audacter, semper aliquid hæret. sunt igitur calumniis multos lædunt, imò & aliis, vt similia famosa scripta edant pessimo sunt exemplo.
VIII. Quia non ornant gloriam Dei, sed dedecorant, quia errores & peccata fucis & maledicentia exornant.
IX. Quia Christus ipse de eis judicium pronunciat: omnis, qui malè agit, odit lucem. & non venit ad lucem, vt non ar-

guantur opera eius. Ergò Christus eiusmodi Neministica scripta damnat,&c.

X. Quia est species mali, quam juxta Apostolum omnes pii cauere debent.

XI. Quia omnes credentes, imò omnes mediocriter & politicè saltem honesti homines, talia Neministica scripta, conuiciis & spurcitie plena abominantur & improbant.

XII. Quia Deus sine omni dubitatione in hoc mundo etiam eiusmodi Neministas improbos & maledicos punire solet: vt etiam recentia exempla possint commemorari nō pauca in Poetis, Theologis, & politicis,&c. Sed etiam in nouissimo judicio grauius arguet atq; vindicabit eos Deus. Non enim vana est hæc vox Christi; Reddendam esse rationem pro vnoquoq; verbo otioso. Sed scripta Neministica continent ingentia plaustra, imò integra maria maledictorum & conuiciorum,&c.

Ex his rationibus patet, omnes istos lucifugas, qui nominibus suis occultatis, in fraudē Ecclesiæ, & bonorum virorum contumeliam spargunt scripta, non esse ex Deo, sed ex spiritu tenebrarum. Omnes igitur boni, tenebriones istos fugere & detestari debent.

CAPVT II.

Hæreticorum proprium esse libros supponere & falsare.

QVomodo Hæretici libros suppositities euulgent, & genuinos quoq; patrum fœtus corrumpant, fusè demonstratum est libro 2. cap. 5. & 6. Neq; enim verentur pœnam falsi; cùm eò processerint, vt neq; pœnam inferni reformident. *Falsi pena coercetur*, inquit Paulus Iureconsultus, *qui rationes, acta, libellos, album propositum, testa-*

Paulus lib. 5. sent. tit. 25.

testationes, cautiones, chirographa, epistolas, sciens, dolo malo, in fraudem alicuius deleuerit, mutauerit, subiecerit, subscripserit, quiue æs inaurauerit, argentauerit, quiue cum argentum vel aurum poneret; æs, stannumue subiecerit. Quanto magis hanc falsi pœnam merentur hæretici, qui in fraudem Ecclesiæ, totque animarum perniciem, Epistolas & libros supponunt, & subiiciunt, æreos prorsus & plumbeos; at ne appareat, celebrium scriptorum nominibus inaurant & inargentant: quiq; acta, libellos, chirographa, cautiones, & id genus alia instrumenta, quibus vera religio & auita fides continetur, & explicatur, radunt, truncant, decurtant, & hoc dolo malo, & ingenti fidelium damno, qui olim *sciens dolo malo falsis instrumentis, actis, epistolis, & rescriptis* vtebatur; is, si quidem humilioris status esset, in metallum damnabatur; si honestioris; in insulam deportabatur. At falsarij hæretici ita depuduerunt, vt non tantum ipsi falsis instrumentis, actis, Epistolis & rescriptis vtantur, sed & alios vti velint, & pro sua detrita frōte, vti iubeant; idq; impune. quorum tanta nunc est frequentia, vt illis capiendis nulla metalla, nullæq; insulæ sufficiant. *Paulus loc. cit.*

Aeris pro auro subiectores stellionatus crimine teneri tradit Vlpianus l. *si quis in pignore* ff. de pig. act. Quid ni eodem crimine notentur; qui cum poscimus aurum, hoc est, Verbum Domini purum; nobis obtrudunt plūbum, hoc est, verbum Lutheri, aut Zvvinglij, aut alterius fanatici hæresiarchæ; qui spiritui sancto sensa ab omni sensu abhorrentia supponunt; vt & sanctorum Patrum venerandis monumentis.

Porrò inter memoriæ superioris subiectores & impostores, mirificè excelluerunt *Photiani*, & ipse Photius, de quibus tam mira referuntur, vt incredibilia videri

possent, nisi à grauissimis Auctoribus litteris proderentur. Et vt ab Epistola Nicolai Pontificis inchoemus, cum is Constantinopolim pro Ignatio Patriarcha contra Photium throni Constantinopolitani inuasorem & violentum vsurpatorem, auctoritate Apostolica scripsisset; cumq; legati Sedis Apostolicæ litteras Pseudosynodo Photianæ obtulissent; aliqua ex illis non sunt recitata; & illa quæ sunt lecta, ab illis antea fuerunt falsata. Testatur id ipsemet Nicolaus scribens ad Michaelē Imperatorem his verbis: *Quia superius de falsata Epistola per iam dictos tunc Rodoaldum & Zachariam Episcopos ad te directa scriptura memoriā fecimus, restat, vt partim loca, in quibus falsata est, quantum inspectis exemplaribus Græcis, quæ nobis per Leonē à secretis misisti, nosse tribuitur, aperiamus.*

Nicol. Epist. ad Michaelē Imper.

Postea conqueritur, ea quæ pro Ignatio scripta erāt silentio fuisse suppressa; & tantum illa publicè lecta, quæ agebant de veneratione imaginum; *quamuis* in iis, vt ait Pontifex, *quæ ibidem ex Epistola lecta sunt nonnulla addita, multa mutata, plura subtracta reperiantur, & per omnia talis à nobis effecta, vt aut nihil aut parum aliquid nos per eam de crebro dicti comministri nostri Ignatij disposuisse caussa videamur.* Recenset deinceps Pontifex maioris momenti loca, suis in litteris falsata: *Siquidem cum nos inter alia commemorassemus, quod multoties conuentus factus fuerit sanctorum Patrum, à quibus & deliberatum & obseruatum extitit, qualiter absq; Romanæ Sedis, Romaniq; Pontificis consensu, nullius insurgentis deliberationis terminus daretur, vos,* inquit Nicolaus, *erasistis ABSQVE, & interposuistis CVM, quibus significaretur, vt cum Sedis Apostolicæ & Ecclesiæ vestræ consensu omnis rei finis debeat omnino proferri: cum hoc fieri nulla ratione valeat, nullo prorsus exemplo gestum patescat, &c.*

De omissione verò & suppressione eorum, quæ pro caussa Ignatij legitimi Patriarchæ scripserat; hæc Nicolaus. *Posthæc autem, quidquid de iam fati fratris & comministri nostri Ignatij Tyrannica expulsione; quidquid de inconsiderata & inuidiæ plena in eum prolata sententia; quidquid de violatis paternis definitionibus, quidquid de Photij scripseramus irregulari promotione saltu quodam astutiæ transcendentes, etiam sanctorum Patrum instituta, quæ sancti Spiritus afflatu sunt edita, ne ad concilij peruenirent notitiam, contexistis, & veluti in quodam silentij sudario ligata, dum diuinitus attributa talenta fuerint, contexistis.*

Et post multa in hanc sententiam, hæc subdit Pontifex de huius sceleris architectis. *Et si quidem per vestratum aliquem tantum nefas patratum est, (quoniam apud Græcos, sicuti nonnulla diuersi temporis scripta testantur, familiaris est ista temeritas) miramur, & modis omnibus obstupescimus, si regius excellentiæ tuæ honor, qui iudicium diligit, ad tantum potuerit dedecus incuruari, cum ad hoc magis diuinitus ordinatus sit, vt deprauata corrigat, & falsata pristinæ veritatis honestati restituat.* Nominat autem Nicolaus facinus hoc *sacrilegium: nam sacrilegium non immeritò commisisse dicendus est, qui scripta pietatis, fidelium atque pij Principis notioni vel subducit, vel à sui veritate submouens, velamento præstigiorum suorum obnubilat. Veruntamen nos quomodocunque falsitati vel deprauationi eadem sit Epistola submissa, grates innumeras agimus Deo, cuius inspiratione & fidelia eius exemplaria penes nos retinuimus, & cuius permissu, qui hæc, vel authenticam ipsam scripsere, superesse noscuntur.* Hæc Nicola⁹ de Epistola sua à Græcis falsata; q. & alibi innuit Græcis hoc falsariũ scelus perquam vsitatum esse, remittens enim Michaelẽ Imperatorẽ ad Epistolã Adriani hoc nomi-

Epist. ad Michael. Imper. cuius init. Proposueramus quidem.

nomine primi Pontificis, sic ait: *Si tamen non falsata, Græcorum more, sed sicut à Sede missa est Apostolica, penes Ecclesiã Constantinopolitanorum hactenus perseuerat.*

Habes iam vnum & quidem illustre exemplum imposturæ Græcanicæ. Accipe aliud ab ipso Photio profectũ; etsi fortassis præcedẽs etiã ex officina Photij prodiit. Cum Photius omnibus modis Ignatium Patriarcham perditũ cuperet; huiusmodi fraudulentissimam in exitium Ignatij machinam struxit. *Quadam die*, inquit Nicetas, *eò vsq; omnibus ignotus, monastico habitu indutus, Eustratius nomine, Patriarchalem domum ex tempore ingrediens, binas fictas litteras in conspectu omnium attulit. quas sapientissimus ille Photius (vt deinde apertum omnibus fuit) dolosè formauerat: alteras quidem ex persona Ignatij ad Nicolaum Papam, quibus illum docebat fusius de nouitatibus; quæ contra ipsum gestæ fuerant, & de iniquitate Imperatoris; quas litteras, vt iste dicebat, cum Papa ipse nec intueri voluisset, inde illas iterum reportabat: alteras ad Photium ipsum à Nicolao Papa, Apologiæ vim habentes pro contentione; quæ inter eos interea orta erat, in posterum pacem & communionem quasi firmantes. Has cum ille Photius turbarum magister accepisset, quàm primum Imperatori & Bardæ contra innocentem Ignatium ostendit, & illos aduersus eum irritat, hæc addens: Ignatius nequiter se habet aduersus Imperium vestrum, & cum extraneis vos accusat, & calumniatur, & iniustos nuncupat. Quapropter iustum esset, vt nec viuere permitteretur, dum talia aduersus Serenitatem vestram meditatur: horum verò esse apertam demonstrationem, litteræ ipsæ docent, quibus nihil nos quidem offendit, sed adiuuit potius, cum satis superq; Papa sciuerit veritatem, & pacem & vnionem nobiscum confirmarit. Non puto autem iustum esse, vt vestrum Imperium sic ab illo vituperetur. Hæc quidem sycophanta ille Photius,* qua profecto fraudulentissima calumnia in caput innocentissimi

Nicet. in vita S. Ignatii.

Ignatij conficta & fabricata, vix ipse omnium calumniarum parens Diabolus atrociorem, & ad nocendum accommodatiorem excogitare potuisset.

Quomodo idem Photius tractauerit Epistolas Ioannis VIII. Pontificis, & commonitorium Petro Legato datum, diximus alibi, videbitq; lector apud Cardi. Baronium Tom. X. Annalium, An. Christi 879. Idem impostor sub nomine Ioannis Pontif. Epistolam ad se datam finxit, quasi Ioannes de processione sancti Spiritus ex solo Patre, idem cum Photio sentiat. Sed hanc Epistolam merum esse Photij aut alterius Schismatici commentum, perspicuè demonstrat Card. Baronius; nam Ioannem Pontificem de processione sancti Spiritus eam sententiam tenuisse, quam Romana & Catholica Ecclesia semper tenuit; argumento est etiam illud: quod Ioannes S. Romanæ Ecclesiæ Diaconus, scribens ad hunc ipsum Ioannem Pontificem quatuor à se elaboratos libros vitæ S. Gregorij Papæ, vbi agit de Dialogis ab eo scriptis, & in Græcum à Zacharia Papa translatis, iustè queritur, quod cum ipse S. Gregorius in eis asseruerit, disertis verbis Spiritum sanctum à Patre filioq; procedere, Græci textum corruperint; illaq; verba, *filioq;* abradendo inde abstulerint, eos magnopere redarguens, quòd audacter nimis, sicut & impudenter S. Gregorij textum ita deprauarint: planè significans Romanam Ecclesiam nihil diuersum ab ipso S. Gregorio Papa sentire, nec Ioannem, ad quem scribit, ab ea sententia discrepare.

Tom. X. anno 879.

Nec temerè suspicatur Illustriss. Card. Baronius, Pseudosynodum Photianam, non verè fuisse habitam: sed Photium synodum ipsam; & quasi habita fuisset, cōfinxisse. Quid enim abs se alienum tantus falsarius cense-

ret? Quod scelus horreret; qui toties iam summorum Pontificum Epistolis falsarias manus intulisset? qui cum à Basilio Macedone de throno nefariè occupato deturbatus, & in exilium eiectus fuisset, reuocato ad Sedem suam Ignatio, non nisi similibus falsariis technis reditum Constantinopolim sibi parauit. Quid enim fraudis & imposturæ commentus sit, Nicetas in hunc modum refert. *Quid igitur ille, qui dicitur Photius? Num sententiam in se latam, vt iustam recipiens, abstinuit à calumniis & turbis? &c. Nequaquam, sed potius decem illis exilij sui annis sexcenta aduersus S. Ignatium mala concitauit. Cum verò vndequaque illum tutum & irreprehensibilem videret, Imperatoris gratiam sibi conciliare procurat: & cum omne consilium, & omnem rationem, & omnes neruos ad hoc tetendisset, tandem inuenit viam, qua simplicitatem vel potius leuitatem Imperatoris caperet, nomina videlicet singulorum scrutatus, Basilij, inquam Imper. & Eudociæ eius vxoris & filiorum, Constantini, Leonis, & Alexandri ac Stephani, & singulorum primas accipiens litteras & componens eas; hinc fraudis occasionem suscipit. historiam enim & genealogiam hinc format, & fingit eam, quæ neq; est, neq; vnquam fuit. Tiridatem illum Magnum Armeniarum Regem, qui tempore Magni illius Gregorij Martyris fuit, constituit historiæ primum auctorem & originem. Ex illo videlicet Tiridate, genealogiam nominibus, quibus voluit consarcinans, aliam ex aliis fictam deducit historiam. Quando verò ad Patrem Basilij peruenit, hunc scripsit natiuitate talem, qualis Basilius fuit, & eius nomen Beclas finxit fuisse, quem felicissimum & annosissimum hic Photius omnium eorum, qui hucusq; regnauerunt futurum auguratur. sexcentis etiam mendaciis, quibus delectari nouit auditores, historiam illam cum repleßet, vetustißimis quidem membranis, characteribus etiam Alexan-*

Nic. in vita S. Ignatij.

lexandrinis pro virili imitatis, talia scribit, & antiquissimis Papyris ab antiquissimo libro detractis, omnia hæc obuoluit, ac deinde in magna Palatij Bibliotheca illa deponit. Qui verò in his omnibus fidelis minister Photio erat, & hanc fraudem simul struebat, Theophanes ille fuit, qui tunc clericus regius erat, &c. Quum enim accepisset fictum illum librum, & in bibliotheca deposuisset, deinde tempus opportunum nactus illum ostendit Imperatori, tanquam omnium librorum mirabilissimum & secretissimum, quem fingit se non solum non intelligere, sed nec alium quempiam præter solum Photium. Quamprimum itaq; mittitur ad Photium; fingit autem ille, se non posse dicere alteri arcanum, nisi illi, pro quo scriptus est liber, nempe Imperatori. Quid igitur? Hac facilitate vel leuitate superatur Imperator, deponit odium, & illi conciliatur, &c. Ecce versutissimi hominis vulpinum prorsus astum. Quid non audeat, qui tale facinus aggredi non reformidauit? At satis de Photio.

In Concilio Constantiensi sessione decima quinta dicitur; Ioannem Huss finxisse & disseminasse Epistolam quandam de VViclepho, nomine Vniuersitatis Oxoniensis, quasi vir sanctus esset. Verba Concilij hæc sunt. *Posthæc litteram quandam falsificatã sub sigillo falso Vniuersitatis studij Oxoniensis sæpius publicauit; in qua continebatur, licet falsè, Ioannem VVicleph fuisse virum Catholicum & doctorem Euangelicum, bonæ famæ & laudabilis conuersationis ab æuo suæ iuuentutis, vsque ad diem exitus sui.*

De hodiernis falsariis & fictitiorum librorum subiectoribus, quorum hac ætate maximus est prouentus; satis iam alibi est actum. Hic tantummodo lectorem in memoriam reuocare velim summum illud scelus, quo falsarii isti sub nomine clarissimi Iusti Lipsii ora-

tionem *de duplici concordia* confinxerunt, & in vulgus disseminarunt; vt doctissimum virum de religione suspectum redderent. Sed non eget meo patrocinio Lipsius. Defendit iam ipse innocentiam suam contra istos sycophantas data ad Senatum Francofordiensem Epistola. Quo lectorem ablego.

CAPVT III.

Quomodo prædicantes se mutuò accusent ob tomos Lutheri falsatos & corruptos.

DE hac re copiosè scripsi lib. 2. de iure prohibendi libros noxios cap. xI. Sed hic addenda sunt nonnulla; inprimisq; notandum, prædicantes, dum tam strenuè digladiantur inter se de corruptis Lutheri operibus, alteriq; in alteros culpam hanc conferunt; imitari Apollinaristas, veteres Hæreticos, quibus similis erat pugna de communis Magistri Apollinarij monumentis; dissentiebant enim Apollinaristæ inter se de carne Christi; vtrum per vnionem cum Verbo facta fuerit *consubstantialis* Verbo; aliis id affirmantibus; & ex Apollinare argumēta pro se petentibus; aliis id pernegantibus, & Apollinaris scripta ab alterius sententiæ sectatoribus corrupta asserentibus; ex quorum numero fuit Valentinus Christianus, qui contra Prioris opinionis Apollinaristas, vt contra Timotheum, Polemium, Cataphronium, Patrogorium, Vranium, Theodorum, aliosq; agens, sic inter cætera scribit. *Facite, vt intelligatis, quod vnio naturam honorauit, non autem fecit corpus consubstantiale Deo, sicut*

Apud Leont. Byzant. li. de libris Apoll. nomine SS. Patrum venditatis.

vos semper fingere audetis, qui à veritate lapsi estis, & quod omnem superat impietatem, quamuis millies velint se facere sapientes, praue & dolosè scripturas diuinas interpretantes, & libros beatissimi Patris nostri & Magistri Apollinarij, vt vos redarguunt, quæ à vobis apposita sunt, quæ ipsi adscripsistis ad decipiendas animas simpliciorum, in caput vestrum, &c.

Simile prorsus certamen viget inter hodiernos sectarios de lucubrationibus sui Magistri. Audi, quid contra Illyricum, eiusq; sodales scribant prædicantes Witebergenses. *Lutheri de doctrina nostrarum Ecclesiarum sententiam, cuius nomen Apostatæ isti suis portentis falsò prætendunt, non petant pij ex cōmentis, quæ malitiosis detorsionibus quarūcunq; particularum auctori falsò affingunt, & scriptis ipsius falsò assuunt, sed ex perpetua eius sententia, &c. Detestamur autem impudentiam Flaccij, Galli, & similium, quos vt portenta suorum commentorum fucis quibuscunq; populo venditent, mentiri in re manifesta, & toti mundo cognita non pudet, referenda esse illa Lutheri testimonia ad prima & vetera scripta, quæ initio emendationis, cum horridiora fuerunt omnia, ante comprehensum in confessione Augustana doctrinæ corpus exierunt. Nimia hæc est impudentia, quam Deum vlturum esse non dubitamus. Detestamur meritò & malitiam eorum, qui vt explerent sua erga nos odia, & de manibus pia scripta excuterent, &c. in editione tomorum Ienensium, omissis his Lutheri testimoniis, alibi infarserunt virus suum calumniis temperatum & mendaciis. Hoc verè est Lutheri scripta corrumpere.*

In collect. ex act. Synod. anno 1559.

At quid tandem erit illud, dicite ô prædicantes, quod communis vester preceptor Philippus in tomis Lutheri commisit; quodq; Lutheranus prædicans & superattendēs Schlusselburgius his verbis commemorat. *Philippus ex libris Lutheri, quod verba filij Dei adhuc constent, plus quam integrum folium cum aliquot Paragraphis studiosè & dedi-*

Schluss. lib. 2. de Theol. Caluinist.

ta opera expunxit & omisit, præsertim verò ea induci curauit, vbi Lutherus Philippum excusauit contra Cinglianorum accusationes, quod non esset ipsorum partium: hæc verò non sunt priuata vel arcana, sed publica & notoria. nam Nicolaus Amsdorffius Germanico scripto, in quarto edito, anno 1549. Philippum & eius manipulares publicè coram Ecclesia IESV *Christi, de ista Lutheri falsatione accusauit & conuicit. Omissa autem sunt in 2. Tomo pag. 367 sub finem libri:* Daß dise Wort Christi/das ist mein Leib/noch fest stehen/straffen vnnd bessern/rc. *vsq; ad illum locum:* an den Früchten soll man die Bäwme kônnen. *Item ab hoc paragrapho:* Es tregt mich auch jhre RotteSpielen/rc. *Item paulò post:* Ich sehe es auch/rc. *Lutheri admonitionem grauißimam de fugiendis Caluinistis omisit Philippus, vsque ad illum paragraphum:* Denn was man dem Geist/rc. *Hæc omnia in gratiam sacramẽtariorum post Lutheri mortẽ à Philippo deleta esse constat.* Quid vobis videtur *Prædicantes*? An nõ hoc est Lutheri scripta *verè corrumpere*? Mirabar olim, quis nam ille esset magnæ auctoritatis vir, cuius suasu multa in prędicto Lutheri libro expuncta fuisse refert Georgius Rorarius. Nunc video in communi vestro præceptore hoc falsi crimen hærere.

Rorar. in admoni. sua, addita ad citat. Luth. lib.

A quo fortassis didicit *Petrus Prætorius* artem falsandi Catechismum Lutheri, de quo paulò ante nominatus Prædicans Schlusselburgius. *Petrus Pratorius Caluinismi propagator & propugnator in vrbe Dantiscana, tanquam manifestius falsarius & deprauator, Catechismum Lutheri, in gratiam Caluinistarum, in articulo de Baptismo & de Cœna Domini, peßima fide mutauit, mutilauit & adulterauit, sicut ea de re Ecclesiarum nostrarum Doctores profugum Petrum publicis scriptis accusarunt, vtpote Theologi Comitatus Gretzensis, Gerawiensis, & Schonburgensis. Item Ienenses Theologi, anno 71. Item Heshusius anno 64. Item Conradus Porta anno 76. Item Iacobus Andrea*

dreæ anno 80. quibus Theologis Prætorius hodierno adhuc die nihil respondit. Detestandum est autem, quod falsarius Prætorius, suum sacrilegium sub Lutheri Catechismi nomine & auctoritate, obtegere conetur. In doctrina de Baptismo omisit verba de vi & efficacia Baptismi, &c. definitionem Sacramenti altaris Prætorius omisit, & loco illius ambiguam substituit, &c.

En quot Prædicantes miserum istum Prætorium inuadant, & tantum non in Prætorium vocent, & in jus ambulare jubeant, ob crimen falsi in Lutheri Catechismo commissum. Sed qui vestrum sine crimine falsi est, ô Prædicantes, is primus lapidem mittat in Prætorium. Fecit quod Lutherus millies fecit. Filius à patre hanc artem didicit. Hæc dixerim, non quod Prætorii patrocinium suscipere cogitem; apage cum tali cliente; sed vt vos vestri moris commonefaciam; vtq; ante falsarii esse desinatis, quam Symmystam vestrum falsi tantis clamoribus accusetis. Mihi profectò Prætorius rem longè iucundiorem fecisset; Si Lutheri Catechismum, quotquot eius exemplaria nancisci potuisset, in ignem abiecisset. Interim tamen suaue est præcones noui Euangelii tanta contentione sibi mutuò crimina falsi obiectãtes intueri. Qui si suo parenti Luthero non parcunt, cui tandem parcent? Si ferrum falsarium in Lutherum stringunt, quem *Diuum*, quem *beatum*, quem *Heliam*, quem *Euangelistam* prædicant, quis tam bonus auctor erit, cui securitatem ab istorum violentia promittere possimus?

CA-

CAPVT IV.

Quomodo Prædicantes confeßionem Augustanam falſauerint, & vitiauerint.

Lib. 2. ca. XI.

ACtum eſt de hac re alibi copioſè, & quidem ex ſcriptis ipſorum Prædicantium, quos peſſimè habet, cũ obiicitur, miſeros Lutheranos ex fęce plebis per 50. annos nihil ſciuiſſe de non mutata & non falſata Confeſſione Auguſtana. Et tamen hoc eſſe ipſiſſimam veritatem, inde liquet, quòd vſq; ad librum Concordiæ editum, editionibus variatæ & deprauatæ Confeſſionis omnia redundarint. Aut oſtendite vos Prædicantes vllam editionem, quæ poſt annum 31. prodierit, & cum Autographo Carolo V. Imp. oblato penitus conſenſerit. Nam, vt Selneccerus teſtatur, ſtatim anno 31. mutata eſt Confeſſio Auguſtana; & ſic etiam cum mutationibus deprauatè typis impreſſa. *Fatendum eſt enim*, inquit Selneccerus, Vbi, quæſo, poſteà ſincerè eſt excuſa, & concorditer authentico exemplari? Quot variationes & mutationes annotauit Fabricius vſque ad annum Domini 1540. Si vlterius pergere voluiſſet, nec finis, nec modus ſcribendi fuiſſet.

Selnec. in admonit. addita ad Concord. lat. edit. 1584 Lipſia.

Quid quod ne omnium quidem prima editio prorſus ab omni mutatione aliena fuit: quod fatetur editio Witebergenſis 1531. per Georgium Rhau in octauo: ſed culpa coniicitur in Typographum. *Hæc confeßio*, inquit Præfator, *prorſus ignorantibus Principibus, qui eam Cæſari exhibuerunt, ab auaro aliquo Typographo publicata eſt; & ita excuſa*

cusa est, vt multis in locis appareat de industria deprauatam esse. Et tamen hæc ipsa editio istius Rhau, in qua VVitebergenses conqueruntur de deprauata confessione: etiam mutata & deprauata fuit, vt testatur Selneccerus. Est enim hæc editio in *octauo* anno 31. *non amplius sine mutatione, fatendum est enim*, inquit Selneccerus.

Quid, quod in editione prima latina Concordiæ nec dum habuerunt, nec ediderunt Confessionem Augustanam non mutatam & variatam; qualis est in Archiuo Imperialis Cancellariæ. Hoc enim expresse fatetur Selneccerus: sed confertur culpa in priuatos, & in festinationem. Quid agerent Prædicantes, si omni omninò excusationis prætextu destituerentur? *opus profectò fuit circumspectione & delectu*, inquit Selneccerus. Ita est. nemo negat, præsertim cum Epistola nomine Electorũ & Principum, & ciuitatum Imperialium, libro Concordiæ præposita, expressè dicat; Concordiæ libro insertũ esse exemplar, cum autographo collatum & comparatum. Et ipsi Principes testantur, se nullam aliam agnoscere, nisi primam illam Carolo Cæsari oblatam. Et tamen ausi sunt Prædicantes, non obstãre hac protestatione præfationis Principum & ciuitatum nomine scriptæ, Confessionem Augustanam mutatam & falsatam libro Concordiæ inserere, & pro felici auspicio suæ Concordiæ, denuò mundum vniuersum decipere, & ludificare.

Sed ait Selneccer. *Nullum exemplar primæ editionis latinæ in quarto anno* 31. non mutatæ Confessionis in prõptu fuisse. Ecce Prædicantes. Quanta fuit raritas exemplarium non vitiatorum Augustanæ Confessionis: vt ipsi præcipui Prædicantes in media Saxonia, cum latinã Concordiam ederent, exemplar incorruptum habere

non potuerint; sicq; vitiatum sequi debuerint, contra protestationem & voluntatem Principum & ciuitatum &c. Quanta hæc Prædicantium impudentia: quanta fallacia; non tantum extra librum Concordiæ; sed etiam in ipso Concordiæ libro, Confessionem mutatam, & sic nō confessionem Augustanam pro Confessione Augustana vera & germana obtrudere & venditare, nam vt rectè ait Hunnius: *Illæ mutatæ editiones non sunt Augustana Confeßio, Carolo exhibita, visa & lecta, cum Carolus Imperator illas variatæ Confeßionis formas nunquam viderit, neq; eæ in comitiis Augustanis exstiterint, sed aliquot annis post VViteberga demum sint natæ.* Hæc Hunnius.

Hun. lib. de Sacr. in Epist. dedic. pag. 20

Sed quot annis post, dic, obsecro, Hunni? Videamus. Anno 30. oblata est Confessio Carolo Cæsari. Anno 31. mutata est Witebergæ in editione in 8. vt ait Selneccerus. Ecce *aliquot annis post*: vt dicit Hunnius: laude dignus, quod fatetur has deprauationes Witebergæ natas esse: qui etiam vlterius addit: *Liquidò pronunciamus non fuisse in cuiusquam hominis potestate scriptum publicum, & quidem Principum nomine oblatum Cæsari, Ecclesiæq; Dei in his postremis temporibus symbolum, citra communem eorum omnium, quos ea res attinebat, assensum priuato arbitrio, seu libitu potius immutare* (& tamen Philippus & alii Prædicantes imutarunt) *ac nihilominus postea illis deprauatis editionibus nomina & subscriptiones Principum, & rerum publicarum subiungere, quasi illi ipsi Illustrißimi Principes, qui subscripti leguntur, qui comitiis interfuerunt, qui Carolo suam exposuerunt fidem, mutatis his editionibus subscripserint, & quidem Augustæ, vt titulus præ se fert, vt Præfatio Carolo inscripta pollicetur, atq; sic corruptelas quibus deprauata non vno in loco, sed pluribus Confeßio est, sub aliorum illustri nomine venditare. Coram politico judicio defendi hæc nullo pacto possunt: multoq; minus coram æterno & omnipo-*

tente Iudice. Hæc Hunnius, quem laudo ob tam ingenuam Confessionem. Etsi ipse sit, vel potius fuerit *Prædicans* parum ingenuus. Quid ad hoc vos Prædicantes, qui tam ægrè adigi potestis, vt fateamini Confessionem vestram fuisse deprauatam: & deprauatam vbiq; regnasse? En Hunnius pleno ore id fatetur, & deprauatores detestatur. maximè autem scelus illud, quod deprauatæ cõfessioni nomina *Principum* ausi sunt subscribere. si hoc non est falsare: quid tandem erit falsare?

Fatetur Hunnius hoc ne coram ciuili quidem Magistratu defendi posse. *Excusari nequit*, inquit ille idem Hunnius loco citato: *quod eares,* (de mutanda Confessione) *non prius in Principum conuentu deliberatur: siquidem Principum nomine olim scriptam, exhibitamq; constabat. Sed absq; huiusmodi consultatione, quæ necessariò requirebatur ad publicum immutandum symbolum, mutatur priuatim, & in angulo quasi, & pòst in lucem editur, cum subscriptione pientissimi Ducis Ioannis Electoris Saxoniæ, qui anno 32. diem suum obiit, antequam Confessionis vlla tentata esset immutatio* (at mutata est anno 1531 vno anno antequam Elector moreretur; in edit. lat. in 8. per Georgium RhauVVitebergæ: vt fatetur Selneccerus: & ipsa editio, quam his meis oculis vidi per se hoc ipsum clamat. Lector tantum præfationem ad Imperatorem cum Præfatione Prototypi conferat, veritatemque rei perspiciet) *atque nihilominus quasi mutatam editionem sua manu subscripserit jam mortuus, ita augustum ipsius nomen exemplaribus illis subiungitur: Hæc inquam excusari in æternum nullo colore, nedum vera oratione, defendi possunt.* Hæc Hunnius aduersus falsarios Augustanæ Confessionis, & aduersus impudentiam *Prædicantium*, qui perinde loquuntur, quasi nihil scirent de vlla mutatione & deprauatione Confessionis Augustanæ.

 Porrò

Porrò cum corrupta & falſariorum manibus deprauata Confeſſio primæ editioni libri Concordiæ illigata fuerit; neceſſe eſt, vt hæc corruptela ad ipſum quoq; Concordiæ librum manarit. Quocirca licet prædicantes in libro Concordiæ ab omni dolo malo ſanctè abſtinuiſſent; ſummi tamen falſarij, impoſtores & deceptores iure meritiſſimo cenſeri poſſent, quia præfationem tot Principum, tot Comitum, tot Baronum, tot ciuitatum Imperialium de non mutata Confeſſione loquentem ſua fraude fecerunt mendacem; vt & tot Concordiſtarum ſubſcriptiones; ſubſcripſerunt enim Confeſſioni oblatæ Carolo V. At illa, quæ fuit in editione libri Concordiæ, de qua Selneccero ſermo eſt, non fuit Confeſſio exhibita Carolo V. ſed mutata & falſata. Et tamen ſubiectæ itidem ſunt ſubſcriptiones Ioannis Ducis Saxoniæ & aliorum Principum, qui primi in comitiis Auguſtanis ſubſcripſerant; & quidem ſummo ſcelere ſubiectæ ſunt, vt & Hunnius dicit; cum Principes illi Confeſſioni mutatæ nunquam ſubſcripſerint. Et hoc iudicat Hunnius tantum ſcelus, *vt ne coram politico quidem tribunali, nedum coram diuino defendi queat.*

CAPVT V.

Mos hæreticorum traducendi Eccleſiaſticos ordines per contumelioſas & infames picturas.

HÆretici huius temporis non modo chartis aculeatiſſimis, maledicentiſſimis & calumnioſiſſimis Pontificem, Cardinales, Epiſcopos, Clericos, & Monachos proſci-

proſciderunt & traduxerunt, ſed & ſæpè huiuſmodi libris imagines iniurioſiſſimas & contumelioſiſſimas addiderunt; vel etiam ſeparatim diſſeminarunt; vt ſcurris, ſuiq; ſimilibus Balatronibus ilia riſu diſtenderent; & Eccleſiaſticos ordines imperitæ plebi ludibrio exponerent. Nihil opus exemplis. Vtinam in oculos noſtros tam multa quotidie non incurrerent. Nimirum Sectarij mutuantur ab Ethnicis, Hæreticis, & Schiſmaticis non tantum peruerſas opiniones & pernicioſa dogmata; ſed etiam criminandi & tam profana, quam ſacra ſubſannandi libidinem; præſertim illam; quæ Eccleſiæ Præſules & Ordines picturis & imaginibus inceſſit: idq;, vt demonſtrem, non repetam veterem illum in fruſtrandis beſtiis mercenarium noxium, qui, vt eſt apud Tertullianum, *picturam propoſuit cum eiuſmodi inſcriptione: Deus Chriſtianorum Ononychites. Iserat auribus aſininis, altero pede vngulatus, librum geſtans & togatus.* Dicere enim poſſent Nouatores factum hoc ceſſiſſe in ignominiam ipſius CHRISTI; quaſi quæ ipſi pari propemodum ludificatione commiſerunt in vicarium & ſeruos CHRISTI, non redundent in contemptum CHRISTI. *Tertull. in Apolog.*

Verum, vt dicebam, prætẽribo mercenarij huius nequitiam, & ex Niceta vitam Ignatij Patriarchæ Conſtantinopolitani conſcribente planum faciam, iſtos veriſſimos & planè germanos imitatores eſſe Photij & Photianorum Schiſmaticorum, in primis Gregorij Syracuſani, qui, vt ſanctum Ignatium verum & legitimũ Patriarcham, omnibus exoſum inuiſumq; redderent, & de Sede deturbarent; infinitas aduerſus illũ criminationes commenti ſunt. Præter cæteras etiam librum non ſine contumelioſis imaginibus operâ Gregorij Syracuſani,

 picto-

pictoris & fictoris egregij cōcinnatis;de quibus hæc quæ sequuntur iam iam nominatus Nicetas. *Vt vero omnis iniquitas, quæ contra sanctum illum Ignatium fuerat perpetrata, manifestior fieret, Deus, qui comprehendit sapientes in astutia eorum, & Consilia prauorum dißipat, in Basilij Imperatoris animum Consilium ingerit, vt mittat ad Photium, & omnia scripta, quæ à Patriarchio discedens acceperat, absque vlla temporis mora vt mitteret, ei præciperet: Ille verò iureiurando affirmabat, licet falsò, nihil talese inde accepisse propter festinationem recedendi. Dum vero hæc à Photio præposito Bahanæ dicerentur, ipsius Photij famuli magna cum festinatione septem saccos scripturarum plenos plumbeo sigillo signatos ad Calamonem illi propinquum locum transtulerunt, occultandi caussa. Quod cum famuli præpositi vidissent, & ab eorum manibus illos abstulissent, ad Imperatorem attulerunt. Quibus apertis inueniunt duos libros auro & argento deforis bracteatos & serico tectos, intus verò litteris valdè pulchris & ornatis descriptos: Quorum alter continebat septem actiones synodicas, quæ nunquam extiterunt, nec actæ sunt, aduersus Ignatium; sed tantum Diabolico consilio frustra sunt excogitatæ; & singularum actionum hæc, quæ sequuntur, initio depicta habebantur, opera videlicet Syracusani illius Gregorij cognomento Asbestæ: erat enim bonus ille vir pingendi peritus, puto pro additamēto suorum malorum. Et depictus ibi erat Ignatius.*

In prima quidem Actione Ignatium depinxit, qui trahebatur & vapulabat. Supra verò illius caput ita scripsit. DIABOLVS. Non horruisti blasphemiæ excessum? Si enim Patremfamilias Beelzebub vocauit, quid facere debebat familiaribus eius?

In secunda iterum Actione Ignatium depinxerat sputis conspurcatum, magna vi tractum, cuius inscriptio talis erat. PRINCIPIVM PECCATI.

In

In tertia verò Actione Ignatium exauctoratum pinxerat, & eius inscriptio hæc erat: FILIVS INIQVITATIS.

In quarta itidem actione eundem Ignatium anathemate atq; exilio damnatum posuit, & inscriptio erat: SIMON MAGVS.

In principio deinde quintæ Actionis vinculis Ignatium circumdatum pinxerat, & vinctum; cuius erat inscriptio: EXTOLLENS SE SVPER OMNE, QVOD DICITVR DEVS.

In sexta verò Actione depinxit Ignatium damnationi traditum, est eius inscriptio: ABOMINATIO DESOLATIONIS.

In septima tandem & extrema Actione depinxit Ignatium protractum, vt illi caput amputaretur, & eius inscriptio talis: ANTICHRISTVS.

Annon vides, amice Lector, prodromos sectatiorum nostrorum, imò Doctores & Magistros? An non sicut illi olim Ignatium, ita hodierni Nouatores Ecclesię Catholicæ Præsules; præsertim summum Pontificē, ignominiosè & probrosè depingunt; depictumq; iisdē & atrocioribus adhuc conuiciis appetunt & lancinant? Quid crebrius in ore illorum; *quam Antichristus; filius iniquitatis, abominatio desolationis; Extollens se super omne, quod dicitur Deus; Diaboli Vicarius.* & millena talia.

Nec in Ignatio duntaxat affecerunt Schismatici illi Græci Pontificem Romanum iniuria & dedecore; sed & in seipso. Scripsit enim Photius alium librum, qui continebat *synodica acta aduersus Nicolaum Papam Romanum, omnem videlicet calumniam & absurdam blasphemiam ad condemnationem sancti illius viri, & anathematismum impiè & prauè conflatum; dignum potius ipso & operibus eius à Dæmo-*

Damone suggestis, vt ait Nicetas. Quem librum misit Photius ad Ludouicum II. Imperatorem, & Francorum Regem, *multis cum encomiis & magnificis muneribus, vt Papam Nicolaum tanquam throno depositum eiiceret.* Hæc Photius cum suis. Similia, si non longè deteriora, non semel hoc æuo Catholicæ Religionis perduelles; quibus nihil vsitatius, quàm omnigenere criminationum abundantissimis chartis Reges & Principes exstimulare, vt summi Pontificis auctoritatem ex ditionibus suis exterminent ac proscribant, exterminãdi ipsi, & in sempiternum exilium exigendi, vt tandem finem fraudibus & imposturis suis imponant.

Et ne hoc innocentibus affingere videar, recitabo sanguinarium Celeusma Lutheri; ex libro illius planè diabolico, quem Germanicè scripsit & inscripsit: *De Papatu à Diabolo fundato.* Ne autem caussẽtur non rectè à me Lutheri verba in latinum conuersa esse, dabo non meã interpretationem, sed Matthæi Iudicis, seditiosissimi itidem Prædicantis. Ita ergò furit Islebiensis Furippus.

Iud. in Mandato, quomodo se quisquis aduersus Papatum gerere debeat.

Nunc agite, ô Cæsar, Reges, Principes, & Magnates, & quicunque prehendere potestis, apprehendite. Maledicta sit manus otiosa & ignaua. Et primùm eripite Pontifici Romam, Romandiolã, Vrbinam, Bononiam, & omnia quæ tenet, & possidet eo nomine, quod Pontifex sit: nam ille est possessor pessimæ fidei, mendaciis ac fraudibus acquisiuit omnia. At quid dico mendaciis & cædibus? Imò blasphemiis suis & idololatriis Imperio Romano subtraxit & eripuit & sibi subiecit, & mercedis loco sua superstitione innumeras animas ad inferos deduxit, sicut ipse iactitat d. 40. cap. si Papa, &c. Deinde magistratus debebat Pontificem & Cardinales, & reliquos eius ordinis, & superstitionis & impuræ sanctitatis consortes capere, eisq́, vt blasphemi solent puniri, linguas per ceruicem extrahere, & præcidere, ac patibulo eas ex ordine redigere,

gere, ad eum planè modum, quo ipsi bullis suis signa appendere solent: licet hæc pœna longè inferior & mitior esset ipsorum blasphemiis & idololatriis. His ritè peractis posset eis sanè concedi, vt in patibulo inter coruos, aut in inferno inter Diabolos, vnum, aut quot pro arbitratu suo vellent, celebrarent Concilia.

In eodem libro sic insanit vesanus Apostata. *Ego verò si Cæsaris essem loco, hoc actutum agerem, cunctos nebulones illos nefarios, Pontificem, Cardinales, & reliquos eius farinæ homines vna quasi catena connexos & succinctos, haud longius, quàm ad tria milliaria, Ostiam nimirum abigerem, soluti enim & discincti vix tam procul abirent eò, quò nollent. Est autem in eo loco piscina quædam, quam Latini mare Tyrrhenum vocant, salubre balneum contra omnes lues, languores, & morbos immundæ sanctitatis Pontificiæ, & omnium Cardinalium, & totius Cathedræ pestilentiæ. In id verò istos mollissimè collocatos, lauarem strenuè. Quod si contingeret, vt aquam ferre abhorrerent, quemadmodum malè feriati & obsessi solent ad aquam trepidare, aliquid illis adiicerem de petra, supra quam ipsi & Ecclesia eorum fundata est, imò de clauibus illis aliquid annecterem, quibus omnia possunt soluere, quæ in cœlo & in terra sunt, vt aquæ imperarent, quæ vellent. Pastorale etiam pedum ac clauam illis oporteret in procinctu esse, quibus aquæ impingerent alapas, adeò graues, vt sibi ex ore & naribus sanguis exundaret. Postremò etiam cum illis vaderent pascua sua, quibus in balneo se recrearent ac reficerent, nimirum vniuersa Decreta, Decretalia, Sexti, Clementinæ, extrauagantes, Bullæ, Indulgentiæ, litteræ Butyrales, Caseales, Lacteales, de collis ipsorũ suspensæ propter omnimodam securitatem. Ausim quiduis deponere, si non ad dimidiam horam in eo balneo in fundum submersi, ab omni sua ægritudine, languore & lue liberentur.* Hactenus Lutherus.

Qui, vt inquit Matthæus Iudex Prædicans, *eandem sententiam paucis annis ante obitum suum pinxit imaginibus illis,*

quæ VVitebergæ impressæ sunt, & postea Ienæ recusæ, in quibus Pontifex & Cardinales de patibulo seu cruce suspenduntur, circumuolitantibus Cacodæmonibus, qui animas eorum excipiunt, & in infernum deferunt, hoc inscripto titulo. Digna merces Papæ Satanismi & Cardinalium suorum, his subiectis rythmis Germanicis:

Wie zeitlich gestrafft solt werden
Bapst vnd Cardinal auff Erden/
Ihr Lästerung verdienet hàt
Wie jhr recht hie gemälet steht/
Quod si pœna corporali
Nunc essent adficiendi
Et Cardinales & Papa
Verè eorum blasphemia
Istam merita mercedem
Quam sic cernis hic depictam.

Schlussel. lib. de Adiaphoristis.

Hæc nefarius Iudex de sacrilego Luthero; quæ & Schlusselburgius repetit; ne seditionum scintillæ olim accensæ exstinguantur. Quorum similia si quis orthodoxus in prædicantes scriberet aut pingeret, an non in rabiem versi cœlum terramq; implorarent; & præ impatientia totam Germaniam ad arma conuocarent? At quando prædicantes cum Luthero suo talia scribunt & pingunt in Pontificem, Cardinales, Episcopos, Sacerdotes, & Monachos; pacem scilicet mundo nunciant, & nil nisi pacem in optatis habent.

FINIS.


EPI-



EPIGRAMMA

IN LVBINVM SPVRCORVM libellorum Patronum.

NOxia damnatis ardere volumina flammis
ROMA pari iussit lege, pariq; iubet.
Talibus inde suas TYBRIS negat ignib⁹ vndas;
Et negat inde suas MARTIA VIRGO suas.
Iam scio, vt cur istos lacrimet LVBINVS ad ignes;
Deleat vt visos lacrima fusa Rogos.



IN HÆRETICOS EORVNdem librorum aduocatos.

QVicquid LABDACIDÆ peccant connubia; quicquid
Fleuit AGENOREO rapta puella sinu;
Quicquid AQVINATES formidant prodere morsus,
Quicquid PELIGNIS dicere Naso timet;
Prodit, & infami LVBINVS margine vulgat,
Et quos LVBINO non pudet esse pares.
Dedoceas veteres si lasciuire poëtas,
Est RHADAMANTEO debita caussa foro:

PRÆTEXTATA loqui nisi norit charta LATINE,
Charta IXIONIIS est laceranda rotis.
ORGIA sola placent, & OPERTA, & sacra COTYTTVS,
Et quæcunq; vagus lustra DECEMBER amat.
IVLIA quæ prohibet, quæ lex SCATINIA punit,
Hæc rentur Calamis non aliena suis.
Cede verecundo tandem LVBINE rubori,
Et noli castis prodere quicquid agis.



ANTI-

ANTIMONIVM PRO DELIRO QVODAM MEDICO, QVI NOMINIS SVI OBLITVS SE BASILIVM DE VARNA NOMINAT;

deliranti eo fine per distinctas Doses porrectum.

VT

EXPVRGATO CEREBRO CVM ALIA, TVM ETIAM HOC DISCAT, quæ nam sit controuersiarum norma, & quis Iudex.

AVCTORE

Iacobo Gretsero, Societatis Iesv Theologo.

(:)





Antimonium in certas Doses distributum,

PRO DELIRO MEDICO QVODAM, QVI nominis sui oblitus se Basilium de Varna nominat;

PRÆPARATIO AD SEQVENTES DOSES.

Tom. 1. operū S. Athanas.



Ncidens in ea, quæ à te scripta sunt, inquit S. Athanasius ad Maximum Philosophum; *tuam quidem pietatem amplectebar; eorum verò temeritatem, qui non intelligunt, neq; quid ipsi loquantur, neq; de quo asseuerationes faciant, diu multumq; admiratus sum. Statueram verò penitus silentium tenere: de rebus enim ita apertis ac sole lucidioribus respondere, nihil aliud est, quàm hominibus tam prauè agentibus, causam improbitatis impudentiæq; suggerere. Atq; idipsum à Saluatore nostro didicimus: Lauanti siquidem manus suas Pilato, ac Iudæorum calumnias recipienti, nullum vlterius verbum fecit: Sed potius*

tius vxori oraculum edidit: vt qui tum inter reos habebatur, nō ex verbis, sed ex viribus Dominus esse crederetur. Cæterum ad cauillationes Caiphæ respondens, professione ipsa, quis esset, indicauit, omnesq; ad sui cognitionem traduxit. Diu igitur, multumq; supersedens, intuensq; impudentiam istorum hominum vitiligationesq; verborum, vix tandem me pudore commouit pro veritate zelus; vt ANTIMONIVM hoc medico porrigerem; quo aduersarius suis verbis, quibus in contradicendo vsus est, euictus, de sententia sua decedat, & recepta fide compescat linguam suam à malo, & labiis suis non loquatur dolum.

Igitur ad monstruosum istud lethiferi serpentis caput mittentes manum, & pertractare omnia admodum illigata ingentibus spinis tortuosi corporis membra cupientes, quem semper precati sumus, etiam atq; etiam domine Iesu precamur, vt det nobis verbum in apertione oris ad destructionem munitionum, cogitationes destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversum scientiam Dei, vt captiuemus omnem intellectum in obedientia tua: quia verè liber ille fit, qui cœperit tibi esse captiuus. Adesto ergo tu officio tuo operi, tuis pro te supra mensuram virium connitentibus. Da hiantia noui serpentis ora, & trementia lethalibus venenis colla conterere; qui facis supra serpentes & scorpiones illæsos credentiū pedes ingredi, ac super aspidē & basiliscum ambulare, & cōculcare leonem & draconem: tribuisque per intrepidam innocentiæ constantis audaciam, vt delectetur infans ab vbere super foramine aspidis: & in cauernam reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittat. Cassian. lib. 7. Imarnat. c. 1. Psal. 90. Isaiæ 11.

Da ergo & nobis in cauernas huius immanissimi ac scelestissimi reguli innocuas manus mittere. Et si in foraminibus quibusdam iam, id est, in sensu humanorum latebras aut cubile habuit, aut oua posuit, aut squamosi tractus semitam dereliquit, aufer ab vniuersis perniciosissimi anguis huius sordidum & ferale

ferale contagium. Extrahe illas perfidiæ immunditias, & obsessas redolenti cœno animas ventilabro sacræ purgationis emunda; vt speluncæ latronum domus orationum sint. Et in quibus nunc,
Esaia 34. *vt scriptum est, diuersoriis, ericij & onocentauri, & pilosi, & diuersorum prodigiorum monstra versantur, in his sancti Spiritus tui dona, id est, fidei & religionis decora resplendeant. Ac sicut eiectis quondam idolorum cultibus, exterminatisq; simulacris, fecisti ex fanis dæmonum templa virtutum: inferens in cauernas serpentum & scorpionum, fulgētis luminis radios; & ex cubilibus errorum ac turpitudinum, domos ornamentorum ac pulchritudinum reddidisti: Ita omnibus, quorum oculos caligo hæreticæ peruersitatis obsedit, lucem misericordiæ tuæ ac veritatis infunde.*

Quid ni cum Helisæo propheta ad te clamem: *Do-*
4. Reg. 6. *mine aperi oculos istorum, vt videant.* Certè si precibus meis, vt olim Helisæi, locum dares, viderent se esse non Hierosolymæ, hoc est, in Ecclesia, sed in medio Samariæ, & Idololatrię. quid hæresis, nisi Idololatria? quid hæreticus nisi Idololatra? quia, Tertulliano teste, *vt na-*
Tertull. contra Prax. cap. 18. *tiones manibus; ita hæreticus verbis idola fabricatur. Nunquid enim inter illos* (hæreticos & ethnicos) *distat, nisi quod Ethnici non credendo credunt; at hæretici credendo non credunt*; vt e-
Tertull. lib. de carne Christi. Vincent. contra Hæret. leganter dicit Tertullianus: *Noua dogmata*, ait Vincentius, *vetus testamentum allegorico sermone deos alienos appellare consueuit; eò quod scilicet ita ab hæreticis ipsorum opiniones sicut gentilibus dijsui obseruentur.*

Sed iam tempus admonet, vt insanienti Antimonium præbeamus: statueram quidem Helleboro nigro curationem tentare; sed dissuasit clarissimus Academiæ Ingolstadiensis Medicus, Antimoniumq; purum putum suasit; addens, *ciniflonem* istum & *carboniperdam* non modò non esse sanabilem tribus anticyris; sed ne omni quidem veratro, quod vnquam vsquam natum, aut posthac

aliis

aliis in annis nascetur. Cum quærerem de Dosi; respondit, modum doseos esse nullum modum: non enim hic locum habere tritum illud: *Est modus in rebus*: nec audiendum Cleobulum cum illo suo: μέτρον ἄριστον; *modus est optimus*; imò hac morbi specie τὸ ἄμετρον ἄριστον εἶναι. Libenter morem gessi experientissimi Medici consilio.

Quid verò si ne hoc quidem tam acri pharmaco saniorem mentem insanus recipiat? Quid ad nos sperati successus frustratio? *Sit voluisse satis. Nunquid ideo negligenda est Medicina, quia nonnullorum est insanabilis pestilentia?* At præ doloris impatientia impotentius & impudentius conuiciabitur. Sed Beatum Nilum audiam; qui inter cæteras parænefes hanc etiam tradit. *Quando conuiciis peteris, considera, an aliquid à te factum sit conuicio dignũ. Si verò nihil à te admissum fuerit: fumum fugientem conuicia esse existimato. Præclare vetus poëta*, ἥδιον οὐδὲν οὐδὲ μουσικώτερον ἐς', ἢ δύνασθαι λοιδορούμενον φέρειν. *Suauius & concinnius nihil est, quàm conuicia æquo animo tolerare.* S. Nilus in suis parænes.

Quocirca hęc vel his similia in animum meum non admittam; licet criminationes non modio, sed ipso horreo phreneticus admetiatur. *Hic ergo me contemnat, & in conspectu meo loquatur talia aduersum me, quasi non possim ego ei aperire os meum? Cur non etiam ego dicam, in quibus eum mæstificare possim. Hic ergo mihi iniurias faciat, quasi vir non sim, quasi vindicare me non possim? Hic me criminetur, quasi ego non possim grauiora in eum componere? Qui talia dicit*, inquit S. Ambrosius, *non est mitis atq; humilis, non est sine tentatione. Tentator eum exagitat, ipse ei tales opiniones inserit. Plerumq; adhibet hominem atq; apponit nequam spiritus, qui hæc illi dicat. Sed tu in petra fixum vestigium tene. Etsi seruus conuitium dicat, iustus tacet. Etsi infirmus contumeliam facit, iustus tacet. Etsi pauper criminetur, iustus non respondet. Hæc sunt arma iusti,* S. Ambros. lib. 1. off. ca. 5.

vt cedendo vincat. sicut periti jaculandi cedentes solent vincere & fugientes grauioribus sequentem vulnerare ictibus. Quid enim est opus moueri, cum audimus conuicia? Cur non imitamur dicentem: Obmutui & humiliatus sum, & silui à bonis?

Psal. 38.

2. Reg. 16.

An hoc dixit tantummodo non etiam fecit David? Imò & fecit, Nam cum ei conuiciaretur Semei filius Iemini, tacebat David, & quamuis septus armis non retorquebat conuicium, non vltionem quærebat, eò vsque, vt dicente sibi Saruiæ filio, quod vindicare in eum vellet, non permiserit. Ibat ergò tanquam mutus & humiliatus; ibat tacens, nec mouebatur, cum vir appellaretur sanguinis, qui erat conscius propriæ mansuetudinis. Non ergò mouebatur conuitiis, cui abundabat bonorum operum conscientia. Itaque is, qui citò iniuria mouetur, facit se dignum videri contumelia, dum vult ea indignus probari. Melior est itaque qui contemnit iniuriam, quàm qui dolet. Qui enim contemnit, quasi non sentiat, ita despicit; qui autem dolet, quasi senserit, torquetur. Hæc verissimè & pulcherrimè S. Ambrosius.

S. Damasc. l. 2. Parallel. c. 81.

Cum te paruulus puer maledictis incessit, in risus argumentum ipsius maledicta vertis; & cum quispiam præ phrenesi, mentis errore affectus, contumeliosis verbis te insectatur, miseratione potius, quàm odio dignum eum cense.

S. Chrys. hom. 4. in 1. cap. Ep. 1. ad Cor.

Conciliemus nobis gentilium (Hæreticorum) beneuolentiam, monet S. Chrysosto. hoc autem consequemur: si non malè facere sed malè pati parati erimus. Nonne pueros videmus, cum gestati à parentibus, gestantis se maxillas percutiunt, quàm libenter mater filio se percutiendam exhibet, vt ira exsaturetur, quam cum posuisse videt, lætatur. Itidem & nos faciamus, & quemadmodum patres erga filios, ita nos cum Gentilibus (hæreticis) disputemus. Pueri namque sunt omnes gentiles. (hæretici) Et hoc eorum quidam dixerunt, quod semper pueri illi, & nemo illorum senex. Vt igitur pueri nullius vtilitatis curam suscipiunt, non secus gentiles (hæretici) omni tempore lusibus vacare volunt, & humi abiecti

abiecti jacent, & humilium rerum desiderio tenentur. Pueri nonnunquã, cum de necessariis rebus verba facimus, quæ dicuntur non intelligunt, sed rident semper. Eiusmodi gentiles (hæretici) *sunt, dum de cœlesti regno disputamus, risu concutiuntur. Et veluti ex ore pueri multa manat saliua, quæ interdum & cibum & potum corrumpit, sic quæ à Gentilium* (Hæreticorum) *ore verba effluunt, & inania & turpia sunt. Et si necessarium cibum præbueris, maledictis dolorem semper tibi creant, & amoueri precantur.*

Nec ideo cessandum est ab adhibenda medicina, quia æger eam ægrè fert, ægreq; patitur. *Qui vitiis nutriendis parcit & fauet*, inquit ille, *ne contristet peccantium voluntatem, tam non est misericors, quàm qui non vult cultrum rapere puero, ne audiat plorantem: & non timet, ne vulneratum doleat, vel extinctum. Non putes tunc te amare seruum tuum, quando eũ non cædis, aut tunc te amare filium tuum, quando ei non das disciplinam; aut tunc te amare vicinum tuum, quando eum non corripis. Non est ista charitas, sed languor. Ferueat charitas ad corrigendum, ad emendandum. Si sunt boni mores, delectent; si sunt mali, emendentur.*

23.q.5.qui vitiis.

S. August. sup. Epist. Ioan. Tract. 7. Refertur à Gratian. 23.q.5. non putes.

Pergendum ergò & durandum est, quidquid vociferetur iste, qui hactenus malus Poeta; Medicus non melior; & Alchymista infelix, nunc derepente ex antro *Smelkinio* Theologus nobis; & Prædicantium Hyperaspistes, propugnatorq; prodiit: ea metamorphosi, qua solent isti confestim è cerdonibus in *Prædicantes*, & rursus ex Prædicantibus in cerdones mutari, quem non multæ literæ, sed furnuli Alchymistici, ad quos perpetuo sessitat, *insanũ* reddiderũt. *Insanum* nomino, qui toto suo libro vix quidquã facit, quàm q in me, & R. P. Tannerũ atrocissima cõuicia non sine summa vociferatione euomit. *Tantum maledicit vtrique; vocando hunc Furiam, hunc aliud jussit*

quod splendida bilis. Verumenimuerò nunc cornu *Stibii* in manus sumpto, agamus, quod instat; dictumq; nobis armemur solenne illud: *Hoc age.* Vtinam misero hoc Stibii cornu vertatur εἰς κέρας ἀμαλθείας *in cornucopiæ & felicitatis.*

Dosis prima, de Consilio, quo Tannerus & Gretserus post Colloquium Ratisbonense libros publicarunt.

SI vel prima verba ægri huius audias, statim exclamabis: *Strychnum bibit*, insanit, mente caret. *Nauiget Anticyram.* Ecce enim quomodo sine ratione ratiocinetur. *Gretserus & Tannerus ediderunt scripta nonnulla post colloquium Ratisbonense: fatentur ergò Euangelicos victoriam obtinuisse.* perinde ac si dicerem: S. Augustinus post institutam, absolutamq; collationem cum Donatistis, euulgauit librum qui inscribitur, *Liber contra Donatistas post collationem*, in quo idem argumentum exsequitur, quod in ipso conuentu Catholicorum & Donatistarum fuerat discussum; ergò S. Augustinus palàm confitetur, victoriam à Donatistis stetisse. Post eandem collationem dederunt Catholici Episcopi Syluanus, Valentinus, Aurelius, Innocentius, Maximinianus, Optatus & alii de Concilio Zertensi prolixam Epistolam *ad populum factionis Donatianæ.* ergò præsules illi hoc facto fassi sunt se succubuisse, palmamq; Donatistas consecutos esse. S. Augustinus ferè post singulos cum Hæreticis conflictus, de successu, caussa, certaminisq; argumento aliquid euulgauit; ergo semper fassus est, Marte parum propitio, cum hostibus sese decertasse. Et vt promamus exempla, quæ delitamen-

ramenta medici nostri clarius oculis subiiciant; Hunnius, Rungius, Daniel Mercator; Balduinus, Eluicus, & quis non de grege Prædicantium? totam Germaniam, vix dum finito colloquio, chartis oppleuerunt. Fatentur ergò caussam à se fuisse amissam; à Pontificiis obtentam. *Si enim liquidum est succubuisse Pontificiam caussam, Lutheranam verò vicisse, & de judicio Ecclesiæ, recteq; sentientium, cui rem commiserunt sæpius, non dubitandum, quid attinebat scriptionibus mendacissimis, sibi patrocinia quærere? An persuasum sibi habent, Acheronta mouendum esse, quando veritas diuina ab ipsis discessit? num quod improbè commissum est, mendaciis in integrum restituetur? Aut corrigunt sententiam Protocolli, aut stabiliunt pòst editis scriptis. Illud victoriam aduersariis decernit; hoc absurditates cumulat. Vtro velint, gaudeant.* En quam bellè stulta oratio ad suum Varnam redeat. qui, vt ait, *Gretserum Hunnio ex arte tractandum relinquit*: ipse frustula tantum hinc inde ex meo libro, carpendi gratia, excerpit. Qua arte Hunnius aut Hunnianus quispiam emissarius me tractaturus sit, jam scio, arte videlicet mentiendi, calumniandi, criminandi, clamandi, declamandi, vociferandi, vno verbo, arte inscitiæ & ignorantiæ, in qua Prædicantes insigniter excellunt. Hac arte me & mea tractabit Hunnius, quam vnam tu quoque doctus es. In qua profectò arte ego nunquam aut te, aut Hunnium, aut alium quemcunq; de ludo vestro rabulam superare desideraui, non enim tantummodò *egregium est scire vincere*, inquit Plutarchus, *sed etiam posse vinci pulchrum est, vbi victoria est damnosa, cum sit reuera etiam Cadméa quædam victoria. Possumq; huius sententiæ testem laudare Euripidem illum sapientem, cuius hæc sunt verba*:

Verba fictitia Varnæ.

Plut. lib. de Educat. lib.

Dicentibus duobus, irato altero,
Qui non repugnat dictis, est sapientior.

Dosis secunda. De Romanorum Pontificum reprehensione.

IN Epistola ad Serenissimum vtriusq; Bauariæ Principem ALBERTVM commemoraui, quæ & quanta conuicia Hunnius in summum Pontificem, omnesq; Ecclesiæ Catholicæ ordines jaciat. Medicus noster ait id factum, πληροφορίᾳ *sacris litteris consueta, zeloq; pio.* Ergò jam tandem intelligo, quidnam sit illa apud Lutheranos tam decantata *plerophoria*; quis pius ille Zelus, quo ardent. Nihil videlicet aliud est, quàm impotentissima & impudentissima libido criminandi; & atrocissima conuicia in obuios quosq; emittendi: Qua *plerophoria* Hunnius πληροφορηθεὶς, & ab imo ad summum vsq; fartus, vocauit Pontifices Romanos, *Diabolos incarnatos, bipedum nequissimos nebulones; Pœnis perfidiores, &c.* Patres Concilii Tridentini *Asinos Tridentinos, Beanos Tridentinos, Bacchantes Tridentinos*, omnes Catholicos Scriptores *Asinos Romanenses*. Cardinalem Bellarminum, *belluam, proteruum sycophantam*; Ecclesiam Romanam, *Famosum & sanguinarium scortum Babylonicum*. Mitto cætera, quæ omnibus pagellis operum Huñianorum obuia, & quæ numerare nō facilis labor. Hæccine est illa tam celebrata Lutheranorum *plerophoria*, & quidem ex sacris litteris hausta? Ex illisne litteris, quorum hoc est præceptum: *Benedicite maledicentibus vobis, & orate pro calumniantibus vos.* Et hoc: *Noli vinci à malo, sed vince in malo bonum.*

Luc. 6.
Rom. 12.

Cum Michael Archangelus *cum Diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore*, ait S. Apostolus Iudas in sua Epistola Canonica: *non est ausus judicium inferre blasphemiæ*,

hoc

hoc est, vt Interpretes explicant, non est ausus maledictis diabolū incessere; ob reuerentiā quā Angelicæ naturæ habebat. Sed dixit: *Imperet tibi Dominus.* Isti autem nostri cum sua *plerophoria, quæcunq; quidem ignorant, blasphemant, dominationem autem spernunt, maiestatem verò blasphemant*; & nisi integra conuitiorum plaustra in Pontificem Orthodoxosque exonerent, suo se munere non probè functos existimant: idq; sine vllo vllius officii, aut humanitatis, quam funditus exuerunt, intuitu, nihil pensi habentes, ad quos conuiciorum ignominia redundet. Deus immortalis, si quis Lutherum, qui nihil est aliud, quàm *flagitiosus Apostata*, *Diabolum incarnatum* appellaret, quos Prædicantes non darent gemitus; in quos clamores ora sua non resoluerent, quasi conuicium hoc non modò Lutherum, sed & Principes Confessionis Augustanæ obliquè & ex latere feriret. Nunc cū Christi Vicarios, Petri successores, cum quibus præcipui Romani Imperii Principes communione junguntur, *Diabolos incarnatos* nominăt, fauendum est linguis, *bonum factum* acclamandum, & prædicanda Lutherana *plerophoria*, admirandusque pius Zelus. *Quid pulchra vocabula pigris prætentas vitiis? probitatis inertia nomen, Iustitiæ formido subit*, imò nequitia, linguæ rabies & furor, *plerophoria*, & *pii zeli.*

At Pontifex persequitur nos, inquiunt isti; Non vos, ô boni, sed hæresin vestram. *Pastor in oue errabunda non persequitur ouem, sed errorem ouis.* *Non persequimur vos*, aiebat Petiliano Sanctus Augustinus, *nisi quemadmodum veritas persequitur falsitatem*, *de persecutione vestra querela sedabitur*, inquit ille idem Sanctus Augustinus: *Si cogitetis & intelligatis prius, non omnem persecutionem esse culpabilem. Alioqui non* *lau-*

S. Aug. li. 2. cont. Petilian. c. 81.
S. Aug. lib. de vni. Eccl. c. 17
Ref. Grat. 23. q. 4. qui peccat.

laudabiliter diceretur: Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar. Nam quotidiè videmus & filium de patre tanquã de persecutore suo conqueri, & coniugem de marito, & seruum de domino, & colonum de possessore, & reum de judice, & militem vel prouincialem de Duce vel Rege, cum illi plerunque ordinatissima potestate homines sibi subditos per terrores leuiorum pœnarum à grauioribus malis prohibeant, atq; compescant: plerumque autem à bona vita, & à bonis factis minãdo, & sæuiendo deterreãt. Sed cum à malo & illicito prohibent, correctores & consultores sunt: cum autem à bono & licito; persecutores & oppressores sunt. Culpantur etiam qui prohibent à malo, si modum peccati modus coercitionis excedat.

Persecutionem ergò patimini à Papa, vt Pseudoprophetæ illi ab Helia, non vt Helias ipse à Rege illo iniquo. Et vt Pontifices vos persequerentur, eo modo, quo Christianos persecutus est Nero; an ideo immanissimó hoc conuicio *diabolorum incarnatorum* verberandi essent ab hominibus Euangelicam mansuetudinem profitentibus? A Nerone occisus est vterq; Apostolus Petrus & Paulus. Ostende, vbinam Neronem ob iniurias & sibi, & aliis Christianis illatas *Diabolum incarnatum* vocarint. Quid molestiarum non intulit Pharao Moysi, Aaroni, totiq; populo Israelitico? Num Hunniana tela in Regem illum torserunt, *diabolosq́ incarnatos* ingeminarunt?

Ait Medicus. *Principem, quo plura huiusmodi ornamẽta Papæ audierit, eò magis à Papa abalienatum iri.* Falleris miser. Eò magis à Luthero & Lutherano genio (qui quantus quantus, ex calumniis confutus est) abalienatur quò plura & atrociora conuicia ab eo fundi videt. Quis enim credat Deum in ore illo esse, & per os illud cœlestẽ doctrinam mortalibus pandere, quod nihil nisi *diabolos incarnatos, asinos, nequissimos bipedum nebulones*, & millena

talia

talia crepat. Sapientiam cœlestem ait S. Iacobus *esse modestam* verbis nimirum & factis; At illam quæ *desursum* non descendit esse *terrenam, animalem, diabolicam*, hoc est, calumniatricem & criminatricem. Quibus vtriusq; sapientiæ proprietatibus vtrinq; constitutis, & attentè consideratis; statim liquet, quænam ex illis pectora & ora vestra possideat, & qua impulsi loquamini, vt proinde Serenissimus Princeps *Albertus*, vobis conuicia in Pontifices effundentibus, non magis abalienetur à Pontificibus, quam abalienati sunt serui & Comites Regis Dauidis, cum Semei Hunniana illa spicula in Dauidem vibraret. *Egredere, egredere, vir sanguinum, & vir Belial.* Parum aberat, quin spiritu Hunniano instinctus, diceret: *Egredere, egredere, Diabole incarnate.* Hoc enim, aut simile quiddam est, *vir Belial.* 2. Reg. 16.

Quòd Iesuitas Medicus *teterrimas bestias, & ex Diaboli larua in Angelum lucis transformatas* vocat, agnosco delirantis nouum paroxismum. Nouum bolum meretur de Antimonio. Quanquam cerebrum tam inuersum; *quæ poterunt vnquam satis expurgare cicutæ?* Sed reprimo me, ne suum mihi vitium affricuisse videatur febricitãs iste Alchymista. *Si inferam contumeliam, dicetur; ambo conuiciati sunt*, inquit S. Ambrosius. *Vterq; condemnatur, nemo absoluitur. Ergò illius est studium, vt irritet, vt similia illi loquar: similia agam. Iusti est autem dissimulare, nihil loqui, tenere bonæ fructum conscientiæ, plus committere bonorum judicio, quàm criminantis insolentiæ, contentum esse grauitate morum suorum. Hoc est enim silere à bonis, quia benè sibi conscius, falsis non debet moueri, nec æstimare plus ponderis in alieno esse conuicio, quàm in suo testimonio. Ita fit, vt etiam humilitatem custodiat.* S. Ambro. l. 1. offi. c. 5.

Porrò ſi imperitia inſanis crimini dari poſſet, meritò poſſet hoc loco fictitius Varna imperitiæ accuſari: cum enim in gratiam Sereniſſimi Principis *Alberti* blã-do ſermone irrepere tentet, contra artis præſcriptum erat, eos, à quibus Principem ab omni parte *obſideri* mentitur, *teterrimas beſtias, & Diaboli laruas* appellitare: ſtatim enim aduertet prudentiſſimus Princeps, te merum ſycophantam eſſe, quando à tantis calumniis exordium ducis. Si ego Principis alicuius, qui Auguſtanam Confeſſionem ſectatur, beneuolentiam mihi conciliare ſtuderem; Prædicanteſque, vt Hunnium, & alios tali Dynaſtæ gratos & acceptos, vocarem, boni auſpicii cauſa, *teterrimas beſtias*, & *Diaboli laruas*; an non pro gratia odium è veſtigio reportarem?

Legat Princeps, ait noſter patiens, *non quæ Gretſerus, & alii dicunt, ſed quæ inter Pontificios ipſos extant de vita Pontificum Romanorum hiſtorias, easq; non à recentibus corraſas, corruptasq; ſed vetuſtiſſimis exemplaribus ipſorum auctorũ verbis integrè conſcriptas, easq; conferat cum antiquitate ſynceriore ante Papatum, & ſacris literis, nec credat ideo Papatum eſſe antiquum, quia Papiſtæ ad eum ſtabiliendum accommodant antiquorum verba, ſed res intueatur, & quàm diſsimilis ſit Papatus veteri Eccleſiæ, verum aut falſum ſcripſerint Euangelici, ad amuſsim cognoſcet.* En Orationem, cuius tam variæ *finguntur ſpecies, vt nec pes, nec caput vni reddatur formæ.*

Vult à Principe legi *vetuſtiſsimas Romanorum Pontificum hiſtorias.* Idem & ego volo. nec opto, vt plus mihi Princeps credat, quàm ex veterum monumentis demõſtrem. Sed quænam ſunt vetuſtiſſimæ illæ de Romanorũ Pontificum vita hiſtoriæ? Cur reticuiſti? Auctor fuiſſem Principi, vt quamprimum vetuſtiſſimas illas hiſtorias ſibi compararet; imò ſine mora auctor ero; ſi nomines.

Sed

Sed loco vetustissimarum historiarum dabis tu nobis recentissimas nænias Balæi & Magdeburgensium: loco veracissimarum, falsissimas & fabulosissimas, pluribus propemodum mendaciis, conuiciisque constantes, quàm verbis, scilicet hûc Principem vocari & diuertere velles. At ego Principem meum ducam ad Anastasium Bibliothecarium Moguntinis typis non ita pridem publicatum; Auctorem antiquum & probæ notæ. Ducam ad Luitprandum & Albonem, quos eadem Moguntia nuper nobis suppeditauit, ducam ad alios Balæo & Centuriatoribus longè antiquiores, fideliores, & veritatis amantiores. In nullo reperiet Pontifices Romanos esse *Diabolos incarnatos, bipedum nebulones nequissimos.* Ne ipsi quidem veteres Hæretici Ariani, quanquam pestilentissimi, Sedique Apostolicæ infensissimi, conuicia tam *Diabolica* in Pontifices euomuerunt, vt proinde veterum Hæreticorum non simplex, sed duplex, immò multiplex calumniator spiritus in vestra secta habitare videatur: cui nihil dulcius & jucundius, quam conuitiorum, vt sic dicam; halare mephitim.

Quid porrò monstri illud; cum jubet, *vt Serenissimus historias de vitis Paparum ante Papatum euoluat.* Fuerunt ne Papæ, quorum historiæ exstent, ante *Papatum?* An non primus Papa in omnibus historicorum monumentis sanctus Petrus? An non cum eodem *Papatus* est natus? Aut si Papæ fuerunt ante *Papatum*; edat illorum nomina? Doceat, quis ex *Papis Papatum* inuenerit. Inspiciat tabulas, in quibus perpetua, & nusquam interrupta serie sese consequuntur Papæ à S. Petro vsque ad hodiernum Clementem VIII. digitoque intento monstret, quisnam ex illis Pa-

pis *Papatus* auctor fuerit; si non à *S.* Petro vt Paparum, ita & *Papatus* ordo descendit.

Si ex Hunnio perconter, vnde sit *Papatus*, expeditè jam dudum respondit; *esse à Diabolo*, sed quàm certum est responsum hoc proficisci à Diabolo, tam certum est *Papatum* à Christo & S. Petro esse, *Papatumq;* à Papis dici; ac proinde videat, quo loco S. Petrum, & alios Papas Hunnius reponat. Etsi quid opus videre? Iam mentem suam aperuit Hunnius, dum Papas *diabolos incarnatos* esse blasphemauit. En Serenissime Princeps *Alberte*, quò impietatis impostores isti procedant.

Lepidum verò illud est, cum monet Principem, ne *credat Papatum esse antiquum, tametsi antiquorum verba ad stabiliendum Papatum proferantur.* Fatua admonitio. Cui enim potius fides prębenda, ei, qui perspicuis argumentis ex ipsa perpetua Paparum successione euidenter demonstrat, Papatum esse à *S.* Petro, an illis, qui ex sola conuiciandi libidine mentiuntur, eum post aliquot saecula *à Diabolo* in orbem terrarum inuectum esse. Si quaeras, ante quot saecula. haerent. Si rursum petas, quis primus Papa fuerit; per quem *Papatus* iste introductus sit, magis adhuc haesitant, & quia non habent, quod dicant, nec tamen silere valent, ad blasphemias & criminationes relabuntur, & in iisdem semper oberrant.

Imitantur nimirum Lutherum parentem suum, quem in maledicentia, & conuiciandi petulantia nemo aut veterum, aut recentiorum haeresiarcharum superasse, aut etiam aequasse videtur. Ita vt jam olim Erasmus de libris Lutheri hoc judicium verissimè tulerit. *Si tollas è libris Lutheri hyperbolas, conuicia, facetias, tautologias, extragodismos, asseuerationes, ad haec quae illi conueniunt cum Ioanne Huß, & Ioanne VViclepho, aliisq; nonnullis, fortassè non multum restabit, quo veluti proprio glorietur.*

Erasm. purga. aduers. Epist. Lutheri.

In

In eandem sententiam Tigurini Ministri. *pleraque Lutheri scripta & conuicia, & criminationes nihil aliud ferè continent, adeò vt licet argumentum nonnunquam solidum & firmum inueniat, idem tamen sat fœdis & diris verbis farcit & onerat, vt saniorem doctrinam sub tam diris criminationibus latentem vix possis deprehendere.* Hanc conuiciandi pruriginem manare à Luthero ad Prædicantes, tradunt iidem Zvvingliani. *Magna & plus satis magna eorum concionatorũ est copia, qui ex Lutheri libris, lœdoriis & mordacitatibus ingentẽ maledictorum vim colligentes, eandem illam postea in publico suggestu in miserum Domini gregem exonerant.* Addunt, ex huiusmodi *pastorum exemplo indignum illud conuiciandi & calumniandi studium in totam quoq; plebem sese diffundere, vt plerique istorum, qui cum primis Euangelici videri volunt, suum illud Euangelii studium maledictis solummodo & amarulentis dicteriis testari velint. Et hoc deinde apud plures hominum laudem meretur. Lutherus enim Germanorum Propheta & Apostolus idem facere consueuit. Hinc autem fit, vt insigne scelus virtutis loco habeatur; vnde plurimum offendiculi manare videmus.* Ita Zvvingliani. *Tigurin. Minist. in sua Confess. cont. Luth.*

Dosis tertia, de citatione sacræ scripturæ.

QVomodo scripturam citetis & tractetis, jam supra ostendi in præfatione ad *Lectorem*, ostendi & alibi, ostendamq; posthac, quoties occasio dabitur. Hic paucis me expediam, scripturam legitis, citatis, tractatis, explicatis, sicut Iudæi. Vt enim isti ad omnia testimonia, quæ pro aduentu & diuinitate veri Messiæ adferuntur, varia, tametsi absurda, habent effugia; ita & vos omnis

generis diuerticula quæritis; quæcunq; testimonia pro veritatis defensione ex scriptura depromantur. Et vt Iudæi ex scriptura contra scripturæ dominum & auctorem, hoc est, contra Christum argumentantur; ita & vos. Vtrique videlicet non ex scripturæ, sed ex proprio sensu & cerebro. Citatis, tractatisque scripturas more omnium Hæreticorum, quotquot ad hunc vsque diem exstiterunt. Vt nominibus discrepetis, in hac certè vanitate omnes conuenitis. Sic Arius agglomerabat scripturas, sic Eunomius, sic Nestorius, sic Eutyches, sic Seuerus, sic, vt ad posteriores veniam; Wiclephus, sic Hussus, sic Albigēses, sic Petrus Waldus cū suis VValdensibus, sic vno verbo, cæteri omnes. Quin & hoc à VValdo, VViclepho, & Husso didicistis, vt Biblia in vernaculam linguam translata infimæ quoq; multitudini legenda obtrudatis. Quo consequimini id, quod VValdus & Hussus hac sua diligentia præpostera consecuti sunt. Quid illud? Audi tuum Illyricum de VValdo & VValdensibus, ex nescio quo vetusto Codice hęc denarrantem. *Nouum testamentum & vetus vulgariter transtulerunt, & sic docent & discunt, &c. & quia sunt Laici Idiotæ falsè & corruptè exponunt scripturam, vt Ioannis 5. Sui, id est porci eum non receperunt (sui dicentes, id est, sues. Et in Psalmo: increpa feras arundinis, dicunt, reflectere diu terræ,* die Schwalmen/ *arundinis pro hirundinis. Psalmis etiam imponunt titulos:* der meide Psalm. *Exurgat Deus,* der Raach Psalm. *De profundis* der Roß Psalm. *& sic deinceps.*

Illyric. in cat. test. verit.

De Husso hæc Cochlæus. *Instituit pellifices, sutores, & sartores, & id genus alios mechanicos, qui crebris concionibus operam dantes, & sacras litteras in vernaculam linguam translatas feruidè legentes, cum sacerdotibus coram plebe disputarent. Et non solùm viri, sed & Begutta, aliaq; mulieres, eò audacia & inuerecundia*

Cochl. l. 1. hist. Hußit.

recundia prorupèrunt, vt de sacris litteris disserere, & Presbyteris certamina mouere præsumerent, Quin etiam libros componerent, de quarum vna sic habetur in antiquo cuiusdam Boemi (cuius nomen non habetur expressum) volumine. Hæc enim mulier Iezabel, magna comminatione in seruos Dei deseuiens, ludens & illudens sanctis scripturis non sanctam Ecclesiam, sed suam propriam sectam attollens, sic mentitur & dicit. Quod in omni statu, specialiter in spirituali, nec vnus quidem, exclusis Hußitis, inueniri potest, qui vitam suam spiritualiter & honestè agere, verbum Dei in Spiritu sancto prædicare posset. Et vt pro se & suis duntaxat vitæ sanctitatem & prædicationis veritatem reseruet, cæteris exclusis, tanquam reprobatis & reprobis, materiam suæ præsumptionis continuat, &c. Cuius tractatus summa deuotione suæ sectæ sexus promiscui susceptus est, legitur, & pro magni muneris tenetur reuerentia, quod & mulier ad gloriam scripturarum miræ subtilitatis ingenio, Magistri Huss, & suorum sequacium nouerit defendere veritatem, sed potius ventosam vanitatem, &c.

Idem quod VValdenses & Hussitæ efficitis vos *Lu*therani citatione, recitatione, & lectione scripturæ, & nihil aliud, quia eodem spiritu, quo illi Hæretici, ad scripturam acceditis. *Omnes tument*, inquit Tertullianus, *omnes scientiam pollicentur. Ipsæ mulieres hæreticæ quam procaces, quæ audeant docere, contendere. Sanctè affirmare possum*, inquit Hunnius, *reperire apud nos, immenso Dei beneficio, non modò viros, sed etiam fœminas complures, quæ ex sacrorum bibliorum lectione tenent, & ad vsum suum accommodare norunt præclarißima quæq; scripturæ dicta, quæ diuini spiritus consolationem spirant efficacißimam: velut illud Ezech. 33. Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat.* Et illud Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, &c. Item Ioan. 6. Hæc est voluntas eius, qui misit me, vt oĩs qui videt filiũ, & credit in eum, habeat vitam æternã. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiã*

Tertull. de præscript.

Hunn. l. 2. con. Bellar. c. 15.

vos. Sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato. Iste est propitiatio pro peccatis nostris, non nostris autem tantum, sed etiam totius mundi: aliaq; innumera dicta. Quæ nostri homines, Deo per verbum suum operante, ad erigendas suas conscientias, etiam in morte norunt piè traducere.

Ecce quantam lucem, quantam consolationem adferunt & pariunt isti scripturæ citatores, recitatores & lectores mundo. Quis ex Pontificiis sententias ab Hunnio adductas nouit, quis vnquam legit, quis vnquam audiuit, quis vsurpauit? Etsi, fateor, neminem ex Catholicis nosse, legisse, audisse, vel vsurpasse, sensu Lutherano, quo solo faucibus istorum dulciores sunt, quàm mel & fauus. Placet autem, quod ait: istos suos *sententias scripturæ traducere*; sed piè: Quia scripturam malè accipiendo tam se, quàm scripturam ipsam traducunt, hoc est, ludibrio habent; non piè, sed prorsus delirè.

Lubet porrò ex te quærere, quomodo aut tu, qui Alchymista es, & carbonarius, aut Hunniani illi de triuio opifices & mulieres, scripturam intelligant, si non mentitur Lutherus, de quo hæc in sermonibus conuiualibus, seu in Thalia Lutherana produntur. *Alio tempore dicebat Lutherus, neminem cogitare debere, quod vel modicè scripturam olfecerit; nisi centum annis Ecclesiam cum Prophetis, Ioanne Baptista & Apostolis gubernarit.* Hoc si verum est, non video, quo ore adeò scripturam jactetis, citetis & recitetis, cum eam ne eminus quidem salutaueritis; nisi fortè nobis persuadere potes; aut te, aut Hunnium, aut ipsum Lutherũ, aut *sellularios* vestros & *coriarios*, & *vitriolarios*, & *furnarios*, & eiusdem tribus alios centum annis Ecclesiam cum Prophetis, Ioanne Baptista & Apostolis rexisse.

Luth. Sermo. conuiu. tit. de verbo Dei.

Ibidem hæc fundit Lutherus axiomata & oracula. *Virgilium in Bucolicis nemo potest intelligere, nisi fuerit quinq; annis*

annis pastor. Virgilium in Georgicis nemo potest intelligere, nisi fuerit quinq; annis agricola. Ciceronem in Epistolis (sic præcipio) nemo integrè intelligit, nisi viginti annis sit versatus in aliqua Republica insigni: Scripturas sanctas sciat se nemo degustasse satis, nisi centum annis cum Prophetis, vt Elia, Helisæo, Ioanne Baptista, Christo, & Apostolis, Ecclesias gubernârit. Hanc tu ne diuinam Æneida tenta, sed vestigia pronus adora. Si hæc Islebici Vatis effata vera sunt, quomodo cum vero concinent, quæ tanta arrogantia de scripturarum intelligentia omnibus communi jactatis? Ipsi quidem non appellant arrogantiam, sed honesto virtutis vocabulo turpitudinem vitii tegunt.

Hæretici, inquit Lutherus, *nominant* (confidentiam istam) *plerophoriam & certitudinem doctrinæ, sic vocantes insitam & innatam cordis arrogantiam; præsumptionem & contumaciam, qua quis proprii sensus tenax est, quem semel hausit, & ad scripturam, eo præoccupatus, attulit.*

Obiicit Alchimista. *Etiam à Pontificiis scripturam citari.* Non nego: neq; vobis citationem sacræ scripturæ vitio vertimus, sed malam, improbam, hæreticam. Nos citamus scripturam, vt Augustinus, Athanasius, Basilius, Gregorius, alii. Tu & tui, vt Petilianus, Cresconius, Parmenianus, Arius, Photinus, Sabellius, & similes. Ad scripturam confugimus, cùm vobiscum disputamus; at non vt ad Iudicem illum ordinarium, visibilem, omnibus controuersiis definiendis præpositum; sed vt ad Iudicis huius normam; non vnicam; sed partialem. Patres adducimus vt Magistros, & oculos Ecclesiæ, eo fine, quo eos adduxit sanctus Augustinus disputans aduersus Iulianum Pelagianum, & eo, quo Patres Concilii Ephesini agentes aduersus Nestorii blasphemas nouitates. Tu & tui, interdum Patres adfertis, eo modo & consilio, quo

olim. Iulianus Pelagianus, Nestorius, Seuerus, & id genus alii veteres, recentioresq; sectarii, non vt discipuli Magistros, sed vt Magistri discipulos. si tamen tanto honore sanctos Patres dignamini. non iniuria enim suspicetur quis vos idem sentire de omnibus vniuersim, quod sensit & scripsit Lutherus de sancto Hieronymo, & sancto Chrysostomo speciatim. *Hieronymus numerandus non est in Ecclesiæ Doctoribus, quia Hæreticus fuit, &c. De Christo nihil loquitur, nisi quod in solo ore nomen eius habuit. Nullum noui ex Doctoribus, quem adeò oderim ac Hieronymum, quia tantum scribit de jeiunio, de delectu ciborum, de virginitate, &c. Nihil docet de fide, nihil de spe nihil de charitate, nihil de operibus fidei: Doctor Staupitius de illo dicere solebat. Equidem libenter cognoscerem quomodo beatitudinem adeptus sit. Nollem profectò Hieronymum fuisse meum concionatorem, adeò est mirabilis.*

Lut. Serm. cōuiua. tit. de Scholast. Theolog.

Simile judicium tulit Lutherus de Chrysostomo. *Cum eloquens & loquax esset, magnam sibi peperit existimationem, magniq; ab omnibus habebatur, multos libros componebat præclaros specie, sed nihil erant, nisi rudis & indigesta moles, chaos immensum, saccus verbis refertus, quibus nihil subest.* Hæc cum Lutherus de præclarissimis illis Patribus effutire nō erubuerit, nunquam mihi persuadebitis, vos bona opinione de patribus imbutos esse, nisi Lutherum palàm mēdacii & calumniæ arguatis.

Redeo ad vestrum citandi scripturas morem & modum, qui qualis sit, quàm pulchrè connexus, quamq; vniter aptus, docuit olim non illepide quidam Prædicantibus benè notus. *Pueri nunquid habetis pulmentarium? & ipsi attulerunt ei paralyticum.* Quam bellè conuenit factum hoc cum quæstione, tam bellè conueniunt vestrę citationes scripturæ cum legitimo scripturæ sensu.

Cæte-

Cæterum vt citationis Lutheranæ ſpecimen videamus, non longè abire oportet. Ipſe Alchymiſta ex ſuis fornaculis hic nobis diſtillatum exemplum promit. *Fundamentum Eccleſiæ eſt ſcriptura, ad Epheſ.6. & Pſal.36. verſ.9. & ſeq. filii hominum in tegmine alarum tuarum ſperabunt. Inebriabuntur à pinguedine domus tuæ, & torrente voluptatis potabis eos: Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. ergo Lutherani vero & legitimo ſenſu ſcripturam allegant. Qui in libertate Chriſti ambulant, illis patet ſcriptura; Qui verò in lege traditionum ſunt, illis manet velamen. 2. Cor.3. ergo nos Lutherani ſcripturam ipſi Spiritus ſancti menti conuenienter allegamus.* An non, candide Lector, Paracelſi morionem hic agnoſcis? nullus enim ex omnibus Theophraſticis morionibus tàm inſulsè & imperitè argumentaretur. Haud abſque cauſſa librum de morionibus iſtis edidit noſter Alchymiſta; dedit aliquid cognationi & neceſſitudini.

Doſis IV. de Ratione.

DIxerat Hunius *rationem cæcam eſſe*. Id ita eſſe, operosè probat meus Chymicus. At quid opus probatione? Concedo tuam, Hunnii, & omnium Prædicantium rationem magis eſſe cæcam, quàm oculis fuerit cæcus Appius, aut Tireſias, aut Timæus, *Bartimæi filius*; Et ſi liberalitas mea vobis nec dum ſufficit, non grauatè annuam vos non cæcos, ſed non videntes eſſe, ſine vlla aptitudine ad viſum recipiendum, ſaxorum inſtar. Quid vultis amplius?

Occurrit hîc, quòd Medicus iſte alicubi refert ex Paracelſo, *ſapientes fieri à Vulcano induſtrio; moriones velò*

malè operante Vulcano, vel à discipulis imperitis, & in instrumẽtorum fabrica aberrantibus. Si ratio vestra tã cæca est, quàm ipsi palàm profitemini; oportet profectò vos *deteriore luto* confectos esse, quibus artifex *nihil ætherei sparsit per membra vigoris*: *Qui pecudum ritu non impendentia vitant, nec res ante vident, accepta clade queruntur, & serò transacta gemunt.*

Ratio, aiebat Hunnius, *cæca est*. Non ergò mirum, vos tam peruersè & inscitè ratiocinari; quia cæci estis. Dices; *in diuinis cæca est ratio, non in aliis*. Non contendo. Si in diuinis cæca est, nihil ergò in diuinis videtis, quod tibi & Hunnio promptissimè concedo. Cæci estis, & plus quàm cæcus ille ab ortu, cui lux beneficio Christi obtigit. At si ratio in diuinis *cæca est*, quis ergò de diuinis ratiocinabitur? Fortè Æthiopes Virgiliani, quos tu proprio libro candefecisti? Dices, rationem in diuinis cæcam esse, nisi illustretur lumine diuino. Atqui hoc ipsum & nos dicimus: sed jam quæstio est: vtrum hæc lux vobis illuxerit; an verò sitis Nyctoblepæ, quibus caligo, lux, tenebræ, splendor, sicut & noctuis, vlulis, vespertilionibus. Ex horum genere te, tuumq; Hunnium esse didici ex tuo de *Nyctoblepis* libro. Ratio cæca est, hoc est, per se præcisè considerata, ad sublimia & cœlestia illa pertingere nequit, quia sunt supra rationis naturam & conditionem, at accenso fidei lumine in animo, potest ratio disquirere, examinare, & indagare, quid ex fidei articulis sequatur, quid non sequatur, quid fidei sit consentaneum, quid dissentaneum, quid conforme, quid difforme. Nec cæca jam est ratio, quia lumen præpandit fides, cuius munere obscuros illos & abditos rerum diuinarum recessus, peragrat & penetrat.

Sed hic medicus noster rursus specimen edit eius peritiæ, qua Hæretici scripturas tractare solent, mihiq; id,

id, quod ſponte mea mihi perſuadeo, laborioſè probare nititur, nimirum rationem Hunnii, & ſuam eſſe cæcam. *I. Ex propriis argumentandum eſt, non ex peregrinis, ergò ratio cæca eſt in Theologicis rebus. II. Qui argumentatur ex ratione, is argumentatur vt homo, non vt Theologus, ſed hoc non licet, quia Theologus non eſt homo, ergò ratio cæca eſt. III. Sapientia huius mundi eſt ſtultitia apud Deum* 1. *Cor.* 3. *ergò ratio nihil valet in argumentationibus theologicis; Et quamuis argumentari ſit ratiocinari; ratio tamen nihil eſt, niſi ſtultitia. IV. Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter Chriſtum, ergò ratio eſt cæca, vbi de Chriſto agitur. V. S. Paulus prohibet argutias philoſophicas, Coloſſ.* 2. *quomodo ergò Chriſtiani diſputabunt philoſophicè? VI. Fides eſt ex audito verbo Dei, Rom.* 10. *& diſputando fides Theologica eſt facienda & acquirenda. Sequitur ergò quod antea, nempe rationem eſſe cæcam. VII. Affectus carnis eſt inimicitia apud Deum, ergò nihil ex ratione colligere licet. VIII. Animalis homo non accipit ea, quæ ſunt ſpiritus Domini; eſt enim illi ſtultitia. Rurſus ergò habemus id, quod erat demonſtrandum, nempe rationem Alchymiſtæ huius omni lumine prorſus deſtitutam eſſe*, adeò ſtolidè ſcribit: qui longè maius operæ pretium faceret, ſi Theologicis, quæ nec capit, nec capiet, relictis, *Paracelſi de Lunaticis* Tractatum commentariis illuſtraret, aut in ſuo *Reuerberio* Panaceæ Ambaldinæ compoſitionem examinaret.

Doſis quinta. De Iudice diſputationis.

VOmit hîc, vt & paſſim alibi, multa in me conuicia. Aduerſus quæ defendo me, Primò, Apophthegmate Friderici, quod iſte etiam *Stibiarius* vſurpauit alicu-

bi aduersus suos aduersarios. *Præstat vni probo, quàm mille improbis placere.* Secundo, qui genium istius nouit, is non mirabitur, si conuitietur; potius admiraretur, si à conuitiis abstineret: Benè enim dicere non didicit; ideò tantum maledicit. Tollantur ex libris eius impudentissima conuicia, quibus Antagonistas suos Medicos, Alchymistas, Paracelsistas, Ramistas proscindit, & multæ paginæ vacuæ remanebunt. Id verum esse liquido cognoscet Lector, si vel vnum illum librum, quem edidit contra Iosephum Michelium Medicum Middelburgensem, euoluere velit, in quem ita boat & tonat, vt Furiam non hominem meritò ipsum censere queas. Ipse vicissim, si quid in ipsum regeratur, tam impatiens, omnisque Christianæ tolerantiæ immemor est, vt cœlum, terramque imploret, & ad vindictam quoq; politicum magistratum excitet. Hoc enim classicum Middelburgensibus in Michelium canit. *Videbitis, quid de atrocissimo hoc conuiciatore ex officio statuere debeatis. Non est opus, vt pluribus vos admoneam & detineam verbis, &c. quamquam non dubitem, istud capulare senium tam rabiosa maledicentia apud omnes bonos famam honorificam dudum perdidisse, & cum ignominia ad inferos descensurum. Quod si tamen vos in puniendo cunctati fueritis, retorta in istum Iosephum Michelium crimina, maledictaq; quo jure possum, debeoq; volo.* Tandem his verbis à Middelburgensibus digreditur. *Vos valete, & de meis studiis honorificè sentite.* Vbi dubites num roget, an imperet. *Sic volo, sic jubeo;* nemo me tangat, omnes honorificè de me sentiant.

Hæc monere libuit, ne lector nescius esset, quid hominis sub laruato Varna lateat. Conuiciator est & calumniator. Quid mirum, si *stultos, fatuos, blennos, bliteos,*

teos, beanos, & millena talia, quæ à Paracelsi Motionibus didicit, effutiat? Non libet hæc retexere, aut etiam ad auctorem suum remittere. Cui enim bono? Præclarè Tyrius. *Vt qui fuliginosum complexus, non potest non immundus abire à complexu, ita & eum qui iniurio homini congreditur, cumque eo pariter volutatur iniuria, necesse est flagitii partem accipere, deque eiusdem fuligine abire inquinatum. Socrates petitus calce à quodam, cum eum juberetur in jus vocare, ridiculum putabat, asinum, qui percussisset, velle in jus vocare. Cuidam admiranti, quod nihil in eum commoueretur, à quo conuiciis incessebatur, mihi, inquit, non maledicit, quandoquidem ea, quæ dicit, mihi non adsunt, nec in me hærent.* Hoc Socratis facto & dicto defendit se iste Alchymista aduersus Ambaldum, & alios Panacearios. Quo ego longé meliore jure me tueor contra *Lullistæ* huius contumeliosa spicula. *Tyr. serm. 2.*

Nunc ad Iudicem. Laicos posse & debere esse controuersiarum fidei Iudices, probat Alchymista noster aliquot argumentis. *I. Quia Christus Ioann. 7. ipsam Iudæorum turbam Iudicem constituit. Nolite, inquiens, judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate. Ergo laici possunt & debent esse judices. II. Paulus judicium defert Corinthiis: Vos ipsi judicate. 1. Cor. 11. III. Concilio Ephesino Constantinus interfuit, vt præses, & vt comminister, & vt judex, & tamen nondum erat baptizatus, si ergo iste potuit esse controuersiarum judex, cur non & alii? IV. Christus Matthæi 11. gratias agit cœlesti Patri, quod veram doctrinam paruulis reuelarit, & non sapientibus, ergò paruuli, id est, laici possunt esse judices V. Christus alicubi incredulis Pharisæis antefert meretrices & publicãos, ergò nõ modò quiuis laici, sed & laicorũ labes & maculæ, nẽpe meretrices & publicani poßũt esse judices. VI. Paulus in Ecclesia vult loqui prophetas duos vel tres, 1. Co. 14. cæteros diiudi-*

ſequitur ergò toties jam dicta concluſio. VII. Ioann. 6. Omnes dicuntur à Deo docti fore, idq; etiam Hebr. 8. & Hier. 31. & alibi. ergò omnes poſſunt eſſe controuerſiarum Iudices. Si enim omnes ſunt in Eccleſia à Deo docti, ita vt non docturus ſit quisquã proximum ſuum, ſed omnes cognituri ſint à paruulo vſq; ad magnum, quorſum repudiantur judicia politicorum? VIII. Laici æquè ſunt membra Eccleſiæ, ac Eccleſiaſtici, æquè ergò judicare poſſunt de quæſtionibus fidei, ac Eccleſiaſtici. IX. Ipſi Collocutores Pontificii commiſerunt aliquando judicium Auditoribus, inter quos vtiq; erant laici, ergo agnoſcunt laicos pro Iudicibus. X. Si nemo præter Papam & Cardinales poteſt ferre judicium, cur non vocatus fuit Papa ad judicandum? XI. In Eccleſia quilibet Chriſtianus eſt Sacerdos. 1. Pet. 2. Eſaiæ 61. Ergò quilibet poteſt eſſe Iudex.

Hæc Chymicus noſter. Quorum pleraq; jam profligaui in Reſponſo meo ad Theſes Hunnianas. Itaq; paucis me expediam. Ac primum vniuerſim ad omnia reſpondere poſſem, quod non ita pridem ſcripſit quidam, qui ſe Caſparem Laurentium nominat, Lutheranuſne ſit, an Caluinianus liq̃dò exploratũ nõ habeo, ſed q̃ſcũq; ſit, auctoritatem eius non reiiciet iſte Medicus, tum quia honorificis ſuis de Caluiniſtarum ſecta ſermonibus ſæpius jam multis ſuſpicionem mouit, quaſi Lutherum apud Lutheranos duntaxat in ore, Caluinum in pectore ferat, vt ipſemet de ſe teſtatur, tum quia Laurentius iſte idem docet, quod Lutherani Prædicantes, videlicet ſcripturam eſſe omnium controuerſiarum ſolã & vnicã normã, itemq; ſcripturã eſſe oĩm controuerſiarum Iudicem. Vobiſcum ergò in his perfidiæ veſtræ fundamentis præcipuis conuenit.

Lib. de diſput. inſtituend.

At vide num etiam in eo tecum ſit, quod his tuis argumentis conficere tentas; nimirum laicos poſſe & de-

bere

bere esse Iudices controuersiarum fidei. Audi ergò quid dicat Symmysta tuus. *Hoc ante omnia intelligendum est, nullos homines posse caussæ diuinæ Iudices esse. Doctrina Christiana non constituenda est tanquam in foro judiciali; vt se hominum judiciis sistat: sed est tantum proponenda legitimè & religiosè, vt audiatur & reuerenter excipiatur ad salutem. Augustinus de vera religione cap. 9. Iam verò illud videre facillimum est præstantiorem esse judicantem, quàm illa res est, de qua judicatur. Neque debet hîc displicere, quod Plato in Euthydemo dixit,* βραβευταὶ λόγων ῥαβδοῦχοι πρυτανεῖς, vel ἐπιστάται, *hoc est, moderatores, judices, arbitri, & præsides disputationum, si fuerint ipsis disceptãtibus deteriores, non erunt idonei: si pares & similes, paria & similia tantum præstabunt. Quid igitur? Certè non opus est in hac disputatione arbitro & judice, sed vos ipsi omnes, qui rem auditis, simul de tota re statuetis id, quod res postulat. Hæc Plato de disputationum judicio. Ex quibus facilè perspicitur, Moderatores in disputatione de religione omninò constituendos esse, non qui sint causæ diuinæ judices, sed tantum* εὐταξίας *& politici ordinis rectores, & conseruatores: omnes verò ita comparatos esse debere, vt eos audiant, qui verbum Dei proponunt, reiiciantq; ea, quæ verbo Dei aduersantur.*

Ecce Varna, omnia tua argumenta Hæreticus iste vna negatione delet & expungit. Simpliciter enim abnuit Iudices constituendos esse, cum quo qua tandem ratione in concordiam redibis, nisi omnia tua argumenta in spongiam incumbere jubeas? sed ego clementius tecum agam. Concedo Iudices constitui posse, sed non laicos; & ad obiectiones tuas *laicales*, id est, viles & plebeias generatim respondeo, aliud esse Iudicem ordinariũ, publicum, & ex officio, proprieq; dictum, & aliud esse Iudicem *arbitrarium*, seu ex delectu partis aut partium, itemq; Iudicem impropriè dictum, cui nullum aliud fo-

rum, quam propria mens & ratio, in qua jus dicit, & controuersias priuato suo judicio, hoc est, assensu vel dissensu componit.

Quo posito ad primum respondeo, Christum nihil aliud voluisse, quàm vt Iudæi attentè & consideratè vitam, doctrinam, & miracula sua perpenderent, deq; illis judicium rectum formarent, judicium inquam, non publicum, & ex officio, sed priuatum, eo modo, quo quiuis priuatus de re, quam cernit, legit, audit, judicare potest, hoc ipso, quod naturali judicandi facultate præditus est. Neque enim ignorabat Christus judicium publicum, & ex auctoritate officii de religione non ad imperitam multitudinem, sed ad Cathedram Moysis pertinere, in qua jam olim Deus hanc judicandi potestatem constituerat.

Ad secundum respondeo. S. Paulum facere Corinthios Iudices non ex officio, sed quasi arbitrarios, nec in omnibus fidei quæstionibus, sed in vna quadam re, vt fusius dictum in Responso.

Tertium argumentum totum ex imperitia, & mendaciis componitur. Imperitia est, Constantinum Concilio Ephesino interfuisse, volebat, opinor, nominare Concilium Nicænum, occupatoq; in furnulis suis Lullianis & Arnoldicis occurrit synodus Ephesina. Mendacium autem est, Constantinum Magnum tempore Nicæni Concilii nondum salutifero Baptismatis fonte renatum fuisse. Contrarium ex probatissimis & testatissimis antiquæ memoriæ monumentis constat. Si baptizatus non erat, quomodo Episcoporum *comminister*, vt tu loqueris, seu *Coepiscopus* erat? An tu non modò omnes illos, qui sunt in Ecclesia, Sacerdotes & Episcopos facis, sed & illos, qui necdum per Baptismi fores in Ecclesiã intrârunt? Dein-

Deinde falſum eſt Conſtantinum fuiſſe Epiſcoporum *Comminiſtrum*, hoc eſt, *Coepiſcopum*: nam nec pro Epiſcopo, nec pro Coepiſcopo, ſed pro Imperatore ſe geſſit, & ipſemet, ſi vitam nobiſcum viueret, vanitatis & mendacii te redargueret, vt & cum Præſidem & Iudicem nominas, nam nec Præſes, nec Iudex fuit, poſt omnes enim Epiſcopos Conſtãtinus ſubſcripſit, vt teſtatur Baſilius Imperator in fine VIII. Synodi: at Præſes primo loco ſubſcripſit. Deinde Conſtantinus non auſus eſt ſedere, niſi in ſede humiliori, quàm eſſent Epiſcoporum, & annuentibus Epiſcopis, vt colligitur ex Theodoreto libro 1. capi. 7. hiſt. & Euſebio libro 3. de vita Conſtantini. Quomodo ergo Iudex & Præſes fuit? Exſecutor Concilii fuit, vt ais, & hoc ad Principum munus pertinet, vt exſequantur, quæ ſynodi decernunt.

Quarti argumenti Conſequentia eſt vaniſſima, & planè Alchymiſtica; quaſi verò Chriſtus per paruulos intelligat *laicos*; nam ſiue laici, ſiue Eccleſiaſtici ſint, ſi humilitate, manſuetudine, cæterarumque virtutum comitatu ſtipati & ornati ſint, paruuli cenſentur in conſpectu Dei; nec agit Chriſtus eo loco de officio judicandi; ſed de doctrinæ cœleſtis propagatione & receptione, cui longè facilius pauperes ſpiritu, hoc eſt, humiles, tenues, & abiecti aſſẽtiuntur; quàm elati, tumidi, & in excelſo dignitatis loco ſiti. *Videte vocationem veſtram Fratres*, monet Apoſtolus, *quia non multi ſapientes ſecundum carnem* (non multi Corozaitæ, non multi Capharnaitæ) *non multi potentes, non multi nobiles: ſed quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, vt confundat ſapientes, & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non ſunt, vt ea, quæ ſunt, deſtrueret, vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius.*

Quintum argumentum dignum est eorum acumine, qui amplexantur Euangelium in gremio Borrhæ monialis Apostatricis, hoc est, meretricis procreatum. Quæ enim hæc consequentia? *meretrices ob pœnitentiam malè commissorum actam, multos alios in regno cœlorum antecedent: alios, inquam, qui ob peccata vel nullam, vel non tantam pœnitentiam egerunt, ergò Laici sunt judices controuersiarum fidei:* imò & meretrices, quas si Lutherani agnoscere pro judicibus velint, minimè inuidebimus.

Pari inscitia pro suis judicibus argumentatur iste à publicanis: Quid enim publicani aut publicanorum pœnitentia ad officium judicis? Sed Lullus noster quoduis ex quouis distillare nouit. *Facinus indignum*, exclamat Tyrius, *singulis aliis artibus indultum esse, vt nequaquam ad judicium vulgi trahantur, cum neq; licitum sit gubernatorem, qui vel opem tulerit naui, vel exercuerit artem juxta nauticæ ipsius rationem, apud artis ignaros reum fieri: neq; medici alicuius actiones, curationes præceptaq; viuendi, ab ægrotis ipsis inspici, ac probari; non figulos, non sutores, non præter hos ignobiliora tractantes, artificii proprii sustinere alium judicem, præterquàm artis eiusdē consortem:* Scripturam verò sacram non modò laicis, sed & laicorum perditissimis, scortis & publicanis subiici, vt de ea tanquam judices sententiam ferant.

Ad sextum respondeo, S. Paulum loqui de judicio priuato, quod nulli interdicitur, dummodo non sit temerarium, præceps, arrogans; sed legibus diuinis, humanisq; consentaneum; & ad Ecclesiæ æquissimam trutinā expensum. At nos quærimus judicem, qui ex officio, fidei controuersias diiudicet, & decidat.

Ad septimum respondeo, si sic, Chymicus vult omnes à Deo im̄ediatè docentur, quid ergò opus est Prædicantibus Lutheranis, & Ministris Caluinianis? Deinde cur

Deus

Deus in Ecclesia *pastores* & *Doctores* posuit, si omnes sunt in Ecclesia à Deo ἀμέσως docti & instituti? Dico igitur omnes esse *docibiles Dei*, sed ministerio & interuentu Doctorum, quos in eum finem Deus Ecclesiæ mittit; ad quorum proinde tribunal pertinet quoq; notio controuersiarum fidei, tametsi dependenter ab alio quodam summo Doctore & Iudice, qui est Christi in terris Vicarius, Petriq; successor. Illud Prophetæ: *non docebit vltra vir proximum suum.* Prædicantes tuos solum vertere coget, si quis sola verba vrgere pergat. Vt quid enim Prædicantes *terram occupant*, si nemo proximum suum vltra docere debet? Ergò locus ille aut ad statum cœlestis vitæ cum Augustino referendus est, aut explicandus, non de reconditis scripturæ sacræ mysteriis, & sensibus, sed de cognitione vnius Dei, quę tempore Euangelii tam clara est ac diffusa, vt si comparetur cum veteris testamenti tempore, jam nullo doctore, qui hoc doceat, opus esse videatur.

Hier.31.

S. Aug. lib. de Spiritu & litt. c. 24.

Octauum argumentum simile est huic: *Pes aut manus æquè est membrum corporis, ac oculus: ergo pes aut manus est oculus*, hoc est, totius corporis rector & gubernator. *Opifices æquè sunt membra Reipublicæ politicæ, ac consules & senatores, & judices; ergo etiam opifices in Republica sunt consules, senatores, & judices, hoc ipso præcisè, quòd sunt membra illius Reipublicæ.* Gemellum prorsus est istud tuum. *Sæculares æquè sunt membra Ecclesiæ, ac Ecclesiastici; ergo æquè sunt controuersiarum judices:* quasi officium judicis ex hoc præcisè existat, quod quis est pars seu membrum Ecclesiæ. Suadeo Varna, vt in furno quopiam Alchymistico hoc argumẽtum melius excoquas, meliusq; excoctum tum demum nobis reponas. Interim considera, quàm bellè tibi cum Luthero tuo conueniat, qui ne Regibus quidem &

Lut. in disp. cont. artic. Louan. To. 2. lat. VVit. Principibus judicium de vestra doctrina defert. *Non est Regum, inquit, aut Principum, etiam veram doctrinam confirmare, sed ei subiici & seruire, vt Psalmo 2. dicitur. Et nunc Reges intelligite, erudimini judices terræ.* At tu Cerdones itidem tuos honore doctrinam cœlestem confirmandi & judicādi liberaliter dignatis.

Nonum argumentum si quid contra nos efficit, efficiet itidem non parum contra vos. Nam in disputatione Ratisbonensi, non rarò Lutherani collocutores commiserunt judicium auditoribus, & tamen vnicum omnium controuersiarum judicem tradunt esse sacram scripturam. Si dicas, eos commisisse judicium auditoribus, vt priuato judicio diiudicarent, & apud se statuerēt, vtrius partis argumenta firmiora & efficaciora essent, non quod ipsi auditores judicis munere ex officio fungerentur; si hoc, inquam, responsum mihi dederis; tu idem à me vicissim accipito, tuumq; argumentū corruisse existimato. Interim tamen quærere lubet, qua conscientia vel constantia isti judicium auditoribus committant & permittant, si vera sunt, quæ quidam ex eorum tribu literis mandauit. Et sunt isthæc. *Casp. Lauren. lib. de disput.* *Iniquum, vel potius, impium est, res diuinas, ipsamq; religionis normam, hominum auctoritati, judiciis & arbitrio committere, & subiicere, sunt enim omnes multis peccatis & grauibus erroribus obnoxii.*

Ad decimum respondeo, nihil opus fuisse, vt Papa & Cardinales ad disputationem conuenirent, quia jam dudum, & nouissimè in Concilio Tridentino, contra vos judiciariam & definitiuā sententiam tulerunt, in ea quæstione, de qua Ratisbonæ præcipuè disceptatū est. Quòd si judices præsentes habere voluissemus, ex Ecclesiasticis vtiq; delegissemus, qui loco supremi judicis, non nouam sententiam tulissent, sed veterem aduersus vos jam latam confirmâssent.

Claru-

Claudicans hoc agmen, clauditur quoq; à claudo argumēto, quòd omnia in antiquum chaos resoluit, sublato omni politici & Ecclesiastici status discrimine, quasi omnes promiscué sint sacerdotes, veri & proprii nominis, quod ex scriptura tunc euinces, quando pascentur in æthere cerui. Nam cum sacræ litteræ *sacerdotium* quoddam vniuersis Christianis tribuunt; sacerdotii nomen generali prorsus notione vsurpant, quatenus omnes per baptismum ad hoc initiantur & destinantur, vt immolent Deo sacrificium laudis. Quod olim Ethnicus ille Philosophus, hoc de se multò magis quiuis Christianus profiteri debet. *Si luscinia essem*, aiebat ille, *facerem quod solent lusciniæ; si cycnus, cycni more canerem. Atqui compos sum rationis, itaque hymno mihi celebrandus est Deus: nam meum illud est officium: quod sanè præstabo, nec deseram ordinem hunc, quoad eius possum, vosq; vt idem faciatis, atque eadem incedatis via, hortor.* Hæc ille, Verumenimuero non obstante hoc generali sacerdotio, aliud quoddam proprie dictum in Ecclesia ex institutione diuina reperitur, quod dum stibiarius noster omnibus contendit esse commune, dignum se reddit, cui tanquā *alteri Midæ, affigantur Arcadici pecoris auriculæ, aut pœna Marsyæ decernatur.* *Arian. lib. 1. c. 16.*

Dosis sexta. De Scripturæ norma.

N*Otetur*, inquis, *primum argumentum, quod scriptura non sit norma omnium controuersiarum ex Tertulliano. Tertullianus noluit hæreticos admittere ad scripturarū disputationē, ergo nō agnouit scripturā pro vnica norma & judice.* Nō est hoc meum argumentū, sed tuū figmētū, quod alio figmento soluis.

tus. *Negatur,* inquit, *id sequi propter elenchum à dicto secundū quid.* Nimirum tibi & Hunnnio hæc Panacea *Elenchi* semper præstò est, qua animi vestri multò plures ignorantias curatis, vel potius tegitis, quàm Ambaldus corporis ægritudines per suam. sed mitto inaniloquentiam tuam. Ego eo Responsi loco nullum formaui argumentum, sed materiam ex Tertulliano comportaui, vt si quis vellet, inde argumenta contexeret; & tantam comportaui, vt materiæ *tanta abundet copia, labori faber vt desit, non fabro labor.*

Si tamen argumentum ad Dialecticam normam conformatum habere cupis, accipe. Tertullianus non ex scriptura hæreses refellendas censet in libro quidem de præscriptionibus, sed ex præscriptione, hoc est, ex traditione, ortu, origine, successione & auctoritate, qua hæreses prodierunt, ergò scripturam non habuit pro sola & vnica controuersiarum norma. II. Tertullianus monet, quando cum Hæreticis manus conserendæ sunt, non esse ad scripturas prouocandum, nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut parum certa, sed ex præscriptione argumenta petenda esse, ergo ex Tertulliani sententia sacra scriptura non est vnica controuersiarum regula.

Sed Lullus noster ex fornaculis suis educit argumētum planè ferreum, & Vulcaniis armis inuictius. Quod nam illud? *Qui sacram scripturam substernit Ecclesiæ, & hac posteriorem illam, interiusq; fundamentum facit, is sacram scripturam pro norma prima & absoluta habet, Tertullianus id facit, ergo, &c.* Hic primum coniiciat coniector, quisquis ille est, quidnam tenebrio iste tanta nebula circumseptus in Maiore dicere instituat. Ausim affirmare, ne ipsum quidem intelligere, quid verbis illis à lectore intelligi volue-

voluerit. Deinde si totum syllogismum concedam, quid inde conficies? An inficiamur scripturam esse normam præcipuam & absolutam? minimè verò: præcipua est & principalis: Absoluta itidem est; sed in hoc cardo rerum non vertitur; sed num sit sola & vnica regula. Huc huc tela tua, si qua suppetunt, dirige. Adhæc, si concessa Maiore, negarem Minorem, vnde tu, quæso, ex Tertulliano fidem ei conciliares? qui ne extima quidem Tertulliani nouisti, nedum intima, totus in tuo Lullo, Arnoldo, Gebro, & id genus aliis fumiuendulis occupatus.

At Tertullianus Hæreticus fuit. Primò, quid hoc ad rem? non quæritur, num hæresi laborârit, sed an scripturam pro vnica controuersiarum norma habuerit. *Se*cundò, Hæreticus non fuit, quando librum de præscriptionibus scripsit, qui vobis vel maximè gulam elidit. Tertiò, si Hæreticus fuit, an apud te fide dignior esse debeat, tu videris; quippe similis apud similem, Hæreticus apud Hæreticum.

Petiueram, vt Prędicantes nominarent mihi Doctores, incipiendo à Luthero, & ascendendo vsq; ad Apostolos, qui per omnia idem docuerint, quod docetur in Confessione Augustana, libroq; Concordiæ; addebamq; me contentum fore, si vel singulis annis vnum duntaxat nominent· Quid ad hæc Thessalus? *Non est semper ea facies regni Christi, vt possit dici, Hic, vel ibi est.* At debet posse dici: Nisi enim hoc ostendatis, nunquam in *omnem sempiternitatem*, vt Hunnius æuiternus Theologus loqui solet, nobis persuadebitis, vos Apostolicam doctrinam tenere. Cur præteris mea argumenta, quibus euidenter demonstraui, id à vobis præstandum esse? Incipe, oro, à Luthero tuo, & pertexe mihi genealogiam do-

ctrinæ vestræ per singulos annos vsq; ad Apostolos. Quid moraris? Tuus sum, si prestiteris, quid vis amplius? Incipe, inquam, à Luthero, & ascende vsq; ad S. Petrum, eo modo, quo nos in nostra serie definimus in S. Petrum exorsi à Clemente VIII. hodierno Pontifice.

Prohibeor, inquis, *authoritate S. Pauli vetantis versari in stultis quæstionibus, genealogiis, contentionibus, & pugnis legalibus.* Siccine stulta quæstio est, quæ perpetuitatem doctrinæ vestræ à vobis exigit? Quid promisit Dominus Apostolis, & in Apostolis Ecclesiæ? *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi,* si vobiscum fuit ab Ascensione sua vsq; ad Lutherum, & à Luthero vsq; ad Ascensionem, ostendite continuitatem istam & seriem nulla temporis intercapedine intercisam. Estne hæc quæstio legalis? An Iudæi estis? An Iudaica vestra doctrina? Cur non cum Hunnio tuo confugis ad infantes in cunis, in iisque vestram Ecclesiam perpetuatā comminisceris? At nos non quærimus infantes in cunabulis, sed Doctores in Cathedris: Ecclesia enim nunquam Doctoribus caret; Hos monstrate, si potestis, vnum duntaxat quotañis. Eia expergiscere Alchymista, furnulos tuos lustra & excute, forsan æstuanti leuamento erunt. Explica tandem intelligentiam & veritatem vel eminus intuere: si nimis est mens tua occlusa, accipe clauiculam Luili, & aperi. Sed rectè alicubi dicis, *Non posse sapere, quos natura ipsa insipientiæ damnauit,* quorum tu primus es.

Interim hoc saltem mihi exponito, cur veteres Patres, vt Irenæus, Optatus Mileuitanus, Augustinus, Epiphanius, & alii Hæreticos refutarint texendo Catalogos Pontificū Romanorū à Pontifice suæ ætatis vsq; ad S. Petrum. Simile quid tentate nobiscum à Luthero vsq; ad Apostolos; manusq; dabimus. Quid hac liberalitate maius postu-

postulare potes? Optatus Mileuitanus agens contra *Parmenianum, negare non potes,* inquit, *scire te in vrbe Roma Petro primò Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omniũ Apostolorum caput Petrus, vnde & Cephas appellatus est, in qua vna Cathedra vnitas ab omnibus seruaretur, ne cæteri Apostoli, singulas sibi quisq; defenderent, vt jam schismaticus & peccator esset, qui contra singularem Cathedram alteram collocaret, ergo Cathedra vnica, quæ est prima de dotibus, sedit prior Petrus, cui successit Linus, &c.* Pergit deinceps vsq; ad Syricium, *qui,* vt inquit, *hodie noster est socius, cũ quo nobis totus orbis cõmercio Formatarum in vna communionis societate concordat.* Tandẽ subiũgit. *Vestræ Cathedræ* (Witebergensis) *vos originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vendicare.*

Optat. l. 2. cõt. Parmen.

Mirum profectò Parmenianum non respondisse, ꝙ tu respondes: *Paulus ad Titum 3. prohibet versari in stultis quæstionibus, genealogiis, contentionibus & pugnis legalibus.* Parum abest, quin respõsum tuũ laudẽ; manifestè enim animaduertis, quòd Lutherus tuus sit *filius sine patre, tiro sine principe, discipulus sine Magistro, sequens sine antecedente, inquilinus sine domo, hospes sine hospitio, pastor sine grege, Episcopus sine populo.*

Dosis VII. De Hæreticis sine scriptura profligandis.

DIxi Tertullianum maximi fecisse modum refellendi Hæreticos argumentis ex præscriptione ductis, omissa scriptura. Quid Medicus? *si, vera dicis, nugator, quem facis ex Tertulliano vide.* Quid opꝰ est illo tuo *Si*? An nõ citaui loca Tertulliani, ꝗbus id disertis verbis affirmat? An nõ Tertulliani liber *de præscriptione* in medio versatur? inspice, & euolue, & vide num vera dicã. Quę est ista cæcitas, in dubiũ vocare, num medio die sol luceat? Quid toto

libello de Præſcriptionibus Tertullianus aliud contendit & intendit, quàm omiſſis ſcripturis Hæreticos ex præſcriptionis ſerie redarguendos eſſe, & quidem omnes Hæreticos.

Tertull. c. 34. *Eligant*, inquit, *ſibi tempora vniuerſæ hæreſes, quæ quando fuerint, dum non interſit quæ quando, dum de veritate non ſint: vtiq; quæ ſub Apoſtolis non fuerunt, eas dicere fuiſſe non poſſunt. Si enim fuiſſent, nominarentur & ipſæ, vt & ipſæ coercendæ. Quæ vero ſub Apoſtolis fuerunt, in ſua nominatione damnantur. ſiue ergo eædem nunc ſunt aliquanto expolitiores, quæ ſub Apoſtolis rudes, habent ſuam exinde damnationem: ſiue aliæ quidem illæ fuerũt, aliæ autẽ poſtea obortæ ſunt, & quaſdã ex illis opiniones vſurpauerũt, habẽdo cũ eis conſortiũ prædicationis, habeãt neceſſe eſt etiã conſortiũ damnationis, precedẽte illo fine ſupradicto poſteritatis, quo etſi nihil de damnatitiis participarẽt, de ætate ſola præiudicarẽtur, tãto magis adulteræ, quãto nec ab Apoſtolis nominatæ. vnde firmius cõſtat has eſſe, quæ adhuc tunc nũtiabantur futuræ. His definitionibus prouocatæ à nobis & reiecta ſunt hæreſes omnes, ſiue quæ poſteræ, ſiue quæ coætaneæ Apoſtolorum, dummodo diuerſæ, ſiue generaliter, ſiue ſpecialiter notatæ ab eis, dummodo prædamnatæ, audeant reſpondere, & ipſæ aliquas eiuſmodi præſcriptiones aduerſus noſtram diſciplinam. Si enim negant veritatem eius, debent probare illam quoq; hæreſin eſſe, eadem forma reuictam, qua ipſæ reuincuntur: & oſtendere ſimul, vbinam quærenda ſit Veritas, quam apud illos non eſſe jam conſtat. Poſterior noſtra res non eſt, imò omnibus prior eſt: hoc erit teſtimonium Veritatis vbiq; occupantis principatum.* Hæc Tertullianus; de quo q ambigit, num iſtum ex præſcriptione refutandi Hæreticos modum pro validiſſimo, & efficaciſſimo habuerit, is ad *cynoſarges* ablegetur. Et certè quidquid verbis contra blateres, re tamen ipſa confirmas, id quod ego volo.

Nam ad argumentum meum ex præſcriptione temporis

poris aduerſus vos ductum, quid; obſecro, reſpondiſti? An non vox intercluſa hæret? An non juſſus catalogum Doctorum veſtrorum à Luthero vſq; ad S. Petrum pertexere; nihil aliud habebas, quàm frigidum illud, & elūbe verbum: *Apoſtolum vetare huiuſmodi ſtultas quæſtiones.* Si teſtimonia ſcripturæ adducantur, nunquam obmuteſcitis. Semper aliquid ex pectore fraudibus, impoſturis, & mendaciis fœcundo depromitis: at cum ad præſcriptionem venitur, tunc fauces vobis eliduntur, & inciduntur; vt & tūc, cū ratiocinationibus Dialecticis, & ſyllogiſticis inſtitutis, accuratè diſpicitur, quidnam ex loco quopiā ſcripturæ ſit conſequens. & quid inconſequens.

At tu non tam in me, quàm in Tertullianum telum hoc penetrabile profectò, & cuius de vulnere ſanguis ſequitur, ex arcu tuo vibras. *Impoßibile eſt Hæreticum validius confutari alio argumento, quàm ſcriptura canonica, ſi Hæreticus eſt, qui articulum fidei negat, & quidquid eſt in libris canonicis.* Hoc tu dicis, at non probas. Tertullianus abnuit. Tu dicto tuo, ſi non fidem, at ſaltem veriſimilitudinem ratione concilia. Nam ſi quis totam ſcripturam neget, quomodo hunc ex ſcriptura refelles? Item, ſi quis pro more & genio omnium Hæreticorum ſcripturam quidem admittat, arbitratu autem ſuo exponat, quomodo hunc validiſſimè conſtringes, ſi ſolis ſcripturæ ſententiis rem agas? An non ſtatim elabendi rimam reperiet aut faciet? An non ſcripturam ſcripturæ è veſtigio opponet?

Notauit hoc ipſum jam olim Anaſtaſius Sinaita, autor doctiſſimus in libro, quem ὁδηγὸν hoc eſt, *via Ducem,* inſcripſit; inſtruens enim Catholicos, quomodo cū Seuerianis & Neſtorianis Hæreticis confligendum ſit, inter cætera præcepta hoc etiā præſcribit: *Cum duo ſint di-*

ſputationis modi; alter per ſcripturæ teſtimonia, alter διὰ πραγματικῶν παρασάσεων, per probationes ex ipſis rebus petitas; modus iſte poſterior firmior, ſolidior & efficacior eſt: nam verba ſcripturæ deprauari poſſunt. Quocirca videre licet, quod ſimul atq; ab aduerſario ſcripturæ teſtimonium obiicitur, ipſe viciſſim aliud teſtimonium producat, ſiue ſit Hæreticus ſiue Iudæus. Quamobrem is, cui vires hoc concedunt, magis ſe armet contra aduerſarios demonſtrationibus ex ipſa rerum natura deſumptis. Hæc Anaſtaſius.

Doſis VIII. de dicto contra negantem principia non eſt diſputandum.

NEgaueram hoc dictum Prædicantium: *ſola ſcriptura eſt norma omnium controuerſiarum fidei*; eſſe principium ſeu fidei, ſeu Theologiæ. Quia nullum principium fidei & Theologiæ falſum eſt; at illud Prædicantium enunciatum falſum eſt, & hæreticum; non poteſt igitur eſſe principium fidei aut Theologiæ. Vbi Lulliſta noſter. *Cum negat Gretſerus axioma hoc: ſola ſcriptura eſt norma controuerſiarum circa articulos fidei; non negare poteſt axioma per ſe, ſed tantum ad ſolam id dirigit negationem.* Benè dicis. Axioma non nego, quia nullum hic eſt axioma; ſed falſum effatum; & hoc totum nego; tantum, quantum; niſi fortè putat Medicus, duas iſtas enunciationes: *Scriptura eſt norma controuerſiarum*; &, *ſola ſcriptura eſt norma & quidem vnica omnium controuerſiarum*: ita eſſe cõparatas, vt qui priorẽ cõcedit; ſicut libẽter à nobis cõceditur, is etiam concedere debeat poſteriorem, ſaltem ex parte, perinde ac ſi diceret; Concedi à me quadantenus ſaltẽ hanc propoſitionẽ: *Solus homo eſt animal mortale*; quia cõcedo iſtã: *homo eſt animal mortale*: & ſi hãc ꝑ princi-

pio alicuius ſcientię agnoſcerē, neceſſariò inde confici, me etiā priorem illā ꝓ principio habere. Quis tantas ſubtilitates ex fumo Alchymiſtico Libauii naſci crederet, ni oculis noſtris intueremur inde naſci?

Quod petis, vt nominemus traditionem creditu neceſſariam, quæ ſacris litteris non comprehendatur, rem facilem petis. Et vel has, quæ primæ occurrunt, habe *Epiſtolam ad Philemonem eſſe Canonicam; Euangelium Nicodemi non eſſe Canonicum. Omnes illos libros, quos Concilium Tridentinum, vt Canonicos ſuſcipit, eſſe Canonicos, ſimul & collectiuè ſumptos*; vt ſileam, alia de genere eodem fidei noſtræ effata ad ſalutem creditu prorſus neceſſaria. De quibus paulò poſt plura.

Doſis IX. De his quæ credenda conceſſerint Euangelici (Lutherani) in Colloquio.

EXponit hîc nobis Medicus, quid credat Hunnius, cū fortè nec ipſe Hunnius ſciat, quid credat. Iſte tamē hoc probè ſcit. Ait ergò: *extra ſcripturas etiam aliqua credit Hunnius.* Aſſentior, & addo, non tantum aliqua, ſed propemodum omnia. Extra ſcripturas credit, *hominem ſola fide juſtificari; Chriſtum ſecundum humanitatem vbiq; præſentē eſſe: Duo tantum, aut ſummum tria ſacramenta ſtatui debere*, & id genus centena. Oīa hæc & extra, & contra, & præter ſcripturam credit, & tu cum illo, ſi tamen cum illo quidquam credis.

Etiam hoc credit Hunnius extra omnem ſcripturam, Theologiam, Philoſophiam, & rationem, *hypoſtaſin, perſonam, & hypoſtaticam relationem in Deo neq; ſubſtātiam eſſe, neq;* *Vide hiſt. panaceam Libauii, ſect. 1. c. 6.*

neq; accidens, ſed medium quiddam inter vtrumq;. Bone Deus, quo tandem iſti ipſum Deum redigunt? Si filius in diuinis nec eſt ſubſtantia, nec accidens; quid tandem erit? fortè Ens rationis? Certè omne *E*ns reale aut eſt ſubſtantia, aut accidens. Tertium ne fingi quidem poteſt. Fortaſſis tuebitur ſe Hunnius Lutheri clypeo, cuius commentis ſi quid obiiciebatur ex Philoſophia aut Dialectica; hęc in promptu habebat, & in promptu habenda eſſe monebat: *Quando Dialectica arguit hæc ſuis regulis non quadrare, dicendum eſt ei, Mulier taceat in Eccleſia.* ſic licet hactenus omne Ens reale fuerit aut *ſubſtantia*, aut *accidens*, jam tamen quia Hunnius rerum naturam commutauit, *Philoſophia taceat*, & prona Prædicantis huius veſtigia adoret, quia perſona jn diuinis nec eſt *ſubſtantia* nec *accidens*, ſed quiddam medium inter vtrumq;.

Sed non mirum iſtos in hæc deliramenta pluſquàm anilia incidere, cum ſint diſcipuli illius, qui hanc propoſitionem euomere non erubuit. *Nihil mirum ſi Arius, Iudæus, Mahometes & totus mundus negent Chriſtum eſſe Deum.* Audite vos Trinitarii, Seruetiani, imò vos etiam Iudæi & Turcæ, audite inquam, ſed reprimo me.

Tu item Libaui extra ſcripturam, Philoſophiam, omnemq; rationem credis, *cadere in Deum accidentia*, non quidem *abſoluta*, ſed *relata*, & hoc propterea, *quia Deus à nobis intelligitur, adoratur: quia vbiq; præſens eſt*; quæ omnia ſunt reſpectus quidam. At quis vnquam mortalium propter iſtos extrinſecos reſpectus dixit, *In Deum cadere accidentia relata?* Sunt ne iſti reſpectus in Deo, tanquam in ſubiecto? ponuntne aliquid in Deo, vt ratione eorum poſſit dici aliquod accidens in Deum cadere?

Multò adhuc deterius innuis, etſi non ſatis dilucidè exprimis; ipſa etiam *reſpectiua*, quibus perſonæ in diuinis

nis distinguuntur, & *actiones notionales*, nihil aliud esse, quàm *accidentia:* sic inter personas diuinas nō erit nisi accidentalis distinctio, imò nec vlla persona erit: Impossibile enim est, vt vlla persona constituatur per aliquod accidens. En quô Nouatores isti progrediantur, & quàm aptè ad Arianismum, Iudaismum, & Turcismum viam sternant. Hæc paucis tangere libuit, vt planum facerē, quid isti extra scripturas credant.

Nunc in viam redeo. Qui dicit, nihil esse credendum extra scripturam fide diuina & infallibili, simulq; dicit, aliquid extra scripturam fide diuina & infallibili credēdum esset, is sibi contradicit; Hunnius hoc non semel dixit, & dicit in Colloquio Ratisbonensi; dixit enim omnia ad salutem creditu necessaria in sola scriptura cōtineri; simulq; dixit; fide infallibili credendum esse Epistolam ad Philemonem esse canonicam; quod in scriptura non continetur, ergò Hunnius sibi contradicit, vt & alii Prædicantes, dum idipsum asseuerant. Nam Hunnius concedit hoc credendum esse fide diuina & infallibili, nempe Ecclesiam primitiuam testimonio suo proposuisse Epistolam ad Philemonem, tanquam canonicam, & à Spiritu sancto dictatam. Hoc non continetur in scriptura, aut si continetur, ostendant, vbi contineatur: aut si fide infallibili credendum non est, dicant Prædicantes, & Prædicantium propugnatores; num liceat sine periculo hæreseos testificationem illam primitiuæ Ecclesiæ inficiari; & num Hæreticus sit, qui pertinaciter negat primitiuam Ecelesiam Euangelium sancti Matthæi pro canonico habuisse, fidelibusque proposuisse.

Aiunt, *hoc non esse articulum fidei.* Non cōtendo de vocabulo *articuli,* quod strictè interdum vsurpatur pro so-

lis illis dogmatibus, quæ explicitè & distinctè à cunctis fidelibus credenda sunt.sit,voceturque *dogma* seu *obiectum* fidei.Omne enim illud, quod fide infallibili credendum est,dogma & obiectum fidei est. Dogma quidem, quia à fide traditur; obiectum autem,quia fides in illud tendit: nam si qui Prædicantes tam imperiti sint,vt dicāt aliquid fide infallibili credi debere;nec tamen dogma aut obiectum fidei censeri posse,eorum stultitiam potius irridendam,quàm confutandam existimo.

Dosis X. De consequentiis Hunnianis.

OBieceram Hunnio, aliisq; Prædicantibus ineptiam, qua in texendis consequentiis vti solent. Obiectionem hanc non aliter diluit Medicus,quàm paris ineptiæ accusando Pontificios,quasi hoc sit à crimine sese liberare,si idem in aduersario hærere clames.*Adstet Papa,vel quis alius*,ait Medicus,*& præcipiat,vt ex hoc dicto: Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus, colligam Sanctos esse adorandos;& eorum imagines cultu quodam afficiendas.* Atqui facillimè præcipienti obtemperare poteris, si prædicta *P*salmi verba intelligas.*Si* enim Propheta Dauid, vir tātus, Spiritu sancto tam plenus,amicos Dei, sine vllo idololatriæ scelere,religioso cultu, eoq; non qualicunq;, sed eximio honorauit;(hoc enim indicant illa:*Mihi*, seu, *à me*, *nimis honorati sunt amici tui Deus*) vtiq; & nobis fas erit eosdem amicos Dei,hoc est,Sanctos cum Christo in cœlis immortalem vitam agentes,piè & sedulò venerari;nisi fortè Alchymista censet, cœlites non esse numerandos inter amicos Dei.

Quod si Sanctos venerari licet, ergo & imagines San-

Sanctorum venerari licebit, quia imagines sunt aliquid Sanctorum. Quemadmodum si Cæsarem colere fas est, etiam Cæsaris imaginem colere fas erit; quia imago Cæsaris ad Cæsarem pertinet: neq; vllum Christianis de imaginibus nullo cultu afficiendis aut non afficiendis præceptum datum est, vt olim Iudæis. Verum de hoc loco plura dixi aduersus tuum Hunnium in *Labyrintho Creticohunniano*. Proba igitur est hæc consequentia: *Dauid amicos Dei, Sanctos,* inquam, *insigni pietate coluit. ergo nos exemplum tanti Regis sine vlla impietate imitari possumus.* pag. 36. 37.

Tu nunc vicissim adesto, & si ita lubet, adesto comitatus Hunnio, alioue Prædicante, & dispice; num istæ Hunnianæ consecutiones sint sanæ, aut ex sano cerebro profectæ. I. *Nolite vocari Rabbi: Vnus est enim Magister vester, nempe Christus: Omnes autem vos fratres estis: ergo Papa non est supremus judex controuersiarum ordinarius, & visibilis in hac militante Ecclesia.* II. *Ne vocemini Magistri. Vnus enim vester est Magister, nempe Christus. ergo Papa non est judex controuersiarum.* III. *Vnus est* νομοθέτης, *legislator, qui potest seruare & perdere. ergo Papa non est judex controuersiarum fidei.* An non sunt istæ consequentiæ *Hunniochrysippéæ*, hoc est, *fatuæ, stolidæ, plumbeæ*, & vaniloquentissimi Prędicantis ingenio dignissimæ? Tolerabilius deliraret Hunnius, si cum Carlstadio suo ex supradictis testimoniis concluderet, nefas esse, vt quis *Magistri* aut *Doctoris* titulo insigniatur, aut afficiatur. Sed arrogantia Prædicantiũ, qui ne nomẽ suum scribere solẽt, nisi Doctoris appellationem ipsi manu sua aut p̃ponãt, aut postponãt, tutos eos facit ab hoc Carolstadii deliramẽto: statim aduolarẽt cũ illa Lutheri expositione: *Dictũ Christi nõ ita accipi debet, quasi illicitũ sit nomen Magistri vsurpare; sed perinde est, ac si Christus dixisset: noua dogmata ne excogitetis. Nihil noui in mediũ proferatis. Cõtẽti estote iis*

Hun. in Antitannero pa. 273.
Mat. 23.
Ibid.
Iacob. 4.
Lut. in Serm. conuiu. tit. de bonis artibus.

quæ tradidi vobis: & præcepi, vt aliis itidẽ tradatis & patefaciatis. Taceo, Christũ apud Matthæũ nõ vsũ tituli; sed arrogãtiã vetare, sanctũq; Iacobum non de quocunq; legislatore & iudice; sed de omnium supremo & independente loqui, non de huius supremi & independentis Vicario, qui alius non est, quàm Romanus Pontifex, qui & ipse *perdere & liberare potest*, auctoritate & voluntate Christi, à quo claues regni cœlorum accepit, ita vt solutum sit, quidquid soluerit, ligatumq;, quidquid ligauerit.

Dosis XI. de Criteriis Hunnij.

NEscio qua alia ratione ægrum medicum hoc loco alloquar, quàm illo Poetæ versu:

μέμηνας ἤδη, καὶ πρὶν ἐξέστης φρενῶν.

Insanus nunc es; antea desipiebas tantùm.

Ita enim conuiciis furit, vt hucusq; tantum desipuisse, non item insaniisse videri possit; si quis conuicia priora cum præsentibus & futuris contendere velit. Sed Alchymistæ istius furorem alia oratione repellere nolo, quàm illa, qua ipse vsus est; (quam meritò non facilè dixerim) aduersus Iosephum Michelium. *Quæ te caussa impulit ad tam acerbè de me scribendum? Soliti sunt nostri aliquanto acrius obsistere Paracelso* (Hunnio, Prædicantibus) *mihiq; luctandũ simili in arena fuit, cum improbitate & nequitia Ambaldi(* Hunnii) *Gramani* (Leiseri) *Bisterfeldii (* Hafenmulleri) *Enhelhardi* (Gabrielis Lermæi) *Diaconi* (Miseni, Iunii, & aliorum) *in te quid admissum à nostris est, vt tàm rabidè procurreres? Verum scito tuis conuiciis, calumniaq; me non plus commotũ iri, quàm Dionem, Socratem, Gelonem, Periclem, Cleanthem, aliosq; tum Philosophos summos, tum Imperatores potentes commotos*

Lib. 3. epistol. chymicarum epist. 1.

ferunt. Cogitandum enim est, te ideò insanire & maledicere, quia sapere & benè loqui non didicisti, agendumq́ tecum est, quo modo cum deliro Medici, qui furentem verbis, non vituperant, proscinduntq́ conuiciis, sed morbo sanando occupantur, contemptis criminationibus. Hæc tua verba tibi à me dicta existima, & fortè furorem mitigabunt: si tamen spes vlla immedicabile malum leniendi suppetere potest.

Vexat, inquis, *Hunnium, quod dixerit, sacram scripturam esse solam normam omnium controuersiarum fidei; & tamen in exemplis, num Epistola ad Titum sit Canonica, id non probet ex illa norma, sed partim ex testificatione veteris Ecclesiæ, partim ex internis Criteriis.* Non vexo, sed inconstantiam Prædicantis arguo: qui cum nullam prorsus controuersiarum normam agnoscat, præter sacram scripturam; in angustias tamen coniectus, aliam, & quidem fallere nesciam, admittit, nempe testificationem seu traditionem veteris Ecclesiæ, qua controuersiam de Epistola ad Titum, exempli caussa, aut ad Philemonem diiudicet & definiat; si quis illorum canonicam auctoritatem in dubium vocet, aut penitus inficietur. Nam quod de aliis Criteriis, seu veritatis agnoscendæ indiciis fabulantur, id inane prorsus est ac fictitium. Illa enim indicia aut sunt in ipso, qui judicat, idq; quod genuinum est, à suppositiitio secernit; aut sunt in re, de qua disceptatur; Si primum, tunc nihil aliud sunt, quàm, vt Arianus Philosophus loquitur: τὸ δοκεῖν, *phantasia* & *existimatio*; ideo enim liber hic vel ille in canone collocandus, aut à Canone segregandus est, quia Hunnio vel alteri Prædicanti in canone collocandus, aut à canone excludendus videtur. Quis autē tam excors est, qui non animaduertat huiusmodi Criteria, nihil aliud esse, quàm ludibria, vanæq; mentis simulacra in singulas horas mutabilia, omniumq; errorum

 potius

potius tegumenta, quàm indicia.

Si autem cum Medico nostro dicant, Criteria ista à Canone non distingui, sed in ipsius quasi visceribus hærere, tum id de quo ambigitur pro Criterio & instrumento veritatis indagandæ assignant. Licet enim Canonicum esse inhæreat in ipso scripto, quod Canonicum est; non tamen agnoscitur, nisi per aliquid à se distinctum, per regulam scilicet, quæ si adhibeatur ad id, quod quæritur, statim veritatem manifestat, sicut licet esse aurum sit in ipso auro; hoc tamen non agnoscitur, nisi probationis causa ad libram aliquam seu amussim admoueatur. & quam ridiculus foret, qui auri pondus, de quo ambigitur, alia ratione explorari nollet, nisi illo ipso auri pondere, eò quod in ipso auri natura insit, (pono enim verum esse aurum) tam ridiculi sunt Prædicantes, cum dubitanti de libro quopiam Canonico, alia criteria non offerunt, nisi ipsum librum: quasi id quod est esse Canonicum, per se in oculos incurrat, neq; inuestigãdum sit certâ aliquâ & indubitatâ regulâ. *Si quæstio nobis esset de albo & nigro,* inquit Arrianus, *qualenam criterium seu instrumentum adhiberemus, veri cognoscendi gratia? Vtiq; visum. si de calidis & frigidis, duris item ac mollibus; quodnam? Tactum. Quia verò disputamus de his, quæ secundum naturam, ac de his, quæ rectè ac vitiosè fieri dicuntur, quale his internoscendis instrumentum accommodabimus? Sensum porrò penes quem sit facultas discernendi colores item odores, nec non etiam sapores, ignorare fortaßè non magni sit periculi ac damni, sed ignorare, quo sensu discernenda sint bona à malis, & quæ contra naturam sunt hominis ab iis, quæ sunt secundum naturã, parũne obesse censes? imò verò maius damnum nõ esse arbitror.* Quẽadmodũ igitur jure exploditur, & exsibilatur, qui exorta de albo & nigro, de calido & frigido, de molli & duro, de turpi & honesto, controuersia, nullũ aliud

Arian. lib. 1. Serm. 11.

ud κριτήριον controuersiæ dirimendæ assignaret, nisi ipsũ κρινόμενον, seu id, de quo disceptatur; ita Prædicantes risu non iniuria excipiuntur, cum nobis ipsum librum Canonicum, hoc est, τὸ κρινόμενον, pro Criterio offerunt.

Pari modo, *non esse Canonicum*, insitum est, vt sic loquar, intimè libro, qui Canonicus non est, vt Euangelio, v.g. Nicodemi, sicut non esse aurum intrinsecè inhæret in staño, auri specie fucato & colorato. At hoc non cognoscitur, nisi beneficio regulæ ab omni errore immunis, quæ alia non est, quàm testificatio & traditio Ecclesiæ: sicut fucus in auro non deprehenditur, nisi per Criterium ab adulterino auro distinctum, vt probatione ignis, lapidis Lydii, libræ, aut alterius de eodem genere.

Stulta quæstio est, inquit Alchymista, *num Epistola Pauli sit Canonica, vt id probetur ex scriptura.* Scilicet *stultum est*, quidquid istis gulam frangit. Vos asseritis scripturam esse vnicam normam omnium controuersiarum. Si hoc verè asseritis; dirimatis igitur ex scriptura hanc controuersiã, quæ de Epistola ad Philemonem exsistere potest, num sit Canonica. Quod si hanc litem ex scriptura dirimere nõ potestis, vt equidem in omnem perpetuitatem non potestis: falsum est igitur quod asseritis, nempe scripturam esse vnicã omnium controuersiarum fidei normam. Quia hoc casu vel inuiti ad aliam normam confugere debetis, nisi eò impietatis progrediamini, vt dicatis, controuersiã de Epistola ad Philemonem, nũ sit Canonica, non esse controuersiam fidei, seu de dogmate fidei.

Scriptura, inquis, *jam est Canonica, ergò non eget probatione.* Pulchrè, perinde ac si dicas: Aurum jam est aurum; ergo non eget examine. Honestũ jam est honestũ, album jam est albũ, ergo illud non eget Criterio rationis, hoc sensus. Aurum adulterinum & fucatum jam non est aurum;

ergò

ergò non est opus vlla probatione; & vt Alchymistæ nostro exemplum familiare adferam: *Panacéa Ambaldina* jam est falsa & fallax, plena imposturæ & fraudulentiæ; ergo opus non est, vt toties à Libauio ad furnulos probationis caussa reuocetur; otio igitur, carbonibus, igne, fumo & furno abutitur iste, cum per tot experimenta ad fraudis cubilia penetrare nititur.

Canon, inquis, *non probatur, sed supponitur.* Tunc non probatur, cum in dubium non vocatur; at si in dubium vocetur, probandus est, non supponendus. Cur sancti Patres auctoritatem veteris testamenti toties omni argumentorum genere asseruerunt; nisi quia ab Hæreticis vel tota, vel quoad partem repudiabatur? Quod itidem de nouo testamento affirmare licet: Si Hæretici quieuissent, etiam sancti Patres labore probandi supersedissent.

Scriptura, inquis, *sua essentia testatur se esse canonicam.* Ita est: etiam aurum sua essentia testatur se esse aurum. At hoc testimonium nobis non est notum, nisi per applicationem regulæ: tunc enim nobis patefit illud naturæ seu essentiæ testimonium. Aurum fucatum essentia sua testatur se non esse aurum. Cæterum vt hoc testimonium cognoscam, opus est Criteriis, quorum ope in huius testimonii notitiam deducar. *Ambaldina panacéa* essentia sua testatur se non esse, quod esse fertur. At hoc testimonium neq; videt, neq; audit Libauius, nisi beneficio suarum fornacularum. *Externa testificatio non facit canonicam:* Quis negat hoc? Non facit canonicam sed ostendit esse canonicam. Quæstio nostra non est, quis faciat Canonicam scripturam. sed quæ nam sit certa & infallibilis nota, per quam Canonica scriptura nobis innotescit. Etiam examen & probatio non facit verum aurum,

verum

verum aut falsum; falsum ; sed ostendit, verum esse verum; & falsum esse falsum.

Dosis XII. De sensu Scripturæ.

PVlchrè & verè Constantinus Magnus in Epistola ad Arium, *Malus interpres negotium est Diaboli, eiusq́; effigies ac imago. Nam quemadmodum illum callidi opifices ad escam fraudis effingunt, decorem ei pulchritudinis molientes, qui natura est turpissimus, vt miseros mortales perdat, iis errorem prætendens ac propinans; sic vt arbitror is* (malus scripturæ interpres) *facit, cui id tantummodo studio videtur esse, suæ audaciæ venena nemini parcendo offerre.* Hæc verè & scitè Magnus ille Imperator. Hæreticis enim nihil aliud propositum est, quàm vt Cacodæmonem scripturæ quasi vestimentis induant & exornent; exornatumq́; miseris mortalibus diuendant. Quocirca nihil tutius, nihilq; salubrius est, quàm scripturam alio sensu nunquam acceptare; quã eo, quem perpetua successione à sanctis Patribus, per manus Ecclesiæ accepimus. *Apud Baro. Tom. 3. anno Christi 319.*

Obiicit Alchymista. *Patres fuisse homines: omnem autem hominem mendacem esse.* Quis verò tu es, si homo non es? Quis Lutherus? Quis Melanchthon? quis Hunnius? quis deniq; totus Prædicantium grex? Si igitur homines estis, prudentius, opinor, egero; si non vobis hominibus, sed patribus hominibus in interpretatione sacrarum litterarum fidem potius adhibuero; antiquis potius, quàm nouitiis, & pronuper generatis; doctissimis potius, & sanctissimis, quàm indoctissimis, & ab omni vitæ, morumq; sanctimonia & innocentia imparatis. Exceptionem istã Alchymistæ aduersus Patres, meo judicio; non ineptè

Erasm. in Diatribe contra Lutherum.

jam olim confutauit Erasmus, cuius testimonio eo libentius vtor, quo sectariorum genium & mores propius nouit, quippe diu inter illos Basileæ versatus, & animo non planè à nouis dogmatibus alienus: Sic ergo scribit. *Aiunt: Sed homines erant. At ego jam homines confero cum hominibus, non homines cum Deo. Audio, quid multitudo facit ad sensum Spiritus? Respondeo, quid facit paucitas? Audio, quid facit mitra ad intellectum scripturæ diuinæ? Respondeo, quid facit sagum, aut cucullа?* Rectius dixisset: Toga Prædicantica. *Audio, quid cognitio Philosophiæ ad cognitionem sacrarum litterarũ? Respondeo, quid facit inscitia? Audio, quid facit ad intellectum scripturæ cõgregata synodus, in qua fieri potest, vt nullus habeat spiritum? Respondeo quid faciũt conuenticula priuata paucorũ, in quibus verisimilius est neminẽ esse, qui habeat spiritũ. Paulus clamat: an experimentum quæritis inhabitantis in me Christi? Non credebatur Apostolis, nisi miracula fidem adstruxissent doctrinæ: Nunc quilibet sibi postulat credi, quòd affirmet, se habere spiritum Euangelicum. Apostoli, quoniam excutiebant viperas, sanabant ægrotos, excitabant mortuos, imposita manu dabant donum linguarum: ita demum creditum est, & vix creditum est illis paradoxa* (contra receptam tunc persuasionem) *docentibus: nunc cum juxta communem opinionem adferant paradoxotera, nullus illorum adhuc exstitit, qui vel equum claudum sanare potuerit, &c.*

Rogantibus quonam argumento sciri poßit, quæ sit vera interpretatio scripturæ, cum vtrinque sint homines: respondent: judicio Spiritus. Si roges, cur illis, quorum aliquot etiam miraculis editis inclaruere mundo, defuerit Spiritus potius quàm ipsis; sic respondent, quasi mille trecentis annis nullum fuerit Euangelium in mundo. Si requiras vitam ab illis spiritu dignam: Respondent, se fide justos esse, non operibus. Si requiras miracula: dicunt jam olim cessasse, nec opus esse jam

in tanta luce scripturarum. *Hic si neges hac in parte esse dilucidam scripturam, in qua tot summi viri caligarint, circulus ad caput redierit.* *Iam vt demus eum, qui spiritum habet, certum esse de sensu scripturæ, quomodo mihi constabit, quod ille sibi sumit? Quid faciam, vbi multi diuersos sensus adferunt, quorum vnusquisque se iurat habere spiritum?* Hæc Erasmus *aduersus illos, qui tam facile reiiciũt veterum interpretationem in sacris libris, ac suam nobis sic opponunt, velut ex oraculo proditam.*

Ait Alchymista, *Potius ea via insistendum esse, qua & ipsi Patres tentarunt incedere : nempe vt audiamus, legamus, oremus pro illuminatione intellectus, meditemur, colloquamur, adminicula naturæ & artis adhibeamus, linguis loquamur & interpretemur, logico iudicio rem æstimemus, dicta conferamus.* Si hæc vera via est ad veram sacrarum literarum intelligentiam, vtiq; caussæ nihil esse video, cur non existimemus sanctos Patres germanum scripturæ sensum potius assecutos esse, quàm nouellos istos sectarios; nam vt de solo prædicandi studio loquar, ausim quouis deposito pignore certare sanctum Augustinum, sanctum Hieronymum, sanctum Ambrosium, sanctum Gregorium Magnum, sanctum Basilium, sanctum Chrysostomum, sanctos Gregorios Nazianzenum & Nyssenum, sanctum Thomam Aquinatem, & alios innumerabiles, vno die plus orasse, plusque operæ & laboris in meditandi exercitationibus posuisse, quàm Libauius toto anno ad suas fornaculas oret aut meditetur : neque micam salis habeat, quisquis nostros nouatores contentione precandi, legendi, colloquendi, conferendi, præsidiis naturæ & gratiæ, iudiciiq; acrimonia & perspicacia priscis Patribus anteponat.

Verum vt liquidius nobis constet, quam validis lacertis Varna sanctis Patribus auctoritatem deroget,

sibiq; arroget, producere lubet; & quidem in forma dialectica; arietes, quos in sanctos Patres vibrat. En primum: *At cornu ferit ille, caueto. Hominis fides mendacium est ad fidem Dei ergò Patribus scripturam interpretantibus non est adhibenda fides.* II. *Omnis homo est adynamos & impotens circa veritatem: ergo Patrum expositio non est recipienda, sed Lutheri & Lutheranorum.* III. *Hominis sapientia est stultitia apud Deum. nec potest ratio capere spiritualia: sequitur ergò, quod antea; expositiones Patrum repudiari debere.* IV. *Vana salus hominis; maledictus qui confidit in homine;* & quid non? *Sequitur ergò denuò Varnensis conclusio, nempe soli Luthero esse credendum, non Patribus;* quia qui in Luthero confidit, is non confidit in homine, sed in portento hominis.

Quintum & quidem robustissimum argumentum. *Ecce inter seruos eius non manserunt fideles, & in Angelis eius deprehensa est stultitia.* Iob.4.v.18. *ergò Lutherus scripturam interpretans fidelis est interpres, ab omni stultitia immunis; soli Patres morionibus Paracelsi à carboniperda isto annumerantur.* Qui acumen harum consequentiarum non assequitur, is saltem profunditatem suspiciat & admiretur; tam profundæ enim sunt; quàm hæc & similia Lutheri axiomata.

Luth. in disp. de hoc dicto: *Verbum caro factum est.* Tom. I.

I. *In Theologia verum est Verbum carnem factum: in Philosophia simpliciter impossibile & absurdum.* II. *Nec minus, imò magis disparata est prædicatio; Deus est homo; quàm si dicas: Homo est asinus.* III. *Sorbona mater errorum pessimè definiuit, idem esse verum in Theologia & Philosophia.* IV. *Aliquid est verum in vna parte Philosophiæ, quod tamen falsum est in alia parte Philosophiæ.*

Concludam hanc Dosin verbis Lutheri: *Tanta est malitia & versutia Satanæ,* inquit Lutherus, *vt homines sui, dum vera loquuntur Grammaticè (id est, verbis) mendacia loquantu*

tur Theologicè, id est, sensu. Hoc est, quod dicitur, hæreticum esse qui scripturas aliter intelligit, quàm flagitat Spiritus sanctus. Dictum hoc veritati concinere, testis est ipse Lutherus, cum toto suo grege, qui quando scripturam citat *Grammaticè*, id est, verbis, vera loquitur; *Theologicè* autem, id est, sensu, mendacia fundit: Etsi non rarò tàm *Grammaticè*, quàm *Theologicè*, tam verbis, quàm sensu mentitur; vt & discipuli eius, in hac arte à suo magistro non degeneres.

Dosis XIII. De syllogismis, dialecticaq; dissertatione.

NOtetur, inquit Medicus, *quod scribit Gretserus paratam victoriam habiturum, quisquis ad ratiocinationis normam Prædicantes adegerit, si vlla vi possint adigi, quia nihil minus norint, quàm ratiocinari.* Ex his sic argumentatur, vt nobis præbeat specimen suæ in ratiocinando peritiæ. *Si non possunt adigi vlla vi, ad ratiocinationis normam, in qua victoria parata consistit, Prædicantes, falsa est gloria Tanneri victos ipsos & vinctos esse. Illud Gretserus ait: Hoc ergo confiteri necesse habet, & per consequens cõtradicit suo collegæ Tannero.* Respondeo negando Maiorem. Tu quomodo illam probas? Non enim dixi, in eo solo consistere victoriam, si Prædicantes adigantur ad argumentandi formam. Quare licet Prædicantes victi & vincti non sint per adactionem ad formam; cum omnis formæ informes Prædicantes sint impatientes; victi tamen & vincti sunt cum aliis modis; tum fugiendo formam, & ita quidem fugiendo, vt quateret æger anhelitus artus. Etiam is, qui fugit, & quem timor alatum efficit, superatur. Quam autem Prædican-

tes formam argumentatricem fugerint, loquitur Protocollum & Relatio P. Tanneri, loqueturq; futuris itidem temporibus non sine indelebili *Prædicantium* ignominia.

Sed instat Varna alio syllogismo. *Qui ad id non potest adigi, in quo est parata victoria, is non potest vinci. Euangelici nō possunt adigi ad id, in quo est parata victoria Iesuitarum. Euangelici ergo non possunt vinci à Iesuitis.* Respondeo Maiorem esse veram, si sensus sit, eum non posse vinci, qui adigi nequit ad id, in quo solo parata est victoria: falsam autē, si sensus sit, eū qui adigi non potest ad id, in quo parata est victoria, non posse vinci alio modo, in quo itidem victoria parata est: jam verò licet *Prædicantes* adigi non possint ad aliquid, in quo parata est victoria, nempe *ad formā*, adigi tamen possunt, & necessariò adiguntur, ad aliud; nimirum ad fugā formę, in qua itidē victoria parata est. Possunt ergò Prædicantes à Iesuitis vinci non adactione ad formam; sed turpissima & ignominiosissima formæ fuga. In auras igitur Syllogismus Varnensis fugit.

Obiicit. *Si victoria parata est in ratiocinatione ea, quam negantur nosse Prædicantes, sequitur, quod non sit in scriptura, aut aliarum rerum energia; nec in doctrina axiomatica.* Nihil minus sequitur, mi Varna; quia cum victoriam in ratiocinatione paratam esse affirmo, non ipsas nudas, solasq; ratiocinādi formas specto; sed vestitas scriptura & materia Theologica: Itaq; in scriptura victoria consistit; in scriptura inquam Dialecticis dissertationibus illigata, quæ Prædicātes extra terminos in immensum exspatiari solitos coerceant: aut si sibi caueant, ne coerceantur, in fugam compellant; ad quos Lucretianus ille versiculus potiore jure spectat, quàm ad ceruos: *Fuga ceruis*

A patribus datur, & patrius pauor incitat artus.

Doſta

Doſis XIV. De Chriſto Dialectico.

CLamat æger Medicus. *Chriſtus Ieſuitis eſt, & non eſt diſputator pro libitu.* At tu pro libitu mentiris & calumniaris ſine vllo aut Dei aut hominum metu. An quia dixi Chriſtum ratione dialectica diſputandi non eguiſſe, ideo negaui, quod cum ſancto Auguſtino aſſerui, eum dialecticè diſputaſſe? Num quia à Chriſto & Apoſtolis ſyllogiſmos non exigo, ideo eos à Prædicantibus exigere non licet? *Plus*, inquis, *Chriſto & Apoſtolis præſtare debere flagitantur.* Non plus, ſed aliquid aliud. Formam ſyllogiſticã poſcimus à Prædicantibus, quam non poſcimus à Chriſto aut eius Apoſtolis, & hoc eò tantum, quia Prædicantes à Chriſto & Apoſtolis toto cœlo diſtant.

Ait Alchymiſta. *Impium eſſe, ſi ſyllogiſmos flagitemus à Prædicantibus, eoſdẽq; non exigamus à Chriſto aut eius Apoſtolis.* Hoc ſcripſit ex commiſeratione erga Prædicantes, quos ſyllogiſmorũ egẽtiſſimos eſſe nouit. Et quis nõ rideat inſulſam hãc delirãtis Varnæ cõſequentiã? *Impium eſt à Chriſto & Apoſtolis ſyllogiſmos exigere, ſimiliter ergo impium eſt ſyllogiſmos à Prædicantibus poſtulare:* quaſi Prædicantes ſint Chriſtus, aut Apoſtoli, quibus forma diſputandi præſcribi nequeat, aut quaſi aliis dotibus inſtructi ſint, quæ defectum ſyllogiſmorũ cõpẽſent. *Sed attendat ille fatuus, ficulnus & bliteus Gretſerus*, vociferatur Alchymiſta plũbeus. Iam attendo. Quid vis? *Vbi virtus Chriſti eſt, ibi minimè eſt opus ſyllogiſmis, juxta Gretſeri ſenſũ. In verbo Chriſti quod vſurpãt Prædicantes loco armorũ in diſputando, eſt virtus Chriſti, quod nemo negare poteſt, niſi Ethnicus. In verbo ergo Chriſti, quod loco armorũ vſurpãt Prædicãtes minimè opꝰ eſt ſyllogiſmis.* Reſpo. Minorẽ eſſe Alchymiſticã, h.e. falſã, friuolã, inanẽ. I. Quia Prędicãtes nõ vtũtur verbo Chriſti, niſi *Grammaticè* vt loq̃tur Lutherꝰ

hoc

hoc est, quo ad verba duntaxat; tametsi nec verba semper integra relinquunt; sæpe enim illa mutilant, truncant, inuertunt, & peruertunt. Quoad sensum, germanumq; intellectum tantum absunt à verbo Christi, quantum olim abfuerunt Arius & Ariani, Eunomius & Eunomiani, vno verbo, quantum falsitas à veritate. Itaq; non verbum Christi, sed verbum Lutheri *Prædicantes* possident. *Secundò.* Vt maximè Prædicantes legitimum Christi & Apostolorum verbum prædicarent; adhuc tamen falsa esset Minor. Non enim locutus sum ego de insita verbi diuini virtute, sed de virtute seu gratia & efficacitate Christi in loquendo, quæ tanta fuit, vt ipsos etiã capitales Christi hostes in admirationem raperet, & stupore defigeret. Hinc illud: *Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo.* Hanc gratiam dicendi & docendi, sermonisq; energiam cum summo candore veritatis tradendæ & explicandæ coniunctam; si Varna in aliquo Prædicante ostenderit, eum à syllogismorum tributo pendendo non grauatè liberum pronunciabimus.

Ioan.7.

Interea dum volubili & versatili lingua sua *Prædicã*tes tantummodo garriunt, & verba sine sensu & mente, immodicè fundunt, phalerasque fucatissimas imperitæ multitudini obtrudũt: non desinemus Prædicantes à latè patentibus illis garriendi campis reuocare ad metas circi Dialectici, vt tàm veritas quàm falsitas eò citius patefiat, quo pauciora sunt in hoc tam presso & stricto orationis genere delitescendi latibula. Quàm verò rectè scripserit Hunnius syllogismis *modicè* vtendum esse, demonstraui satis in Responso. Equidem quod scripsit, egregiè etiam cum Symmystis suis præstitit. Tam *modicè* enim syllogismis vsus est, vt vix tres proferre, & suo Heilbrunnero ex codice benè crasso recitandos offerre potuerit.

Dosis

Dosis XV. De basi argumentationum.

DIxeram, ſcripturam ſacram tanquam baſin, omnibus argumentationum formis à nobis ſubſterni: Et hoc fundamento inconcuſſo poſito, quid ex fidei capitibus conſequatur, quid non conſequatur accuratè diſpici. Hoc inprimis vocat Medicus, *turpe mendacium Gretſeri.* Quid ita verò? An non totius Theologiæ fundamentum & baſis eſt ſacra ſcriptura? An non omnes argumentationes Theologicæ, quæ propriè Theologicæ ſunt, principio ex ſacra ſcriptura, ſi non proximè & immediatè, certè remotè & mediatè, nituntur, ita, vt ſi reſolutio ad vltimum vſque fundamentum inſtituenda ſit, deſinere tandem in ſacram ſcripturam debeamus, quæ nobis ipſú non ſcriptum Dei verbum, auctoritatem ſummorum Pontificum, Conciliorum, Doctorumq; toties commendat, adeo vt licet quis ex aliquo horum locorum argumẽtum ducat; argumentatio tamen ſacra ſcriptura, tanquã vltima baſi fulciatur, cum omnes iſti argumentorum loci ex ſacra ſcriptura deducantur.

Ait. Si omnibus argumentationum formis ſubſternitur ſacra ſcriptura tanquam baſis, cur negatur omnis controuerſiæ Theologicæ circa fidem eſſe ſola & vnica norma? Ideo, quia ſunt aliæ normæ: quibus fidei controuerſiæ definiri & diiudicari poſſunt. Ideo, quia per ſolam ſcripturam per ſe, proximè & immediatè non poſſunt omnes religionis controuerſiæ terminari. Quare aliæ normæ adſciſcendæ ſunt, quarum ope litibus finis imponatur, quas Theologus ad ſuas quoq; argumentationes aſſumit, tanquam fa-

cultatis suæ locos proprios; nec tamen eas assumendo, à scriptura recedit, sed per vestigia eius incedit, cum vt paulo ante dicebam, ipsa scriptura ad normas illas nos ableget.

Quando verò & vbi *probationes per scripturam noluit ferre Tannerus*, vt tu hîc mentiris? qui etiam perquã argutè cõtradictionis me arguis hunc in modũ. *Gretserus dixit ex Tertulliano, validißimũ disputandi modũ esse eũ, qui fit ex præscriptione aduersus Hæreticos, sine scriptura: ergo cum dicit omnibus argumentationibus Theologicis scripturam veluti basin supponi; manifestè sibi contradicit.* En contradictionem. Quasi verò, qui ex præscriptione argumentatur aduersus Hæreticos, non ædificet argumenta sua super scripturã; etiamsi nulla scripturæ testimonia proferat? Quasi argumentationem Theologicam niti sacra scriptura, tanquã basi, nihil sit aliud, quàm vt quis more Prædicantiũ, octo vel nouem scripturæ testimonia vno spiritu deblateret, quarũ pleraq; ad ꝓpositũ tam aptè quadrẽt, quam aptè quadrabat illa à Diabolo prolata scriptura: *Angelis suis Deus mandauit de te*, ad id, ꝙ diabolus per illã Christo persuadere instituebat. Certè hoc ipso, ꝙ scriptura toties prædixit, vẽturos lupos rapaces in vestimẽtis ouiũ; & Pseudodoprophetas exorituros, qui mortaliũ animos in pręceps rapiant, argumẽta à præscriptione aduersus istos nobis cõmendauit, nã vt rectè ait Tertull. *aduersus vniuersas Hæreses jam hinc praiudicatũ est, id esse verum, quodcũq; primũ; id esse adulterũ, quodcunq; posterius, nam hanc regulã* (doctrinã catholicorũ) *ab initio Euangelii decucurrisse, etiã ante priores quosque Hæreticos, nedum ante praxean* (Lutherum) *hesternum, probabit tam ipsa posteritas omnium Hæreticorum, quàm ipsa nouellitas praxeæ* (Lutheri) *hesterni.*

Tertul. cont. Praxean c. 2.

Quod si argumentum à præscriptione ductum non

est firmissimum & efficacissimum, cur Prædicātes librum Tertulliani de Præscriptionibus adeò limis oculis intuentur? Cur adeò tergiuersantur, quoties illorū vanitas ad aureolū hunc libellū, tanquam ad æquissimam trutinam adhibetur? Qui profectò vel solus omnes Hæreticos jugulat. *Reuertar*, inquit Tertullianus, *ad principalitatem veritati, & posteritatē mendacitatī deputandā ex illius quoq; parabolæ patrocinio, quæ bonū semen frumenti à Domino seminatum primò constituit: auenarū autē sterilis fani adulteriū ab inimico Diabolo postea superducit. Propriè enī doctrinarū distinctionē figurat, quia & alibi Verbum Dei seminis similitudo est. Ita ex ipso ordine manifestatur, id esse Dominicū & verum, quod sit prius traditum, id autem extraneum & falsum, quod sit posterius immissum. Ea sententia manebit aduersus posteriores quasq; hæreses, quibus nulla cōstantia de conscientia competit ad defendendam sibi veritatem.* Hæc præter alia in eandem sententiam toto libro illo obuia, pulcherrimè & verissimè Tertullianus. *Tert. de Præscrip. c. 31. Mat. 13.*

Dosis XVI. Quos Dialecticos reprehenderit Tertullianus.

DIxeram Tertullianum reprehendisse, non quosuis Dialecticos & Philosophos; aliâs seipsum etiā reprehendisset maximus ipse Dialecticus & Philosophus. Sed eos duntaxat, qui Platonē & Stoicorū dogmata ad Euangelii decreta nō exigebāt, vel examinabāt, sed cōtra potius Euāgelii oracula ad doctrinā Platonis vel Stoicorū; nec *captiuabant intellectum in obsequium fidei. Si*, inquit iste, *hæc vera sunt, eodem jure à Tertulliano reprehensi sunt, & Papistæ longè post ipsum exorituri.* Quàm longe verò post Tertullianum? Dic, obsecro, quando exorti sunt *Papistæ*?

Et quidem, si nomen consideremus, haud adeo difficilis tibi accidet responsio. Tum enim nomen hoc, *Papista*, natum videtur, cum Diabolus misit in cor Lutheri, vt IESVM Iudæis traderet & proderet, hoc est, cum Lutherus aduersus Vicarium Christi, summum Pontificem insanire & debacchari cœpit, nam tunc procusum est hoc nomen, vel saltem renouatum & recusum, si forte Huss aut Wicleph eodem vocabulo maledicendi gratia, vsi sunt. *Sic*, fateor, *Papistam*, prope mille & longe amplius annis posteriorem esse Tertulliano. At si de re huic voci subiecta agatur; tum *Papista* antiquitate Tertullianum longè antecedit: quia *Papæ* multis annis Tertullianum præiuerunt. Si igitur Papæ ante Tertullianum fuere, oportet & *Papistas* ante illum exstitisse, quia nullus vnquã *Papa* fuit, qui non habuerit suos subditos, hoc est, *Papistas*. Si fidem non facio, tũ edisseras nobis, oro, quis primus *Papa* fuerit, & qui primi *Papistæ*: & quot seculis post Tertullianum sint proseminati, & quo genitore?

Sed mittamus isthæc. Videamus potius, quomodo probet Tertullianicã reprehensionem conuenire in orthodoxos. *Non captiuant*, inquit Medicus, *suum intellectum in obsequium fidei comprehensæ decretis Euangelii.* At mentiri te perspicuè docet ipse Catholicæ professionis & religionis genius, qui est, nihil vltra id quod à maioribus acceptum est, quærere aut credere. *Nobis curiositate opus non est post Christum Iesum*, inquit Tertullianus, *nec inquisitione post Euangelium. cum credimus, nihil desideramus vltra credere. Hoc enim prius credimus, non esse quod vltra credere debeamus. Omnem probationem quærendi & inueniendi credendo fixisti, hunc tibi modum statuit fructus ipse quærendi. Hanc tibi fossam determinauit ipse, qui te non vult aliud credere, quàm quod instituit; ideoq; nec quærere.* An tantæ seruituti intellectum subiiciunt, qui

Tertul. de præscript. c. 8.

cap. 10.

qui perpetuò vociferantur. *Scrutamini scripturas?* *Hæc sibi mutuò contradicere videntur*, ait Medicus, *velle, vt disputationes conformentur ad decreta Euangelii, & velle iterum, vt cum Hæreticis disputetur sine scriptura.* Vbi vero scripsi cũ Hæreticis *sine scriptura* disputandum esse? Non pudet te Varna mendacii tam impudentis? Si rubore suffundi nequis ex castigato mẽdacio, accedas saltem furnulos tuos, vt eorum calor ruboris aliquid ex Alchymistico tuo vultu eliciat. Dixi Tertullianum in libro de præscriptionibus pro validissimo Hæreticos refutandi modo reputare argumenta ex præscriptione, omissa scriptura; Ex præscriptione, inquam. Cur hoc vocabulum tantopere odisti? Nec tamen hoc ita asserit, vt semper hoc telo in Hæreticos pugnandum existimet, imò non semel monet, quod & ego in Responso monui, ex scripturæ quoq; hoplotheca arma oppugnandis sectariis depromenda esse. *Salua ista præscriptione*, inquit Tertullianus, *vbiq; tamen propter instructionem & munitionem quorundam dandus est etiam retractatibus locus, vel ne videatur vnaquæq; peruersitas non examinata, sed præiudicata damnari, maximè hæc, quæ se existimat meram veritatem possidere.* *Tert. lib. cont. Praxean c. 2.*

Quam porrò argumentum ex præscriptione sectarios pungat, testatur iste ipse Medicus, qui, cum postulassem, vt Doctorum suorum à Luthero vsq; ad Apostolos catalogum contexerent; meq;, si id bona fide præstent, ad Lutheri castra transiturum, nihil aliud quod responderet habuit, quàm huiusmodi catalogos esse ab Apostolo interdictos, hoc ipso quod noluit, vt *circa genealogias occupemur.* Sed quia nullum cuneum reperiunt, quo hunc malum nodum expellant; (vidẽt enim fieri non posse, vt à *Luthero* vsq; ad Apostolos ascendendo singulis annis vnum solummodo Doctorem eadem omnino cum Lu-

thero docentem & sententem demonstrent) & quia facilius est descendere, quàm ascendere, ideo acquiescã, si ab Apostolis seriem Doctorum suorum auspicentur, eãq; perenni tenore ad Lutherum vsq; deducãt, ita vt Lutherus ordine non sit primus, sed postremus. Nam & hũc præscriptionis modum obseruandum esse docuit Tertullianus, si qui fortè ex Hæreticorum numero eò impudentiæ procederent, vt dicerẽt, se ab Apostolis originem ducere: *Si quæ* (hæreses) *audent interserere se ætati Apostolicæ,* inquit Tertullianus, *vt ideo videãtur ab Apostolis traditæ, quia sub Apostolis fuerũt, possumus dicere: edãt ergo origines Ecclesiarũ suarũ, euoluãt ordinẽ Episcoporũ suorũ, ita per susceptiones ab initio decurrẽtem, vt primus ille Episcopus aliquẽ ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamẽ cũ Apostolis perseuerauerint, habuerit auctorẽ & antecessorẽ. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt.* Deferatis ergò & vos, ô Lutherani hoc modo *census vestros*, & tanquam victores coronabimus.

Tertul. lib. de Præscript. ca. 32.

Dosis XVII. De Patribus.

Leont. lib. 1. con. Eutych.

P*Ost Apostolos & Prophetas*, inquit Leõtius Byzantinus, *posuit Deus in Ecclesia Doctores secundũ prouidentã Spiritus S. incõprehensã in opus ministerii, ad ædificationẽ corporis Christi. Quare qui Patres illos non recipit, qui in Ecclesia clari & celebres sunt, planè ordinationi & constitutioni Dei resistit.* Vtri autem Patrum reuerentiores sint & studiosiores, nosne, an Lutherani id demonstratione nulla eget. Pulchrè Ruffinus. *Si quis à me modò exigeret, vt probarem, si hodie antequã sol oriretur, nõn fuisset in terris, aut si vsq; ad solis occasum dies illustrauerit mundum, quid aliud dicerem, nisi magis ab illo, qui dubitaret de illo, quod omnes nouerant caussas dubitationis, quàm à me probationis oportere deposci.* Pari modo, si quis ambigat, quidnam

Ruffi. Inuect. 1.

Patrum

Patrum sint obseruantiores, orthodoxi ne, ân sectarii, ab eo potius caussas dubitationis, quàm à me probationis exigendas esse censeo. Omne tamen dubiũ si quis dubitat, eximet vel hæc vna Lutheri nõ tam oratio, quàm vociferatio. *Stultus & ridiculus videor, qui ista petã: sed stultitiam eã mihi extorquet indomitus furor Papistarum, & deplorata amentia luparum, id est Parisiensiũ, Louaniensiũ, & aliarũ scholarũ. Qui cum jam dudum sint indurati & inueterati diuturno & perpetuo contemptu Christi, Apostolorum, & Euangelistarum, vniuersaq́ scripturæ sanctum & Catholicum arbitrantur, vt cum furiosis furamus, & posthabitis verbis diuinis* (somniis Lutheranis) *jactemus cũ eis verba hominũ: Patres, Patres, Patres, Ecclesia, Ecclesia, Ecclesia, Cõcilia, Cõcilia, Cõcilia, Decreta, Decreta, Decreta, Vniuersitates, Vniuersitates, Vniuersitates.* Alibi idẽ Lutherus: *Totus Faber nihil est, nisi Patres, Patres, Patres: Cõcilia, Cõcilia, Cõcilia; quæ fabula jam dudum mihi surdo, etiã à nostris Lipsensibus Theologis, imo asinis deruditur. Ego Patristas, Conciliistas, Copulatistas istos contemnã, ac præterire sinã, &c.* Nũc ad institutũ.

Luth. lib. de Missa priuat. To. 2. lat. VVi.

Lu. To. 2. Ep. f. 129. 30.

Alchymista noster hoc loco mendacia, calumnias, inscitiã & vesaniã ita miscet ac tẽperat, vt ex his quatuor vnus quasi cinnus si non venustus; certè firmus & robustus cõficiatur; sed euoluamus inuoluta, vt magis emineant. *Sanctissi. Patres multi*, inquit Medicus, *vt Tertullian⁹, Cyprianus, &c Sozomenus quoq́ & Socrates falsi accusãtur, & fraudũ à Papistis. Ita agitur de Chrysostomo, & Auctore operis imperfecti.* Dic Varna, estne tuo judicio Tertullianus *sanctissimus*? Tune *Montanistas* inter sanctissimos numeras? An nescis Tertullianũ alioqn eruditissimũ in Mõtani Hæresin delapsũ? Vix mihi psuadeo te Lutheranũ, vel vt alii suspicãtur, Caluinianum, credere vllum ex *Montani schola* sanctitatis laudem adeptum esse; quia Montani Hæresis vestræ aduersa fronte aduersari videtur. Quid enim Euangelio *Lutherano* magis aduersum, quàm Mo-

nogamia? quàm duæ vel tres quadragesimæ? quàm interdictum fugæ persecutionis tempore; quàm alia de eodem genere? Si scires quid blaterares, Simonem Magum, aut Eunomium potius, quàm Tertullianum *sanctissimum* appellasses, quia ab his accepistis illud fidei vestræ fundamentum & vnicum solatium: *Sola fides justificat sine operibus.*

Ex Tertulliano, inquis, *facit Hæreticum*. Nec primus, nec solus ego: quia ipse prior se fecit Hæreticum: An *Montanista* non est Hæreticus? An non omnes veteres, nominatim S. Hieronymus, & S. Augustinus lapsum Tertulliani notarunt? An non eundem flebilibus modis deplorat Vincentius Lirinensis? An ideo Patrum; Doctorumq; Ecclesiæ auctoritas & dignitas corruit, quia Tertullianus corruit? An quia à veritate desciuit; ideo vera esse desinent ea, quæ cum adhuc in Catholica Ecclesia degeret, doctissimè & verissimè aduersus varios Christianæ fidei hostes scripsit?

Iam verò quid tibi in mentem venit, vt Sozomenum & Socratem, homines Nouatianos, *sanctissimorum* titulo exornares, vt & auctorem operis imperfecti Arianum? An Nouatiani & Ariani apud te sunt *sanctissimi?* Cum Erasmus in Diatriba de libero arbitrio aduersus Lutherum produxisset Basilium, Chrysostomum, Cyrillum, Ioannem Damascenum, Cyprianum, Hilarium, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, eosque à vitæ sanctimonia, & eruditione commendasset: Respondit Lutherus: *Si vrgeam & postulem, quem nam inter omnes illos, quos jactas, certò possis monstrare, sanctum fuisse vel esse, aut spiritum habuisse, aut vera miracula edidisse, arbitror te multum, sed frustra sudaturum esse.* Ecce profanus pater tuus sanctitatis laudem & honorem ipsi etiam Augustino, Cypriano, Hie-

Lut. de seruo arbit. Tom.2. lat. VVit.

Hieronymo, aliis, communi omnium ſæculorum conſenſu ſanctiſſimis viris detrahit, & tu Montaniſtas, Nouatianos, & Arianos in ſanctiſſimorum locum nobis reponis?

Vbi verò Chryſoſtomum vllius erroris in Reſponſo meo argui? Monſtra locum, aut vanitatis argueris non immerens. Cypriani de Hæreticis rebaptizandis errorem, quis veterum diſſimulauit?

Diſputationem de Canonibus Apoſtolorum carptim rodis, vt ſoles. Cur ſi probus es & doctus vires tuas in illam meam diſputationem non expromis? Nam vellicare modò hoc, modò illud, ſuppreſſis argumentorum neruis, id quiuis ſycophanta poteſt. Quod vero plures reſponſiones tam hic, quàm alibi adhibeo, id fit, vt veritatis fœcunditatem agnoſcatis, cui tam multiplici ratione falſitatem oppugnare, & ſe à veſtris ſpiculis tueri licet. Regula Iuris eſt: *Nemo pluribus defenſionibus vti prohibetur.* Si hoc licitum in foro, cur non etiam in certamine Theologico?

Iam quo nomine afficiam mendacium illud, cum ais: *pag. 163. Theodoretum reddit ſuſpectum corruptelæ Hæreticæ?* Egoné hoc de Theodoreto? vbi frons tua? ſed vbi fraus, ibi nulla frons. Dixeram, textum Theodoreti falſatum, aut à Roberto, Hæretico editore; aut ab imperito librario; Hoccine eſt ipſum Theodoretum ſuſpectũ reddere, quaſi hæreticæ corruptelæ auctor ſit? Dices, *Te hoc non velle*; Cur ergo aliud loqueris, aliud ſentis? Quis tua verba legens non arbitrabitur me ſcripſiſſe Theodoretum ſuſpectum reddi hæreticæ corruptelæ, non quam ipſe paſſus ſit à falſariis, ſed cuius ipſemet falſarius effectus auctor exſtiterit? Simile, ſi non deterius, mendacium effutis, cum Patris in Hæreſin lapſi exem-

plum S.Cyprianum à me produci scribis. Dic Alchymista, vbinam errorem S. Cypriani de Hæreticis rebaptizandis appellaui hæresin; aut Cyprianum hoc errore infectũ Hæreticũ? Nomina & monstra locũ, ni feceris, scin quid te præmii maneat? Aliud est error, aliud hæresis. Aliud errãs, aliud Hæreticus. Omnis hæresis error est, at non omnis error hæresis: quia erratur interdũ, sed salua charitate & vnitate, sine peruicacia & pertinacia cedere nec parata, nec consueta: quæ obstinatio propriè Hæreticos efficit: à qua beatissimus Martyr Cyprianus quàm longissimè abfuit. *Qui sententiam suam, quamuis falsam atque peruersam nulla pertinaci animositate defendunt*, inquit S. Hieronymus, *præsertim quam non audacia suæ præsumptionis pepererunt, sed à seductis atq; in errorem lapsis parentibus acceperunt, quærunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum inuenerint, nequaquam sunt inter Hæreticos deputandi.*

S. Hiero. epist. 162. 24. q. 3. c. dixit.

Quis tam sit vesanus, clamat Medicus, *vt relictis sacris litteris normaq; infallibili Spiritus sancti, se committat in fidei fundamento errantibus Patribus: & credat historicis Ecclesiæ fraudulentis.* Imò, quis nisi insanus, relictis sacris litteris, sanctisq; Patribus, & omnibus Ecclesiasticæ Antiquitatis monumentis, committat se in fidei fundamento somnianti & deliranti Luthero, hæresiarchæ arrogantissimo, & fœdissimo, qui ore verbum Domini iactat & pollicetur; re autem Diaboli verbum porrigit? Esto, erret, aut errare possit hic vel ille Doctor; at omnes Ecclesiæ Doctores in errorem incidere posse; id verò pernegamus: de quo fusius in Responso: nam quod omnibus vel fermè omnibus videtur, id non erratum, sed traditum est. Cæterum tametsi & hic & ille ex Sanctorum numero errare potest, multò tamen prudentius faciet, quisquis & hunc, & illum potius ex sanctorum Patrum cœtu sequetur, nõ ob-

obstante potentia errandi, quàm qui Lutherum similemue Nouatorem sibi ducem deliget. Quid enim? An non Lutherus erroris periculo obnoxius fuit? An ideo duntaxat errare non potuit, quia se diuino verbo niti audacissimè asseuerauit? sed eandem sibi regulam propositã fuisse in omni sua actione & scriptione testantur sancti Patres: quibus cur fidẽ potius non adhibeam, quam huic Thrasoni; caussæ nihil suppetit, siue eruditionẽ, siue virtutẽ & ꝓbitatẽ, siue orationis assiduitatẽ, siue Spiritus diuini charismata, siue alia dona cœlitus impertita cõsiderẽ.

Et quem, inquit Medicus, *Nectarium commendat?* Inspice Sozomenũ aut Socratẽ locis à me notatis; & opus nõ erit quęrere, quemnã Nectariũ cõmendem. Certè illũ non cõmendo, qui *confessionem auricularem abrogauit.* Quia nullus talis vnquã exstitit. Quod sæpius à Theologis nostris jã demonstratũ est. Sed Hæretici nõ habẽt aures audiendi; sed tantũ os & animũ calumniandi. *Præuentus enim falsæ opinionis errore humanus auditus*, inquit verissimè Vigilius Episcopus Tridentinus: *ad veri rationem percipiendam durus & perdifficilis inuenitur, quantiscunq; testibus vrgeatur: mauult enim praui dogmatis sententiam, qua semel infectus est, peruersus vendicare, quã hanc eandem tantis diuinarum humanarumq; legum auctoritatibus & rebus salubribus immutare.* *Vigil. lib. 1. cõ. Eutychen.*

At vide lector, quàm validis argumentis Lullista noster S. Augustino auctoritatem detrahat. *Augustinus fuit Manichæus; ergo in explicatione scripturarum non est credendum Augustino.* Quò ruis Varna? Paulus initiò fuit Iudæus & persecutor Ecclesiæ; An vis, vt huic antecedẽti subtilissimã tuam consecutionẽ attexam? Non pudet te imitari Donatistas, Arianos, Pelagianos, aliosq; Hæreticos, qui S. Augustino identidẽ obiectabãt, q̃ fuisset Manichęus? imò nõ solũ ipsi Augustino, sed & Catholicis ꝓpter Augustinũ

 hoc

hoc sæpius occinebant, contra quos elegantissimè disserit sanctus ille Præsul in explicatione Psalmorum. Inter cætera sic ait: *Quid ergo, Hæretice, dimittis caussam, & is ad hominem? Quid enim ego sum? Quid sum? Nunquid Catholica Ecclesia ego sum? Nunquid hæreditas Christi diffusa per gentes ego sum? Sufficit mihi, vt in ea sim. Vituperas mala mea præterita: Quid magnum facis? Seuerior sum ego in malo meo, quàm tu. Quod tu vituperasti, ego damnaui. Vtinam velles imitari, vt error tuus fieret aliquando præteritus.*

S. Aug. in Ps. 36. conc. 3.

Huic imperitissimæ exceptioni subiungit Varna istam: *Augustinus scripsit libros retractationum: ergo errauit in explanatione sacrarum litterarũ: ergo fides non est ei adhibenda.* At dic, num in libris Retractationum vllum articulum fidei retractarit & reuocarit? Dic, inquam, num Lutheri tui, & Philippi vertiginosum spiritum imitatus; postridie spongia eluerit, quod pridie, vt dogma sancti spiritus, ex intima sacrarum litterarum medulla depromptum venditarat? An vnquam vociferatus est Augustinus cum Luthero? *Certus sum, dogmata mea me habere de cælo, quæ etiã aduersus eum triumphaui, qui in vngue nouissimo plus habet virtutis & astutiæ, quàm omnes Papæ, & Reges, & Doctores:* An hac certitudine non obstante, cum Luthero nihil aliud fecit, quàm vt quæ prius exstruxerat, destrueret; & quæ prius tãquam fidei dogmata venditarat, successu temporis repudiaret? Absit, absit hæc leuitas à tanto viro, à tanto Antistite & Doctore. Non in hunc finem Retractationum libros conscripsit, quia huiusmodi retractatione & palinodia nihil opus erat, vt intelliget, quisquis vnam vel alterã pagellam in libris Retractationũ percurrere volet.

Luth. lib. con. Reg. Angliæ.

Tandem, vt Alchymista carpendi libidinem, qua laborat, manifesto exemplo manifestius nobis ob oculos ponat; sic calumniatur simul & conuiciatur. *Videtur fa-*

tuus ille Gretserus non benè perpendisse historiam de Sisinnio. Nã hic non Theodosio dedit id consilii, vt narrat pag. 50. sed Nectario, qui primum erat interrogatus. Nectarius porro Theodosio aperuit. En incogitantiam Gretseri, en incircumspectionem præcipitem, & cœcam. Sisinnius totius consilii Dux, architectus & auctor fuit, illius, inquam, consilii, quod Nectarius ad Theodosium Imperatorem ex ore Sisinnii retulit: ergo non Sisinnius, sed solus Nectarius Theodosio Imperatori hoc consilium dedit; nam qui Imperatori aut Regi per alium aliquid suadet, is non suadet ipsi Imperatori aut Regi, sed tantum ille, qui huiusmodi consilium ad Imperatorem, aut Regem refert. Ecce quanta in hoc Poeta clibanario sapientia latet!

Cur hinc, inquit, *non colligit, Agellium, Sisinnium & Nectarium idem sensisse cum Nouato, & sic item fuisse Hæreticos?* Quid attinebat hoc colligere de Agellio & Sisinnio, cum tàm Sozomenus, quàm Socrates disertè dicant, vtrunq; fuisse Nouatianum? De Nectario nulla itidem opus est collectione, quem ex vtriusq; historici relatione, & aliunde constat fuisse Episcopum Catholicum: Nam quod subdis: *Historia sanè dicit; Agellium Nouatianorum Episcopũ in fide idem ferè sensisse, quod Nectarius* (alius emendatè diceret, quod Nectarium) id tuum est mendacium. Nam vterq; historicus caret illo Varnensi FERE. In fide enim sanctissimæ Trinitatis (de hac enim loquitur Sozomenus & Socrates) non *ferè*, sed *planè* idem sentiebant orthodoxi & Nouatiani.

Dosis XIIX. De legibus Prædicantium,

QVas leges Prædicantes in disputationibus obseruẽt, copiose demonstraui in Responso. Id adscribit Alchymista indignationi meæ in Colloquium Ratisbonẽse; *Valdè*, inquit, *indignatur*, & vt non tantum Alchymistã, sed etiã solœcistã habeamus; *obtrectatur* Collo. Ratisbon. Vt maximè indignarer; nõ tamẽ *obtrectarer*, sed obtrectarẽ si obtrectarẽ. At nõ obtrecto, multoq; minus cũ Libauio *obtrector* Colloquio; sed Prædicantiũ morem & geniũ depingo; & quidem expressius, quàm Prædicãtiũ asseclis & patronis placet. Victoriã, quam de me reportatã prędicãt; si morarer, tum demũ forẽ *fungus, plumbũ, stipes fatuus*; quibus encomiis hic, & in omnibus propemodum pagellis me cinifio iste cohonestat.

Notum est, quàm insolenter victoriam, quantũuis turpiter victi, jactẽt. Dolẽdũ profectò, homines vbiq; victoriæ tam certos, non mitti in Hungariam aduersus Turcas, sẽper victores reuerterentur, & læto pæane totam Germaniam complerent. Interim non negamus Catholici collocutores, nos à Prædicantibus superatos esse; sed impudentia, effreni loquacitate, euagatione extra p̄fixos limites, transgressione legum præscriptarum, & id genus aliis dotibus: *Quotiescunq; vir probus*, inquit Maxim' Tyrius, *cum improbo contendit, quod minimè in eadem Palæstra vterq; progressus est, neq; sub eodem sese exercuit Magistro, non eandem didicit artem, non iisdem certaminibus inhæsit, non eandem coronam appetiuit, neq; eodem est delectatus præconio: piget eiusmodi pugnæ, inæqualis est congreßionis conditio: necesse prorsus est improbum ab eo stadio discedere victorem, &c. Probus namq; ha-*

Tyr. serm. 2.

rum

rum artium rudis atq́ ignarus, infidelitatis, veteramentorum, dolorumque omnium inanis exſiſtit; minimeq́ eiuſmodi certaminum peritus, à quibus improbitas vires & robur haurire conſueuit. Hęc & pulchrè, & verè Tyrius.

De bono latrone ſatis dictum eſt in Digreſſionibus. Clariſſimi viri Doctoris Piſtorii famam & exiſtimationem criminando & mētiēdo non lęditis aut atteritis, ſed magna acceſſione locupletatis. itaq́; ſi doctiſſimo viro obeſſe potius, quàm prodeſſe cogitatis, à calumniis in eum jaciēdis abſtinete. ſcilicet *Apoſtata* eſt, qui à ſynagoga Satanæ ad ſponſam Chriſti tranſiit. Dicitur *apoſtata* παρὰ τὸ ἀφίσαϛαι ſeu ἀποςῆναι, quod eſt, *abſiſtere, abſcedere* ab aliqua parte ad alteram. Ergo quod S. Auguſtinus eleganter ſcripſit de vocabulo *ſeductoris*, id etiam accommodare licebit ad vocabulū *Apoſtatæ. Si ſeducere decipere eſt,* inquit S. Auguſtinus, *nec Chriſtus ſeductor, nec Apoſtoli eius, nec quiſquā ſeductor debet eſſe Chriſtianus. Si autē ſeducere, aliunde aliquē ad aliud perſuadendo ducere eſt, quærendū eſt, vnde & quo? Si à malo ad bonum, bonus ſeductor eſt: Si à bono ad malum, malus ſeductor eſt. In hac ergo parte, qua ſeducūtur homines de malo ad bonum, vtinam omnes ſeductores & vocemur, & ſimus.* Pari modo ſi ἀφίσαϛαι, *apoſtatare*, eſt à veritate ad falſitatem deſciſcere: omnes vos Hæretici, Apoſtatæ eſtis. Si autem ἀφίσαϛαι eſt à Diabolo ad Deum tranſire, omnes, qui veſtra caſtra deſerunt, Apoſtatæ ſunt; ſed laudādi & prædicandi, Deoque chari & accepti. Inter quos vtinam & tu aliquando nomen tuum profiteri poſſes. Etſi poſſes, ſi velles. *S. Aug. Tra. 29. in Ioan.*

Miraris, quod juſſus à Prædicantibus, nolui nominare noſtrum Iudicem. Iam ſæpius reſponsū eſt; id ideo factū, quia ſeu juſſio, ſeu petitio illa nihil erat ad rem; illo quidem conſeſſu & tempore, & à Prædicantibus eo tantum fine mouebatur illa quæſtio, vt occaſionem extra

termi-

terminos euagandi reperirent, qui *Prædicantium* conatus me minimè fugiebat: Hoc enim illis perpetuum est ac solenne, interrogatiunculis & petitiunculis præcauere, ne in angustias argumentationis Dialecticæ coniiciantur; aut si eò coniecti sunt, vt quamprimum se inde expediāt, & in spatiosum illum, lateq; patentem concionandi & declamandi campum sese transferant.

Itaq; quisquis cum Prædicantibus disputare volet, is has sibi leges inuiolabiliter obseruandas norit: I. Vt nihil aut dicat ipse, aut à Prædicantibus admittat, nisi forma Dialectica inclusum.

II. Vt rogantibus caussam cur quis vel simpliciter, vel in hoc, aut illo sensu propositionem aliquam neget, causam nullam reddat, quia quamprimum caussa redditur, jam onere negatæ propositionis leuati, ad caussam redditam garrulitate sua insectandā se conuertunt; & à ꝓpositione, quam probare non poterant, abeunt; quo abitu suam infantiam & inscitiam tegunt. Ergoné nunquam erit assignanda ratio, dixerit quispiam? Vtiq; erit; At non tunc, cum Prædicantes volunt aut imperant; sed tunc, cum manifestè auditoribus constiterit, aduersarium non posse aut potuisse probare negatam aut distinctam propositionem. Id quod vix tribus, quatuorue syllogismis aut consequentiis propositis, liquido apparebit. Tam enim jeiuni, rudes, & hebetes sunt Prædicantes in argumentationibus, vt vix vllus sit, qui ad tertium aut quartum syllogismum progredi, aut pertingere possit, eo ꝓcessu, qui in scholasticis & Academicis concertationibus vsitatus est, vt scilicet primi syllogismi negatam propositionem probet per alterum syllogismum, aut enthymema; & rursum, si aliqua propositio huius negetur, ꝓbet per tertium. & sic deinceps.

Neq;

Nequedandum est responsum, si in aliqua enunciatione sua petant sibi dari exemplum simile vel dissimile, vt Heilbrunner & Hunnius faciebant: qui cum probare non possent, ideo scripturam esse vnicam solamq; normam omniũ controuersiarũ fidei, q̄ in scriptura laudentur; qui reformationes Deo placẽtes instituerunt secundum scriptum Dei verbum: clamabant: *monstretur exemplum dissimile.* Quod si monstratum fuisset, ipsi è vestigio allatum exemplum arripuissent: probandiq; onus à se excussissent. At cum nullum adductum esset, non potuerunt; quamuis in omnes partes sese versarent, probare hanc consequentiam. *Iste, & iste, & iste laudatus est, quod in cultu & religione egerit juxta scriptum Dei verbum: ergo scriptum Dei verbum, & quidem solum, est vnica omnium controuersiarum norma.* Vel: *Iste, & iste in cultu & fidei negotio egit secundum scriptum Dei verbum: ergo ille scriptum Dei verbum pro vnica omnis cultus & fidei regula habuit.*

III. Vt proposito vno syllogismo vel Enthymemate, non sinatur Prædicans agglomerare ꝓbationes alterutrius seu vtriusq; propositionis, cum necdum nouerit, quid probare oporteat, fieriq; possit, vt operosè probando Minorem, negetur Maior. Quod Prædicantibus in Colloquio Ratisbonensi contigit. Caussa autem cur hoc permittendum non sit, est cum maior lux, quæ toti disputationi accenditur, si sigillatim singula excutiantur, tum quia Prædicantes probationum enumeratione imperitis auditoribus fucum faciunt, quasi pro sua perfidia nihil habeant, præterquam adamantina testimonia, quæ tamen ficulna apparent, simulatque penitius inspiciuntur, & ad formam logicam applicantur; addito semper eo, quod quæritur; quia scripturæ testimonia ideo producuntur, vt aliquid, quod controuersum est, ad ea, tan-

quam ad libram, appendatur, vt exploremus, num aptã cum testimoniis illis conexionem habeat, num legitimè inde deducatur: an verò more *Prædicantico*, qui quiduis ex quouis colligunt. Hæ tres regulæ, si cum *Prædicantibus* obseruentur, reliquis, quæ aut à Prædicantibus, aut ab aliis præscribuntur, facillimè carebimus. Sed minore negotio leones sub jugum arandi caussa miseris, quàm *Prædicantes* adegeris, vt hoc disputandi jugum subeant. Et quamuis se subituros promittant, fidem tamen statim fallunt. & nisi enormè illam garriendi normam amplecti queant, fugam circumspiciunt, odio, vt aiunt, *sophistices* & *sophistarum*: Probabilius dicerent: amore inscitiæ & imperitiæ, & quidem spissæ & crassæ. Sed satis de his.

Alia quæ scripsi in Responso de legibus à *Prædicantibus* obseruari solitis, non aliter refellit Alchymista, quàm his & similibus telis. *Quarta, quinta, sexta, septimaque leges hominis vesani aniles sunt, & stultæ illecebræ. Octaua mendacium est turpissimum.* Quid his arietibus non subuertet Varna? Verum octauam legem, ex ipsa, vt sic loquar, veritatis medulla depromptam esse, fatebitur, quisquis nouit Prædicantes ad illorum classem pertinere, de quibus jam olim Apostolus Paulus vaticinans dixit: *A veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.* Quærunt & indagant veritatem; idq; vt eo citius nobis fidem faciant, ipsimet pleno ore prædicant. Sed quærunt Veritatem eo modo, quo Pilatus. Quærebat ille; *Quid est Veritas?* Quis audiens hoc non putasset Pilatum incredibili veritatis inuestigandæ desiderio teneri? At mox proposita hac quæstione, auertit se à veritate, nempe à Christo, & conuertit se ad Iudæos, ad falsitatem nimirũ, à luce ad tenebras.]

Ita & isti, se veritatem quæritare clamitant: sed cũ

dicto

dicto à veritate, ab Ecclesia, à Patribus, à traditione sensus & canonis Ecclesiastici, ad Lutherum, hoc est, ad fabulamenta & deliramenta cerebri sui conuertuntur: vbi, vt loquitur Tertullianus, *omnia* sunt *extranea & aduersaria nostræ veritati:* vt interim taceam Prædicantes fateri se veritatem necdum assecutos, hoc ipso, quod aiunt se veritatem studiosè quærere: vt enim eleganter ait Tertullianus: *Nemo quærit, nisi quod aut non habuit, aut perdidit. perdiderat vnam ex decem drachmis anus illa, & ideo quærebat: vbi tamen inuenit, quærere desiit. Panem vicinus non habebat, & ideo pulsabat: vbi tamen apertum est ei, & vt accepit, pulsare cessauit. Vidua à iudice petebat audiri, quia non admittebatur; sed vbi audita est, hactenus institit. Adeo finis est & quærendi, & pulsandi & petendi. Si verè adhuc quærunt* (Hæretici) *nihil adhuc certi deprehenderunt, & ideo, quodcunq; videntur interim tenere, dubitationem suam ostendunt, quamdiu quærunt.* Hæc Tertullianus. *Tert. de præscr. c. 12.* *Cap. 11.* *Lucæ 15. 11. 18.*

Sequentia Medicus. *Addidisse decem legibus* (Prædicantium) *debueras, quod Euangelicorum sit, nullam non disputationem auspicari, & principium sermonum facere ab inuocatione sancti Spiritus.* Et quidem tam piè & deuotè, vt quisquis illos precantes intuetur, intueri sibi videatur illos, quos Saluator ait, *in angulis platearum stantes orare, vt videantur ab hominibus.* Vbi notetur Pharisaicum illud STANTES, quod egregiè imitati sunt *adstantes* Prædicantes: Nullus enim genua vnquam flexit: conuenienter scilicet illi facto sancti Pauli: *Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri* IESV *Christi.* *Mat. 6.* *Eph. 3.*

Timebã ne renouarent nobis hæresin Agonyclitarũ, qui, vt scribit Damascenus, *quoties orant, genu flectere, prouol-*

niq; nolunt, sed semper stantes precantur. Et quod timebam, eueniebat, dum timebam: nullus enim submittebat genua; quasi essent ex genere Elephantorum, quibus negant articulos esse in pedibus. Periculum item erat, ne noui Passalorinchitæ exsisterent: Ita vultus in pileos pleriq; abdebant, ác si puderet illos Lutheranæ pietatis specimen, inspectante sole, edere. Quod autem Alchymista dicit, nos à politicis jussos, vota suscepisse, id mendaciũ est, cum nullus politicorum proximè nobis adsederit: nec quisquam etiam, qui hoc faciendum moneret, ad sedem nostram accesserit. Imò cum ante disputationẽ supremum Bauariæ Aulæ Cancellarium interrogassemus, num preces publicè consessibus præmittendæ essent, satius visum est, præmissa tacita sancti Spiritus inuocatione, ipsoq; sanctæ crucis signaculo contentos, statim rem ipsam aggredi, præsertim cum ipso die, quo disputatio cœpta, res diuina in Æde maxima, solenni ritu, diuinæ opis implorandæ & obtinendæ gratia peracta fuerit: quo tempore tui Prædicantes suis in hospitiis largiter fortassis jentabant, vt famem pro largiore prandio obsonarent, sicq; Lyæo pleni rem forti fronte, & rubero nescia à prandio agerent: insulsissimasq; preculas (quod semel atq; iterum ab Heilbrũnero factum) pro illuminatione cæcorum & reductione errantium nobis decantarent, quas nescio num ex libro, sicut & argumenta, recitarit. Nam memoriter recitasse vix sinunt me credere, oculi ad librum semper intenti, & tenacissima, qua alioquin Heilbrunnerus valet memoria; sed tunc cum quid ad verbum ex libro legendum est.

Dosis

Dosis XIX. Discrimen normæ & Iudicis.

CVm *quæritur de politico judice & legibus*, inquit Alchymista, *aliud lex est reipsa, aliud judex, legis administer. Sed cum agitur de verbo Dei, longe alia rès est.* Cur verò alia? Certe & hic, nisi omnia permiscere velimus; lex à iudice & interprete legis, & hic ab illa seiungi debet: Vera est enim hæc enunciatio in quacunq; materia: *aliud est lex, aliud Iudex & Interpres legis*; eamq; nemo inficiari potest, nisi is, qui nec legis, nec judicis notionem tenet. Et si in rebus politicis, ideo judicem à lege distinctum esse oportet, quia alioquin nullus esset aut finis, aut modus litium, quolibet legem in fauorem suæ caussæ interpretante; multo magis in rebus diuinis diuersus à lege judex statuendus erit, cum diuinæ leges pro altitudine mysteriorum, quæ continent, multo magis sint dissonis & contrariis expositionibus expositæ, quàm humanæ, quæ tantis obscuritatibus nequaquam sunt inuolutæ.

Sed videamus, quam pulchrè huic Prædicantium Arsenicario Magistro conueniat cum discipulis Prædicantibus, quorum hæc solennis vox est; *sacram scripturam esse omnium controuersiarum judicem*; ita enim pleriq; loquũtur. Addunt alii: *Sacram scripturam esse controuersiarum judicem, prout est vox sancti Spiritus*: Quid verò Alchymista? Quando dicimus scripturam esse judicem controuersiarum, *non intelligitur ille sonus in aerem emissus; nec illa calamo efformata scriptio.* Falsum est igitur, quod toties tanto clamore asseuerant, & in Colloquio Ratisbonensi asseuerabant Prædicantes, Verbum Dei *scriptum* (*scriptum*, in-

quam, *scriptum inquiunt & illi*) esse normam vnicam, & vnicum omnium controuersiarum judicem, quia verbum Dei scriptum nihil vtique aliud est, quàm illa calamo, vel typis efformata scriptio, quæ continetur libris illis, quos Canonicos appellare consueuimus: Et si sonus in aerem emissus, non est norma & judex controuersiarum ergo sermo ille Christi, vt absurditatem Varnensem exemplo illustriorem reddam, quem post cœnam vltimam ad discipulos suos instituit, quemque sanctus Ioannes litteris mandauit, non est pars normæ & judicis omnium controuersiarum, quia vt à Christo loquente proferebatur, sonus in aerem emissus erat: *E*t jam quoties quis ex bibliorum codice aliquid clara & sonora voce pronunciat, rationẽm normæ & judicis pars illa amittit, quia verbum Dei non est judex controuersiarũ prout est *sonus in aerem emissus*. Lex item Iustiniani non erit lex, si ab aliquo legatur, quia lex non *est sonus in aerem emissus*.

Cum ergo verbum Dei nec scriptum, nec vocale sit judex controuersiarum, si Varnæ contra alios Prædicantes fidem habemus; tempus postulat, vt nobis explanet, quisnam tandem sit ille nouus ex fornaculis Lullisticis egressus Iudex. *Res*, inquit, *concredita verbis Scripturæ est judex omnium controuersiarum: Et huius judicis signum quoddam externum potest esse vel scriptio vel pictura*. Gaudeamus omnes; quia nouum controuersiarum judicem, & quidem Lutheranum procudit nobis iste Chrysopœus seu Aurifex. Audite Lutherani, tuq; inprimis Hunni & Heilbrunner, *Verbum Dei scriptum non est judex omnium controuersiarum*; sed res verbo Dei scripto significata. Ex quo sequitur, mentiri vos iudicio huius Medici, quoties affirmatis, Verbum Dei scriptum esse omni-

omnium controuerſiarum judicem: quia res ſignificata eſt iſte judex: Aliud eſt autem res ſignificata, aliud Verbum Dei ſcriptum. Sicut aliud eſt res vocabulo hominis ſignificata, & aliud ipſum vocabulum rem illam ſignificans ſeu ſcriptum, ſeu voce prolatum. Aliud eſt ſignum, aliud ſignatum; Aliud ſignificans, aliud ſignificatum. Si igitur res ſignificata judex eſt, non ergo ipſum ſignum ſeu ſignificans, hoc eſt, ipſum ſcriptum Dei Verbum judex eſt.

Nec ad Spiritum ſanctum Medicus confugere poteſt. Quia Spiritus ſanctus non eſt totum & adæquatum Verbi Dei ſcripti ſignificatum. Nam Verbum Dei ſcriptum, quod nobis hiſtoriam de nuptiis in Cana Galilææ, aut de flagellatione & paſſione Domini refert, *obiectiuè* non ſignificat Spiritum ſanctum, aut aliquem actum eius; ſed ſignificat rem illam, quæ olim in Cana Galilææ; in ædibus *Pilati*; & in Caluariæ monte peracta eſt. Quam igitur diuerſus & diſſimilaris erit iſte judex, cum rerum ſcripto Dei verbo ſignificatarum ingens ſit multitudo, & incredibilis diuerſitas: Quid enim diuerſius rebus, quæ canonicis vtriuſq; teſtamenti libris comprehenduntur?

At conſidera lector deplorandum huius calumniatoris ſtuporem, qui jam jam dixerat, non ipſum ſcriptum DEI verbum, ſed rem ſcripto Dei Verbo ſignificatam eſſe controuerſiarum judicem; ille ipſe mox ſubdit, *actum illum, quo judicat Spiritus ſanctus eſſe controuerſiarum judicem, & hunc actum, re nihil differre ab eſſentia ſancti Spiritus, ac proinde rectè conſtitui judicē controuerſiarū, eo ſenſu, quo ipſe Spiritus ſanctus judex controuerſiarū nominatur.* Quid, obſecro,

ſecro, eſt delirare, ſi hoc non eſt? Dixéras Alchymiſta, tametſi imperitiſſimè *res verbo Dei ſcripto ſignificatas, eſſe judicem controuerſiarum:* nunc actum, quo ſanctus Spiritus de rebus judicat, judicem conſtituis. An toto verbo Dei ſcripto, nihil aliud ſignificatur, quàm actus ille Spiritus ſancti, quo verbum Dei verum eſſe judicat, ſeu cui verbum Dei ſcriptum per omnia eſt conforme & conſentaneum? An nihil verbis ſcripturæ ſacræ ſubiicitur, præter impreſſam illam notitiam Spiritus ſancti, à qua ipſum ſcriptum Dei verbum vim ſuam & appellationem trahit?

Pari ſtoliditate & inſipientia oppugnat definitionem normæ à me allatam. Dixeram normam eſſe id, ſecundum quod aliquid ſeu ſentiendum, ſeu dicendum, ſeu faciendum eſt; & ad quod dictum, factumue examinatur & exploratur, vt ſi cum eo conſentiat, probum; ſi diſſentiat, prauum æſtimetur. Quid iſte? *Norma eſt menſura homogenei per ſe, heterogenei per accidens: affirmatum prius eſt negato. In arte generali generalis eſt, in ſpecialibus ſpecialis.*

Quem feriunt iſta, niſi fortè ſtultitiam huius noſtri Arnoldiſtæ: cui ſi mandes, vt dictum illud Ariſtotelis explicet: *menſuram debere eſſe homogeneam menſurato*: vox faucibus hærebit, nec ſuppetet, quod ad rem dicat; etſi ſemper ſuppetet, quod extra rem deblateret. Quomodocunque enim dictum illud Ariſtotelis intelligatur, quid hoc ad definitionem normæ, quam attuli? An ideo falſa erit mea definitio, quod pronunciatum illud Ariſtotelis nec de genere proximo intelligatur, nec de remoto, imò nec de vllo genere propriè dicto, ſed de tali conuenientia, quæ ſufficiat ad debitam proportionem inter menſuram & menſuratum neceſſariam? Hæc autem conuenien-

Soaretz disp. 50. Metaph. sect. 10. asser. 3.

nientia neq; in omnibus mensuris, neq; in omnibus rebus æqualis esse potest, aut debet. nec de hoc potest vna & eadem regula pro omnibus assignari; sed juxta rerum & mensurarum diuersitatem id judicandum est. Nam in aliqua mensura perfectionis sufficit conuenientia analoga, in aliqua verò mensura quantitatiua requiritur non tantum conuenientia generica, sed etiam specifica, linea enim seu longitudo non potest nisi linea seu longitudine mensurari. Sed hæc sunt supra captum huius fumiuenduli, qui stolidè sibi imaginatur; quasi mensuratum semper oporteat esse eiusdem speciei, cum vnitas mensuret multitudinem, cum qua ne genere quidem conuenit, nedum specie: cum q; ligneus modius mensuret frumẽtum, inter quæ nulla eiusdem speciei communio. *Modius lignum est*, inquit Arrianus, *Nihilominus mensurat frumenta.* *Aria.l.1.c.17*

Quàm scitè autem addit, *mensuram per accidens esse heterogenei.* Vbi hoc Aristoteles? Si enim heterogeneum illud est, cui nulla prorsus ne analogica quidem conuenientia cum mensura intercedit, fieri profectò nequit vt heterogeneum tale per illam mensuram, à qua tantopere discrepat, vllo modo mensuretur. Quod si vel analogicam cum mensura proportionem habet, jam non est heterogeneum, sed homogeneum.

Reprehendit, quod normam definiens dixi; *Norma est id, &c. Genus*, inquit, *ignorat.* Hæc reprehensio si justa est, cadit quoq; in Aristotelem, qui mensuram definiens ait: *Mensura est id, quo quantum cognoscimus.* En Aristoteles ignorat genus mensuræ. Quæ ignorantia in multis aliis Aristotelis definitionibus elucescit. Quid dicam de Porphyrio, qui genus, speciem, & alia definiuit per istud *Id*, quod imperito Varnæ bilem mouet. *Genus est* *Arist.10.Metaph.c.2.*

id,&c. Species est id, quod prædicatur, &c. Ecce Porphyrius ignorat *genus generis & speciei*,&c; Prætereo alias innumeras huius notę definitiones, in quibus generis loco generale aliquid ponitur, præsertim quando definitum eiusmodi est, quod propriè genus nullum habet, aut cuius generalis notio non est eiusdem rationis & vniuoca, nec vno nomine significari potest; nisi vel synonymo, vel non latius patente, quàm pateat nomen definiti; vt si quis dicat: norma est regula secundum quam aliquid faciendum est,&c. nam regula latius non patet, quàm norma,& qui talem definitionem conficit, is æquè dicere posset: Regula est norma secundum quam, &c. & talem opinor exspectabat à me Medicus definitionem pro sua subtilitate Alchymistica. An volebat, vt loco generis collocarem mensuram? At quis ita loquitur? *Scriptura est mensura controuersiarum fidei. Omnes controuersiæ mensurantur per scripturam.* Etsi non abnuo, verum sensum his locutionibus posse subiici, eisq; nihil ferè præter vsum, quo molliantur, deesse. At tunc norma definiretur per genus latius non diffusum, quàm ipsum definitum: Omnis enim mensura hac significatione norma est, & omnis norma, mensura. Qui definiendi modus, quam probus sit & accuratus, norunt omnes, qui regulas definiendi didicerunt.

Stultè, inquit, *immiscet sensus, dicta, facta, externa hæc sunt, nec pertinent ad normæ essentiam.* potentiæ & habitus definiuntur per obiecta,& hoc ideo, quia licet obiecta ipsa per se non pertineant ad essentiam potentiarum & habituũ. Habitudo tamen potentiarum ad illa obiecta pertinet ad essentiam potentiarum,& habituum, quæ habitudo melius explicari nequit, quàm vocabulis ipsorum obiectorum. Eodem modo licet res, quæ secundum normam conformantur, & ad eius præscriptum componuntur, com-

comparantur & exiguntur; non sint de essentia normæ, norma tamen habet essentialem ad huiusmodi res habitudinem; Omnis enim norma alicuius vel aliquarum rerum norma est; respicit ergo illas res, & quidem respectu intrinseco; ita vt formalis ratio normæ subsistere non possit sine ista ad res ipsas habitudine. Rectè igitur res ipsæ in definitione normæ ponuntur. Nam norma Grãmatica est, ad quam oratio; norma Dialectica, ad quam dissertatio; norma ciuilis, ad quam ciuilis vita exigitur, eademq; est aliarum ratio.

Dixeram: *Prauum esse, quod à norma discordat.* Occlamat iste: *non statim prauum est, quod à norma dissentit; neq; probum, quod consentit.* Iure ad Auctorem remiserim hoc conuicium. *Fatuus & bliteus est hodie Varna, vt pridem.* Quantã enim stultitiam prodit; qui hæc tam absona chartis mandare audet; tanta jactantia & insolentia, ac si mera oracula funderet. Si non omne illud, quod à norma discrepat, prauũ est; da ergo mihi locutionem à norma Grammaticæ discrepantem, quæ non sit praua. Da dissertationem à norma Logica dissentientem, quæ sit bona. Da actionem à norma rationis abeuntem, quæ non sit mala. Da dictum, aut factum, quod cum norma sacræ scripturæ non conueniat, & tamẽ rectum sit ac probum. Da vllum dictum aut factum cum recta ratione, aut cum norma sacrarum literarum vndequaq; consentiens, quod non sit bonum, hoc ipso quod cum norma sua consentit.

Dixeram: omnem judicem secundum normam aliquam & regulam judicare debere, siue ea norma sit scripta, vt leges ciuiles: siue nitatur consuetudine, siue naturali rationis dictamine, vt cum agitur ex æquo & bono. *Videtis*, clamat Lullus, *hunc Phantasten* (de se loquitur) *non considerare, in quo versetur foro, quid scribat aut dicat. Cæ-*

lum habet nullum. Verissimum de Vbiquistis, quia cœlum Vbiquisticum nullum est. *Ecclesiam suam alligauit mundo.* Vana hęc sunt conuicia. Non alligo Ecclesiam mundo, quia secundum partes suas quotidie transit ad alteram illam & triumphãtem Ecclesiam, adeo non est alligata mundo: tametsi ego disputo de judice, qui præsidet Ecclesiæ huius mundi, militanti nimirum: Et vt recte & ordine de hoc judice disseram, generalem judicis notionẽ indago; quæ generalis notio in hoc itidem controuersiarum judice inesse debet; nisi quis dicere velit, solo nomine esse judicem, re autem & notione cum nullo alio judice conuenire. Est ergo notio generalis judicis, vt judicet secundum aliquam legem, seu normam aut regulam. Negas ne hoc? sed homo iste, si tamen verus homo, & non Theophrasticus, nihil vnquam ad rem respondet, nihil refutationis ad propositum facientis adducit; sed postquam mea verba mutilauit, responsa nec cœlum nec terram tangentia subiicit; vt & hoc loco, cum notio judicis labefactanda esset, sic ineptit. *Theologus abstrahit cõtemplationem à mundana conuersatione, & in altum cogitationes eleuat.* Attamen ita mentem à rebus creatis auocare debet, ne communes rerum notiones inficietur, aliâs non tam à sensibus abductus, quàm imis sensibus immersus erit. Quod Vbiquistis præcipuè contingit, qui adeo omnem rationem, sensumq; communem transcendunt, vt velut *pecora irrationabilia* insaniant, & tanquam cæci in meridie palpent.

Sed ascendamus cum Alchymista in hunc omnibus rebus caducis supereminentem montem, & ad hoc supra omnem rationem collocatum fastigium; & vel sine ratione contemplemur recondita illa mysteria, quæ nobis obiicientur. *Ibi inueniemus Deum, judicem nimirum, cum*

omne

omne judicium Deus Pater dederit Filio: Filius autem non venit ad judicandum: sed has partes commendauit Spiritui sancto & Verbo: ergo Spiritus sanctus & Verbum est judex omnium controuersiarum in hac militante Ecclesia. Vel: *Ergo Gretserus in hunc tam celsum montem euectus clarè jam videt, non omnem judicem à norma discriminari, & non omnem judicem debere juxta normā à se realiter distinctam judicare.* Vbi dixi, Varna, judicem generatim sumptum judicare debere juxta normam realiter à se distinctam? Ostende istud REALITER DISTINCTAM in meo libro: aut te egregium sycophantam esse confitere. Dixi, omnem judicem judicare secūdum aliquam normam. Nihil addidi de distinctione judicis & normæ, quam sequitur: quia distinctio ista nihil ad id, quod institueram, faciebat. Satis mihi erat hoc euincere, omnem judicem sibi regulam habere propositam, siue distinguatur tantum ratione, vt accidit, cum Deus judicat, cui essentia sua loco legis & normæ est, & quidem longè certioris & fidelioris, quàm vlla creata norma esse possit: siue distinguatur realiter, vt fit in aliis omnibus judicibus; quia omnes illi aut scriptas leges, aut consuetudines, aut naturale rationis dictamen in judicādo sequuntur. Non inficiabitur autem, nisi fallor, Vitriolarius noster, naturale rectæ rationis dictamen realiter ab illo, qui eo in agendo vtitur, distingui. Quanquam ne ipse quidem Deus in judicio ferendo sequitur jam, aut sequetur in nouissimo judicio suam essentiam duntaxat, vt normam omnis recti judicii; sed sequetur etiam leges scriptas, & naturalem, tanquam legis illius æternæ & essentiæ diuinæ quosdam surculos, & adeo sequetur, vt Hunnius tuus per summum delirium existimet; ipsos etiam bibliorum codices in extremo judicio adfuturos, vt juxta eorum præscriptum sententia judiciaria inde feratur.

Quæ posthęc de judicio & inuentione differit, tam subtilia sunt, vt non dubitem, Cardanum, si viueret, ea in libros Subtilitatum suarum relaturum fuisse. *Mens*, inquit, *& intellectus est, quod judicat.* Quantum acumen? *Quanta profunditas? Constat* item *actum intellectus ab intelligibili actu non re, sed ratione differre.* En mysterium! Intellectio non differt realiter à seipsa, vt est actus intellectus, sed tãtum ratione. Quis vnquam audiuit talia, tam arcana, & recondita? Pergamus & his epulis tam probè in Alchymistico *Reuerberio* distillatis, animum nostrum saginemus. *Intellectus cum actu judicat, reipsa intuetur seipsum, seu idea n illam, cuius essentiam ipse participat. Ergo falsum est, quod Gretserus ait: omnem judicem cum judicat sequi aliquam regulam, quia intellectus judicat; & sequitur regulam: ergo falsum est, quod omnis judex sequatur regulam.* O acumina! Verum vnde? Anne ex Peripato? Certè non: Huius enim Magistri & Professores tradunt actuum intellectus mensuram esse obiecta: Quocirca cum intellectus judicat, verusné an falsus sit actus, quem exercet, ad obiectum respicere debet, & ad id intellectionem suam, tanquam ad normam seu mensuram, applicare; si conueniens sit obiecto, vera erit intellectio: si disconueniens, falsa erit intellectio. Nec potest vllo modo intellectus de assensu aut dissensu, aut simplici sua apprehensione verum judicium ferre, nisi ad obiectum, tanquam ad regulam se conferat, eiusq; beneficio exploret, quomodo se intellectio habeat.

Isid. l. 18. Etymol. Refertur ext. ca Forus de Verb. sign.

Ridet notionem judicis, quæ est ista ex Isidoro: *Iudex dictus, quasi jus dicens populo, siue quod jure disceptet. Iure autem disceptare, est justè judicare.* Sed non rideret hanc notationem Iudicis istud *coaxans, brexansque* brutum, si communem sensum non amisisset; communesque re-

rum

rum & vocabulorum notitias ex animo suo per ignorantiam Lullisticam non expunxisset. *Debebat*, inquit, *ex phantasia politica pronunciare; quod jus dicere, esset legem æqui & boni verbis efferre.* Quæso te per *duos libros tuos*, quos de *Ranis* vocalissimis, animal loquacissimum scripsisti, quid iudicis Etymologia ab Isidoro allata aliud vult, quàm judicis proprium esse legem æqui & boni, id est, ipsum æquum, & bonum, & justum verbis efferre, ita vt litigantes, seu partes euidenter norint; quid cuique competat, quantum est ex sententia & declaratione huius judicis.

Addidi, jus dicere, esse caussa cognita, discussisque litigantium rationibus pronuntiare, quid cuique ex iustitiæ præscripto competat, quid non competat, quis justam caussam habeat, quis iniustam. *Iterum obliuiscitur*, ait iste, *in quo versetur stadio.* Optimè memini. In hoc nimirum stadio versor, vt indagem, quæ sit notio judicis, etiam maximè generatim accepti & considerati: Quæ quidem alia non est, præter eam, quam attuli; quidquid tu contra *ineptè, fatuè & delirè* delires, agnoscis, opinor, tua verba.

Ais. *Iudex est, qui judicat primùm & per se. Et qui judicat, est judex. Cognoscere caussas inuentoris est, non judicis, præcedit judicem, non cohæret essentialiter.*

Adeptus est quidem Iudex hoc nomen ab actu illo, quo jus seu justum & æquum inter aliquos constituit, interim tamen ad officium judicis etiam pertinet, & quidem essentialiter, partium caussas cognoscere & discutere. Quomodo enim caussa non cognita ius dicet? Quomodo vnicuiq; quod suum est, tribuet? Itaq; cognoscere caussã nõ p̃cedit judicẽ, sed intra terminos eius

con-

continetur; si judicē nō secundū vnum duntaxat actum, sed secundum totam suam latitudinem spectemus. Quoties autem fit, vt res ab vno nomen sortiatur, licet longè plura complectatur? Certè caussas, caussarumq; momenta & merita cum auctoritate & potestate inuestigare, & ad justitiæ libram expendere, non minus competit judici, quàm caussâ cognita sententiam juridicè pronunciare. Pulchrè & verè naturæque judicis conuenienter Aristoteles: ὥσπερ ἀργυρογνώμων ὁ κριτής ἐστιν, ὅπως διακρίνῃ τὸ κίβδηλον δίκαιον καὶ τὸ ἀληθές. *Iudex est quasi spectator ac probator nummorum, vt jus ærosum & adulterinum discernat à vero.* Imò hoc adeò est de ratione judicis, vt ne Deus quidem quenquam judicet, nisi caussa cognita, & vt sic loquar, *discussa*; etsi ipse non discutit ratiocinando, alterumque cum altero conferendo; sed simplici intuitu, quo statim rationum momenta accuratissimè & fidelissimè peruidet. Qui tamen simplex intuitus discussioni nostræ æquipollet; quod enim nos assequimur per variam rationum inter se collationem, hoc Deus absq; huiusmodi rationum inter se comparatione perfectissimè possidet.

Arist. lib. 1. Rhet.

Discutere litigantium rationes, non est cuiusuis Iudicis, ait Alchymista; *sed judicis particularis, qui præfectus est litibus dijudicandis.* An verò vllus judex est, qui litibus, rebusq; dubiis diiudicandis non præsit? An non officium judicis est vt jus suum cuiuis assignet, si fortè quis in jure suo sit læsus, minusq; habeat, quàm ei jure competat? *In foro politico,* inquit Medicus, *judex quæstiones quasq; judicat, & sententiam justi vel iniusti, vel vni tantum homini de aliqua re quærenti manifestat.* Ineptis Alchymista, Nemo queritur seu querelam instituit nisi contra aliquem alium; aduersus seipsum enim quis vnquam in judicio visus est con-

conqueri? Si ergo vel vnius hominis in judicio querelæ judex locum dat, eaq; permotus, sententiam pronunciare cogitat, id facere non potest, nisi discussis caussis tam eius, qui querelam deponit, quam eius contra quem querelam deponit: Et hoc est discutere litigantium rationes; nam judex *medius*, seu *mediator* est, oportet ergo vt *mediet* inter duas partes: & vnicuiq; jus suum tribuat: quod facere nequit, nisi vtriusq; partis momenta discutiat & expendat: Et has partes sibi oppositas voco *partes litigantes*, quas in omni judicio reperiri tam clarum est, vt mirandum sit, vllum reperiri tanta cœcitate præditum; qui rem manifestissimam inficiari ausit, nisi quod hæreseos suæ gratia isti quamuis absurditatem tueri, & communes vocabulorum notiones pernegare non reformidant; vel potius ineuitabili necessitate coguntur. Animaduertunt enim sibi nihil superesse, quo suum de judice controuersiarum paradoxum defendant; nisi nouam iudicis notionem, sublata vetere, comminiscantur. At quod Alchymista innuit, etiam tunc judicem fungi judicis officio, cum quærenti de aliqua re, manifestat, quid ex ratione juris & æquitatis faciendum sit, eo modo, quo Iureconsulti rogati à clientibus, sententiam de iure explanare solent, id inane est ac futile, quia doctori potius, quã iudici competit; cuius est cum auctoritate ius suum cuiq; efficaciter tribuere; non autem nudam duntaxat sententiam de iure patefacere.

Pronunciare, inquit Medicus, *non est proprium judicis, sed accidit ei.* Imò maximè proprium est iudicis prout Iudex in *actu* quasi *secundo* & completo consideratur: quemadmodum à nobis hoc loco consideratur. Quidquid enim mente volutet ac decernat Iudex, nondum iudicis officio plenè & perfectè vsus censetur, si per sententiam

suam vnicuiq; nõ tribuat, quod suum est: quod facere nõ potest; nisi scripto aut voce, aut alio signo externo sententiam judiciariam prodat: Nam quod calumniator verbum *pronunciandi* vrget, id impostoris fucus est, neq; enim *pronunciandi* vocem strictè vsurpaui pro vocali tantum prolatione sententiæ, sed latius accepi pro quacunq; ratione, qua sententia manifestari potest; siue id fiat voce, siue scripto, siue alio indicio. Quis enim dubitat Iudicem non sola voce, sed & aliis signis sententiam judiciariam notificare posse?

Pronunciare, inquit Lullista, *quid cuiq; ex iuris præscripto competat, & quid non, est particularis justitiæ, quæ distributiua appellatur, non autem vniuersalis. Quocirca vniuersalem judicem neutiquam assequitur Papista.* Quam doctè! Iudicium est actus intellectus; non ergò justitiæ, quæ est in voluntate; nisi vt in scholis loquimur, *imperatiuè*; quatenus iustitia mouet intellectum ad iudicium eliciendum, vt eo tanquam medio constituatur inter partes æqualitas. Secundò particularis justitiæ non est vna tantummodò species; sed minimum duplex; nempe *commutatiua & distributiua*. Iam verò judicium non tantum constituit æqualitatem iustitiæ distributiuæ; sed multo magis justitię commutatiuæ; ne dicam solius. Silentio etiam prætereo justitiam *vindicatiuam*, quam iudex quoq; spectat: & ęqualitates illas specierum quarundam justitiæ minus propriè dictæ; quæ per sententiam iudicis constitui possunt inter patrem & filium: vxorem & maritum, &c. Omitto hæc & alia huius generis, quibus capiendis Alchymistæ huic sat cerebri non suppetit. Nam tenuitatem eius vel hinc coniicias, quod existimat non posse esse judicem vniuersalem; nisi judicium sit actus justitiæ *vniuersalis*, quam alii *generalem* seu *legalem* vocant; quasi non omnis inæqualitas

quæ

quæ aut fingi, aut oriri poteſt; queat reduci ad aliquam ex prædictis juſtitię ſpeciebus ſeu propriè ſeu impropriè dictis. Nec juſtitiæ generalis ſeu legalis eſt, omnem inęqualitatem ad æqualitatem redigere, ſed hominem proximè & immediatè perficere, in ordine ad communitatẽ ſeu Rempublicam, vt rectè & juſtè erga illam ſeſe gerat: quod licet judex in judicio itidem ſpectet; ſpectat tamen hoc ſecundariò tantum & remotè; nam quod primariò & ꝓximè tantum ſpectat, id nihil aliud eſt, quàm vt partes inæquales per judicium ad æqualitatem reducat. Itaq; judex poteſt eſſe vniuerſalis, hoc eſt, omnibus controuerſiis dirimendis præfectus; licet judicium non ſit actus juſtitiæ vniuerſalis ſeu legalis; cuius, vt dixi, hoc munus, vt hoĩem in quo eſt, ſeu *ipſum operantem* benè afficiat & diſponat ad cõmunitatẽ ꝓximè & immediatè propter bonũ cõmunitatis, quidquid ſit de priuato cõmodo, aut incõmodo ipſius operantis. Hic certè non eſt primarius finis judicis in judicando, vt notum eſt. At ſatis de his. In mentẽ venit illius ſymboli Pythagorici, *cibum in matulam ne inijce, quo præcipitur*, interprete Plutarcho, *prauo animo committendã non eſſe elegantẽ orationẽ*, & ſolidioris doctrinę arcana: Inſcitia enim & malitia ꝑpeditus, nihil capit. Itaq; inanis labor capitur, quoties ei erudiendo opera datur. *Irridere ſtultitiam hominis ſatius eſt, quàm confutare.* Lubet namq; Varnenſes phraſes ſubinde, eò vnde ꝓdierunt, remittere.

Porrò tametſi ego capite octauo mei libri generalem tantummodo iudicis rationem & notionem indagarim, vt inde ſuo loco & tempore ad judicẽ controuerſiarũ deſcenderẽ; iſte tamen Alchymiſta omnẽ diſputationis ordinẽ & ſeriẽ turbat & miſcet: quæq; in genere de judice dixi, ea hunc in modum concipienda fuiſſe affirmat (& ſic etiam concepiſſem, ſi cum Libauio aniliter

delirare voluissem) *Theologia in quæstionibus fidei eum profecto requirit judicem, qui vniuersalis justitiæ leges, omnemq́ fidem etiam in cordibus absconditam posßit comprehendere.* En definitionem, quæ Lutheranum virus primo statim aspectu promit: Vt enim de inscitia, quam præ se fert, nullum verbum faciam (iam enim satis superq́; de iustitia vniuersali egimus) an non manifestæ vanitatis argumentum est, quod iudicem in rebus Theologicis nobis iam ingerit, cum non de hoc, sed de iudice in genere hoc loco disputatio sit instituta. Dic Alchymista, quis est iudicis generatim accepti conceptus? Quæ notio? Non quæro iam, quæ sit notio iudicis in controuersiis fidei. Generalem iudicis notionem exquiro. Hanc, si potes, assigna. si non potes, blaterare cessa. Quamuis cur insanum moneo, vt insanire desistat?

Deinde, quænam ista insipientia est, asserere, iudicem ita comparatum esse debere, vt etiam norit fidem in corde singulorum abditam? perinde est, ac si diceres: Iudicem politicum ea vi præditum esse debere, vt etiam malefacta in animis maleficorum adhuc delitescentia cognoscere queat. Sed cauto & callido consilio id, quod in quæstione versatur, intrudit in definitionem, vt pro certo acceptetur, quod extra definitionem à cautis & prouidis, tanquam controuersum, ad examen reuocaretur. At necdum plenè depictus est iudex Lutheranus. Spectemus & expendamus cætera. *Si judex absolutus esse debet, vim quoq́, absolutam circa fidem eum posßidere necesse est: Si Catholicus, Catholicam.* Non displicet hæc pars descriptionis. Perge, sed pari gradu. *Hic non fingentur rixantes inter se homines, sed & conscientiæ se mutuò accusantes.* Non quidem fingentur, sed sine fictione inter se rixabuntur. An non enim nemine quidquam fingente rixamur cum Prædicantibus

tibus de possessione veræ fidei ac religionis? An non cũ hac rixa ad iudicem accedimus? & quia Prædicantes nolunt nobiscum adire iudicem nostrum, nos cum Prædicantibus adimus iudicem, quem vobis fingitis, nempe ipsam sacram scripturam. An iudex iste vester litibus finem imponit? An clarè & disertè explicat, quæ pars benè sentiat, quæ malè; quæ pars caussam amiserit, quę obtinuerit?

Nam quod ad *mutuam conscientiarum accusationem* confugis, id impietatis tuæ tegumentum, & ignorantiæ latibulum est. Dum enim in hoc mortali corpore degimus, more hominum vitam & actiones nostras instituimus. Quocirca nisi accusatio alterius per signa externa nobis innotescat; parum laboramus, quasnam accusationes conscientia aliena aduersus nos excitet: quippe ad quas respondere non obligamur, nisi nobis patefiant. At quomodo patefient absq; externis indiciis? Et cui etiam iudici in hac vita patefient? Deo, dices. Sed hoc ipsum in quæstione positum est, num Deus sit ille Iudex, quem in omni controuersia fidei immediatè adire iubemur, eiusq; sententiæ euidenter prolatæ adquiescere. Imò, qua tandem ratione ego me defendam, si accusationes aduersus me exploratas non habeam; vt certè non habeo, cum in alienam conscientiam oculos inserere nequeam. Non accusamus nos mutuò Catholici & Hæretici solis conscientiis; sed ore & calamo iudicem quærimus, qui ore vel calamo nobis cum auctoritate causam aut adiudicet, aut abiudicet. Si vester iudex talis est, faciat, & verbum non faciemus. Si noster iudex talis est, vt reuera est, sententiæ illius iamdudum contra vos datæ & latæ acquiescite: aut si veteri acquiescere detrectatis, nouam facillimè impetrabimus, quæ omnem de

damnatione veſtra, noſtraq; abſolutione ſcrupulum vobis eximat.

Non reſpiciendum eſt, inquit Lulliſta, *ad id, quod conſueuit ſæculũ facere, aut quid ex æquo & bono pro ſua opinione quiſq; velit, ſed quod ex pacto in Eccleſia æterno ab eo, penes quem omnis poteſtas eſt, ſit ſtatutum.* Nimirum hoc ſtatutum eſt, vt communis notio iudicis in huius vitæ foro, accommodetur etiam iudici controuerſiarum, vtq; eum, cui hæc notio accommodari nequit, non credamus eſſe ordinarium, ꝓximum & immediatum iudicem controuerſiarũ in huius vitæ foro. Hoc ſtatuit, hoc immota lege ſanxit is, penes quem ius & arbitrium hæc decernendi reſidet.

Diuiſeram iudicem in ſupremum & generalem omnium controuerſiarum (controuerſiarum inquã, non cõtrouerſiarum de fide Chriſtiana: vt mentitur ſycophanta; neq; enim eo loco agebam de iudice controuerſiarũ fidei, ſed de iudice in communi) & in iudicem nec ſupremum, nec generalem. Hanc diuiſionem ait *ſatis* ἀλόγως, *temerè & ſine ratione inſtitutam.* Quid ita verò? Quia diſertè dico, me quærere iudicem ſupremum & generalem omnium controuerſiarum circa doctrinam, fidem & cultum religionis, &c. *Talis*, inquit, *iudex in data definitione nõ eſt.* In diuiſione volebas, opinor, dicere. An verò non eſt in data diuiſione? an non diuiſi iudicem generatim acceptum in generalem ſeu ſupremum, & in non generalem ſeu non ſupremum? An non explicata hac generali doctrina de iudice, dixi nos non quærere iudicem non generalem, ſeu non ſupremum: ſed generalem & ſupremum: generalem inquam reſpectu omnium controuerſiarum fidei? quid ergo cum ſuis conuiciis & ſycophantiis ſibi vult infelix Alchymiſta, & fatuus Arnoldiſta,

qui

qui stultissimè inficiatur *iudici potestatem cogendi competere*, contra primam iudicis tritissimamq; notionem, non sine blasphemia in Spiritum sanctum, quem Prædicantes pro iudice generali, etsi non assentientem, constituunt, quem vi & potestate cogendi sacrilegè priuant, hoc ipso, quod *fatuus iste* ait; stultum esse iudici potestatem cogendi assignare.

Criminationibus cum spissa inscitia iunctis subiungit Pharmacopœus mendacium pari ignorantia implicatum. *In colloquio largius multò locuti sunt Iesuitæ, quàm hic ille Gretserus. Nam non tantum de controuersiis circa doctrinam, cultum & fidem religionis omnibus disceptarunt, sed comprehenderunt omnia omninò, quæ de religione vnquam incidere queunt.* Qui benè coniectat, is vates optimus est: vt habet vetus prouerbium. Coniiciat igitur, qui volet, quid hoc loco significare voluerit: Ego, quod ad me attinet, nihil aliud video, quàm quod solenni suo more insulsissimè mentitus sit.

Iudicem vi coactiuâ præditum esse, dicebam liquere. I. ex communi omnium sensu. Obiicit. *Non videndum in Ecclesia, quid omnes communiter sentiant; sed quid sentiendum sit juxta præscriptum diuinum.* Scilicet communes omnium mortalium notitiæ mutandę & inuertendæ erunt, vt deliramenta Prædicantium locum inueniant, quæ specioso verbi diuini velamento obnubunt, ne turpitudo appareat.

Quod si consequentiam texere velim, quid quæso vitii in ista ostendes? Iudex propriè dictus & generatim sumptus includit in sua notione vim & potestatem cogendi, ex communi omnium intelligentium existimatione; ergo etiam iudex in rebus Ecclesiasticis eadem vi & potestate pollebit; q̃a est iudex ꝓpriè dictus, subq; iu-

dice generatim, tanquam pars ſubiecta, comprehenſus.

Secundo dicebam, id ipſum liquere ex praxi fori externi, vbi iudex cogendi poteſtatem habet. *Atalia eſt ratio Eccleſiæ*, inquit Medicus. Vt alia ratio ſit quoad alia, certè quoad poteſtatem coactiuam iudicis eadem omninò eſt ratio.

Nam iudex in foro ciuili ideo hac poteſtate eget, vt obtemperare nolentes efficaciter adigere poſſit ad officium: Sed hoc multo magis neceſſarium eſt in foro Eccleſiaſtico, vbi propter ſublimitatem rerum, quæ in controuerſiam aut vocantur, aut vocari poſſunt, longe maius periculum eſt inobedientiæ. Neceſſe igitur eſt, vt ſi quis iudicis ſententiæ acquieſcere nolit, iudex poteſtatem cogendi & puniendi habeat: alioquin nunquam efficaciter officii ſui partes exſequi valebit. Si quis ergo hunc in modum argumentetur: Iudex in foro externo, ea de cauſſa, quia iudex propriè dictus eſt, pollet poteſtate cogendi; igitur & iudex in foro Eccleſiaſtico, ideo quia propriè dictus iudex eſt, pollebit poteſtate cogendi. Quid reſpondebit imperitia Varnæ? Mirum profecto eſt Sectarios tam inconſideratè & temerè iudici controuerſiarum coactiuam poteſtatem abrogare, cum ipſi Spiritum ſanctum pro iudice controuerſiarum ſtatuant. An is non habet poteſtatem cogendi? An non eandem cogendi poteſtatem arrogantiſſimè ſibi arrogant ipſi Prędicantes, dum quos ſibi minus obſequentes arbitrãtur, excommunicant, & à cœno ſeu cœna ſua arcent, eſt cum & patria, domo, fortuniſque omnibus euertant?

Tertio dicebam, idem conſtare ex ſacris literis, in quibus vocabulum iudicis crebrò occurrit ea notione,

tione, quę potestatem coactiuam indicet. Protuli aliquot exempla. Obiicit Alchymista, *non quæri judicem politicũ, sed sacerdotem, aut Episcopum.* Atqui ego illis probationibus nec Sacerdotem nec Episcopum quærebam, sed notionem judicis in communi, in qua contineri vim coactiuã etiam ex scripturæ vsu, euidenter ostensum & euictum est. Si igitur in generali judicis notione hæc vis coactiua inest, oportet vt etiam insit in speciali Iudicis Ecclesiastici notione. quidquid enim inest in superiore & communiore, id etiam inest in illo, quod ei tanquam minus commune subiicitur. Hic ratiocinationis meæ cursus & scopus fuit, non is, quem stultitia Alchymistæ sibi fingit, qui mox hæc subiungit. *Christus non fuit judex politicus, cum versaretur specie visibili inter homines.* Esto, non enim de hoc tecum contendam. Quid infers inde? An hanc consequentiam? *Ergo nec fuit judex Ecclesiasticus, cum versaretur aspectabili forma inter mortales. Sacerdos, & quidem summus, in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Si hanc consequentiam ex illo tuo dicto colligere cogitas; tum jubebo tibi meraciores Antimonii calices præberi.

At Christus aiebat, *se non missum ad judicandum, sed ad saluandum.* Nimirum missus non erat ad sententiam vltimæ damnationis contra mundum ferendam: sed vt errantes in viam salutis reduceret: Huic tamen minimè obstat, quo minus fuerit supremus & absolutus judex in rebus spiritualibus, & quæ ad fidem attinent, quatenus erat Sacerdos & summus Pontifex secundum ordinem Melchisedech; quia hæc judiciaria potestas non aduersabatur fini, cujus gratia Christus venerat, videlicet, vt mundum saluaret; imò plurimum ad hunc finem conferebat, quid enim saluti humanæ conducibilius, quàm sententiam eius judicis amplecti, qui vt nec ipse labi, ita

Ioan. 3. 12.

neque aliis lapſus auctor eſſe poteſt?

Quid verò monſtri, quod ſubnectis? *Nec in extremo die per ſe iudicaturum eſſe pronunciat: nam hic Verbum ſuum judicem conſtituit.* Expungatur ergo, vel corrigatur articulus ille ſymboli: *Inde venturus eſt* (Chriſtus) *judicare viuos & mortuos*: ſi non ipſe, ſed ſermo eius venturus eſt, vt iudex. Sed de hoc monſtroſo paradoxo, ex Hunnii officina profecto plura in Reſponſo. Hic tantummodo hoc argumentum adiicio. Ille in nouiſſimo judicio

Mat, 25. judex erit, & per ſe judicabit; qui ſtantibus ad dexteram ſuam dicet: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum, &c.* quiq; ſtantibus ad ſiniſtram dicet: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum*. Sed iſte non eſt alius, quàm Chriſtus, ſeu filius hominis; ergò Chriſtus ſeu filius hominis in extremo judicio per ſe judicabit, ſententiamq; judiciariam per ſeipſum proferet; non autem ſermo Chriſti, aut ſcriptum Dei verbum, vt inſulſi Prædicantes hallucinantur. Quo autem ſenſu Chriſtus dixerit, ſermonem ſuum judicaturum impios, explicatum inuenies in Reſponſo.

In Eccleſia militante, inquit Medicus, *Spiritum ſanctum cum verbo judicem proponit Chriſtus.* Vbi? quo loco? qua ſacrarum litterarum pagina? Illum, illum conſtituit judicem in Eccleſia militante; viſibilem in viſibili, cui dixit:

Mat. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum; & quodcunq, ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis: & quodcunq, ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis.* Huic inquam commiſit Chriſtus judiciariam poteſtatem plenam & ſupremam in hac militante & aſpectabili Eccleſia: Sed conſidera mi Lector, ſtuporem huius Alchymiſtæ.

Verbum Chriſti vocatur judex:

Ergo non eſt alius judex in Eccleſia.

Quo-

Quoties dictum & scriptū? Verbū scriptū impropriè dici judicem, impropriè iudicare, non secus ac alia quælibet lex aut constitutio dicitur impropriè *judex* & *judicare*. cur non refutatis probationes nostras, si potestis? Tentas quidem aliquid, sed quid efficias, paulò post videbimus. Ergò argumenti huius acumen simile est acumini huius: Lex scripta ciuilis & forensis dicitur aliquando *judex* & *judicare*; ergo præter legem scriptam ciuilem & forensem non datur alius judex in foro, qui secundum legem propriè iudicet, proprieq; judicis nomen ferat.

Pergit: *Christus vocatur judex, Spiritus S. vocatur judex: imò ipse etiam Deus indeterminatè; ergo non datur alius judex in Ecclesia militante*. Pulcherrima consequentia: & huic planè gemella: Christus appellatur in scriptura Rex Regum, & Dominus Dominantium; Ipse Deus millies dicitur Dominus vniuersorū & Rex; ergo præter Christū & Deum non est alius Rex aut Dominus. Maiora canamus. *Conscientiis tribuitur judicium; sunt ergo judices: non reperitur ergo alius judex in Ecclesia militante; qui controuersias ex officio diiudicet: quia conscientiæ singulorum hoc faciunt*. Perinde ac si in hunc modum delires. Conscientiis tribuitur quoq; accusatio, & testimonii dictio; nihil enim vehementius accusat, & testatur, quàm conscientia, & ex vulgari verbo: *Conscientia mille testes*: ergo in huius vitæ foro tam ciuili, tam Ecclesiastico, non dantur alii accusatores, aut testes, sed singulorum conscientiæ munus accusatorum & testium subeunt.

Necdum finis desipiendi. *Cuilibet homini tribuitur judicium, cum vel se, vel proximum judicat. Ergo nullus superest controuersiarum judex in hac militante Ecclesia, qui cum auctoritate ordinaria, & ex officio per sententiam litibus finem imponat.* An non hæc sunt argumenta ad quintam vsq; essentiam

distillata in fornacibus Lullicis & Arnoldicis? Addamus & hoc cognationis caussa. *Iudex Ecclesiasticus est spiritualis*, hoc est, *circa spiritualia occupatus: ergo cogere non potest:* Quasi nullæ sint pœnæ spirituales, nullæ coercitiones, nulla anathemata, quibus homines in officio vel retineri, vel ad officium adigi queant: quasi nullus sit Magistratus politicus, qui videns spiritales pœnas ab improbis cõtemni, possit, externam vim exerere, & ad id, quod rectum est compellere.

Dixeram: Legem esse judicem impropriè. Respondet. *Credo, si eadem ratio est legis politicæ & diuinæ: Sed non est.* At ego assero esse; & asseram, donec tu contrarium demonstraueris; Nulli enim legi scriptæ, quatenus est lex scripta, à legislatore distincta, propriè conuenit, vt sit judex, nec sub ratione legis, nec sub quocunq; alio respectu.

Verum ineptæ suæ assertioni fidem conciliare conatur Alchymista hoc argumento,

Qui jus dicit, ille est judex, & quidem propriè dictus:
Lex jus dicit:
Ergo Lex est judex, & quidem propriè dictus,

Similiter ac si ita colligat:

Omnis qui loquitur est homo:
Omnis Lex loquitur:
Ergo omnis Lex est homo.

In huius syllogismi speculo agnoscat Medicus venustatẽ sui: cuius Maior distingui debet. Vera enim est de eo, qui jus dicit, vt agens & caussa principalis; In Scholis diceremus: qui jus dicit; *vt Quod*. Falsa autem est de eo, quod tantummodo jus dicit, *vt Quo*, seu vt instrumentũ, seu vt idea & exemplar, ad cuius præscriptionem principalis caussa sese conformare debet. Iam vero Lex jus dicit,

cit, hoc posteriore duntaxat modo, videlicet vt instrumentum seu norma & idea caussæ principalis: sequitur ergo legem non esse propriè judicem.

Quo pacto lex animata & jus animatum dicatur, longè stupidior est Gretserus, ait meus Medicus, *quàm vt intelligat.* Explica, sodes, enitar, vt subtilitates tuas assequar. Omnes ingenii neruos intendam, vt capiam, quisnam sit *lex animata*, quis *ius animatum*. Et nisi me omnes sensus fallunt: Aristoteles & alii nomen *legis* & *juris animati* ipsi judici propriè dicto tribuunt. Fallor, an veritatem tango? Sed perge, obsecro; ô Tuberorotenburgensis pædotriba, pandere mihi tam abdita *legis* & *juris animati* mysteria. *Cum actu judicat iudex, qua iudicat, reuera idem est, quod ius.* Reuera non idem est propriè quod jus. Non magis propriè idem est, quod jus, quàm Medicus sanans, idem est, quod sanitas. Vt igitur iste *sanitas* duntaxat est *efficienter*, quatenus sanitatem efficit, ita judex tantummodo jus est, quia ipse per sententiam suam jus seu æqualitatem efficit & constituit: Et quia jus hoc, quod à judice efficitur in ipso viuente judice quodammodo viuit, tanquam in caussa sua: Ideo, vt est in illa caussa, vtq; ab ea proficisci & effici potest, *ius animatum* appellatur. Sic idem judex *lex animata* dicitur; tum quia lex quam pro norma propositam habet, in eo quodammodo animatur; tum quia judex, & sententia judicis subditis pro lege esse solet.

Prædictæ subtilissimæ subtilitati subnectit Alchymista istam. *Iudex in potentia non potest esse ius animatum, vel lex animata. Anima enim actus est.* Vult dicere, judicem, quando actu sententiam non pronunciat, non esse *animatum ius*, aut *animatam legem*. Qua de caussa verò? An caret judex anima tunc, cum sententiam actu non pronunciat? An non animatur ab anima, nisi cum jus

 de

de facto dicit? An non jus, quod suo tempore ab illo proficiscetur, iam in illo tanquam in caussa sua animata animatur & viuit; sicut & in Deo omnes res viuere dicuntur; etiam longè antequam à suis caussis producantur? Sic enim explicant & legunt sancti Patres, nominatim sanctus Augustinus, illud; *omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est, in ipso vita erat. Anima,* inquit, *actus est.* At essentialiter primus actus est, non secundus: Actus corporis est per suam entitatem & substantiam; etiam sine vlla operatione superaddita. Et corpus animatum est, licet nullam operationem animo concipiamus.

Ex hoc sequitur, ait Alchymista, *non respiciendum esse ad personam externam, cui adhæret relatio vel affectio iudicis, sed internum principium, quo iudex est id, quod est; quæcunq; sanè sit persona singularis.* Principium, quo judex est judex, nihil vtiq; aliud est, quam officium & dignitas judicis; sicut id, quo Rex est Rex, nihil aliud est, quàm officium & dignitas Regis. Igitur in quocunq; officium iudicis inerit, is vtiq; iudex erit, & rectè judicis nomen feret. Quod fatemur ex solo aspectu externo personæ colligi non posse, sed ad alia indicia recurrendum esse.

Quid verò hoc sibi vult? *Aliter se habet iudex in concreto, aliter in abstracto.* Quem petit? Quo tendit? Quem ferit? Iudex in *abstracto* non est iudex, sed iudicium; à judicio enim judex: sicut homo in *abstracto* non est homo, sed humanitas. Album in *abstracto* non est album, sed albedo. *In abstracto,* inquit Lullus, *secundum ideam.* Estne idea, seu norma judicis *abstractum* judicis, prout iudex est quoddam *concretum*? Redi quæso ad rudimenta Dialectices, vt ab hac ruditate libereris. Sed forte Alchymista indoctos suos doctores imitatus iudi-
cem

cem in *abstracto* vocat, quem nos *in communi*, seu *in genere* nuncupamus: Iudicem vero in concreto illum, quem vulgò iudicem *in specie* dicimus, hoc est, hanc vel illam *singularem Iudicis personam.*

Sed rursus acutissimo syllogismo me aggreditur.

Vult Gretserus judicem esse viuum & spirantem:

Verbum Dei est viuum & spirans; est enim θεόπνευστον, *diuinitus inspiratum:*

Ergo judex.

Quo se vertet Gretserus, vt acumē hoc euadat? quod maius longè & penetrabilius fuisset, si *Lullus* subsumpsisset:

Spiritus sanctus loquens per scripturam est viuus & spirans:

Ergo Spiritus S. loquens per scripturam est judex.

In quas angustias Gretserus compactus fuisset, si hanc Minorem Maiori tuæ subtexuisses; ad quam respondeo judicem controuersiarum in Ecclesia militante debere esse viuū & spirantē, verum non hoc duntaxat requiritur (neq; enim judicis ratio in hoc adæquatè consistit; alioquin quiuis homo judex esset; cum quiuis viuat & spiret) sed & illud, vt qui officium judicādi accepit, eiusmodi sit, qui adiri & audiri à quouis volēte possit, vtq; euidēter sentētia eius judiciaria partibus innotescat. Quæ cōditiones, cum non insint in scriptura sacra; vanum & friuolum est, q̄ Prædicantes scripturæ, quantūuis nolēti, supremā judicis in hac Ecclesia militāte potestatem obtrudūt. Mitto dicere, q̄ verbū scriptū non nisi metaphoricè *viuū & spirans* appellatur. Nec magis proficiūt, cū dogmatū suorū turpitudini p̄texūt Spiritū S. tanq̄ judicē: Tametsi enim cœci sunt, tam cœci tamen non sunt, quin animaduertant, de secta sua actum esse, si iudicem visibilem in hac Ecclesia militante recipiāt, cuius vox super omnibus controuersiis clarè & perspicuè audiri & percipi que-

at.

at. Vt autem in exemplo Alchymista intueatur, quàm peritè syllogismos nectat; dicat mihi, an superior ille syllogismus, quem fecit, non sit similis huic:

Gretserus dicit ceruum esse viuum & spirans animal:
Homo est viuum & spirans animal:
Ergo homo est ceruus.

Quid deest, oro, huic syllogismo? Si nescis, adi Huñium, qui admodum probè nouit syllogismos ex meris affirmatiuis in *secunda figura*.

Negaueram vocem iudicis & normam idem esse: Dicebam, minimum ratione distingui debere. Iste meā sententiam sic refert, quasi asseruerim, *vocem Iudicis & normam in Ecclesiasticis quæstionibus non esse rem eandem*; cum ego generatim de omni voce judicis, deq; omni norma locutus sim. *Apertum est*, inquit, *quod vox Iudicis Spiritus sancti & Saluatoris sit norma: nam si sacra scriptura est norma, & est vox iudicis Spiritus sancti; vna eademq; res est*. Si tu probares, non autem pro confesso sumeres, Spiritum sanctum esse illum iudicem, de quo vobiscum litigamus, forte nō planè nihil diceres. Sed cum hoc tantum affirmes, nulla autem ratione demonstres, nihil est, cur inanes probationum assertiones moremur. Est quidem sacra scriptura vox Spiritus sancti, sed non vox Spiritus sancti judicis in hac militante Ecclesia, adiri & audiri propter officiū, quo fungitur, consueti. Huc, huc, Alchymista, dirige tua, si quæ in pharetra habes, tela. Aliâs aerem verberas, & omnia dicendo, nihil dicis. *Finge*, inquit, *iudicem subdelegatum, vt ministrum Ecclesiæ vel Sacerdotem. Is, quid enunciat? An non ex norma illa aliquam partem vel regulam? veluti quærenti: Estne Deus incorporeus? Respondet; Deus est Spiritus: quod est norma & vox, & iudicium Spiritus sancti, & pars sacræ scripturæ.* Respondeo, licet interdum contingere possit, vt senten-

ſententia judiciaria verbis ſcripturæ conſtet; ſæpiſſimè tamen accidit, vt verbis ſcripturæ non conſtet: licet ſecundum ſcripturam, veluti normam, conformari & concipi debeat. Quo caſu jam reipſa aliud eſt vox *iudicis*, aliud *norma*: quia norma eſt ſcriptura: vox judicis, id, quod ſecundum iſtam normam pronunciatur. Quod ipſemet Lulliſta animaduertens, ſic ſcribit. *Quod ſi non illud ipſum judicium, quod apud Eccleſiam depoſuit Spiritus ſanctus, ſit pronunciandum* (hoc eſt, ſi ſententia judicis, verbis ſcripturæ non efferatur) *ſed aliquid ex eo deductum, veluti ex principio deducta ſcientia: iam non quidem normam ipſam eloquitur, ſed tamen normæ homogeneum:* Fatetur ergo vocem iudicis ſaltem *ſubdelegati*, hunc enim nominat, diſtingui reipſa à norma ſeu ſcriptura. Cur ergo in me reprehendit, quod ipſe ſibi laudi tribuit? Verum iſthæc mera ſunt inſcitiæ Alchymiſticæ diuerticula. Nam ſiue iudex ſcripturæ verbis ſententiam iudiciariam proferat, ſiue verbis in ſcriptura non comprehenſis, vt neceſſe eſt, cum quod definit, in ſcriptura expreſſè non continetur; ſemper tamen aliud eſt norma judicis, aliud vox iudicis. Priore quidem caſu aliud ſunt vox & norma iudicis ſola ratione: *Poſteriore* etiam *realiter:* Semper item fixum, immotumq; manet, ſcripturam eſſe quidem vocem Spiritus ſancti; ſed non Spiritus ſancti iudicis, controuerſias fidei in hac Eccleſia per ſeipſum immediatè & ex officio dirimentis.

Illud inſuper obſeruet lector, quam iſte cum Prædicantibus bellè concinat. Docent Prædicantes, ſcripturam ſolam & vnicam eſſe ſancti Spiritus, tanquam iudicis omnium controuerſiarum vocem, & quidem adæquatã; ita vt cum controuerſias definit; nihil niſi ſcripturæ verbis, tanquam peculiari ſua voce, definiat. Ita Prædicantes. Quid Lullus noſter? *Fieri poſſe, vt non illud ipſum iudi-*

cium, quod Spiritus S. apud Ecclesiam deposuit, sit pronunciandũ. Et hoc casu judicem non eloqui ipsam normam, sed normæ homogeneum seu consentaneum. Et quamuis iste loquatur tantum de judice, quem vocat *subdelegatum*: eadem tamen est ratio de Spiritu sancto, si, vt his placet, iudex est: Si enim aliquid pronunciandum sit, quod ex scriptura deducatur tantum, tanquam scientia seu conclusio ex principio; vtique verbis scripturæ æquè parum ac judex *subdelegatus* vti poterit, & consequenter falsum est, quod isti affirmant; scripturam solam esse adæquatam & vnicam vocem Spiritus S. judicis, judicis, inquam, judicio non ipsius Spiritus S., sed Hæreticorum.

Quæ posthæc Alchymista subiungit, ea partim sunt calumniæ, partim mendacia. Calumnia est, cum p̃cisè ait: *Spiritum sanctum judicem fuisse repudiatum.* Nemo nostrum repudiat, aut repudiauit Spiritum S. sed hoc repudiamus, quod vos Spiritui S. impiè & imperitè contra omnem scripturam & rationem affingitis. Non cupit Spiritus S. vt plura sibi tribuantur, quam ipse sibi cõpetere voluit. Mendacium est, cũ ait: *meum judicem ne ad visibile quidem ministerium sufficere, ita vt satisfaciat omni, qui aliquid dubii habeat in vlla parte fidei, cultus & doctrinæ Christianæ:* nam judex controuersiarum in hac Ecclesia militante ita cõparatus est, vt omnes controuersias de fide, cultu & doctrina definire, & sententia judiciaria terminare possit; omnes, inquam, quæ vel fingi queunt. De omnibus enim ita suam sententiam explicare valet, vt qui litigat aut dubitat, euidenter cognoscere possit ex hoc judice, si judiciariam sentẽtiam ferat; num benè an malè prius senserit.

Mendaciis annumeretur & hoc, cum scribit me *excusare socios, negantes sacram scripturam esse normam.* non dixi;

collocutores Catholicos in colloquio Wormatiensi hoc negasse; sed dixi: *Si negassent* scripturam esse normã: non admissuros fuisse inexpiabile facinus: non enim negassent esse normam in se & per se; sed negassent eam esse normã Hæreticis; sicut qui negat lucem esse cæco lucem, is non negat lucem esse lucem in se & per se; sed negat cæco esse lucem. Cur verba mea deprauas?

Negat scripturam à Lutheranis arbitratu suo inflecti quò lubet. Vtinam hoc negaret tam veraciter, quàm audacter & impudenter. Dilucidior est hæc Lutheranorum, aliorumque Hæreticorum impietas, quàm vt vllo inficiationis mantello abscondi queat. quam iam olim Erasmus aduersus Lutherum scribens, lepidè traduxit & irrisit introducta persona Lutherani. *Nihil recipimus, nisi scripturas; sed sic vt penes nos solos sit certa auctoritas interpretandi. Quod nos interpretamur, id sensit Spiritus sanctus, quod aduersarii alii, quamuis magni, quamuis multi, à Spiritu Satanæ, & alienata mente profectum est. Quod orthodoxi docuerunt, quod auctoritas Ecclesiæ tradidit, quod populus Christianus amplexus est, quod scholæ defendunt, exitiabile venenum est Sathanæ: quod ego doceo, Spiritus est vitæ. Credite in scripturis nihil prorsus esse obscuritatis, vel quod egeat judice, aut vt omnes cæcutiant, ego non cæcutio. Nam conscius mihi sum, me habere Spiritum Christi: quo possum de omnibus iudicare, nemo de me. Nolo judicium, sed requiro obsequium. Neque quenquam vel tantillum moueat multitudo, magnitudo, latitudo, profunditas, miracula, sanctitas, Ecclesiæ Sanctorum, omnes perierunt, si sic senserunt vt scripserunt: nisi qui fortè resipuerunt ante supremum vitæ diem. Qui meis probationibus diffidunt, aut carent sensu communi, aut blasphemiam committunt in Spiritum S. & subuertunt Christianismum.* Hæc ille. *Eras. li. I. Hyperaspist.*

Asserit Tertullianus, *hæreses sine scriptura esse non posse.* Ex hoc Tertulliani dicto exstruit Alchymista noster geminum argumentum.

I. *Nullus est Hæreticus, quin scripturam deprauet:*
Ergo subiectum hæresium est sola scriptura.

II. *Vbi scriptura non est, ibi nulla hæresis:*
Ergo Lutherani non sunt Hæretici, quando exsibilant traditiones, quæ nec scriptæ sunt, nec ex scriptura euidenter deduci possunt.

Ad primum, negatur consequentia, si sermo sit tantū de obiecto proximo & immediato: Conceditur autem consequentia, si intelligatur de obiecto tam mediato, quàm immediato, tam remoto, quàm proximo: Nam ille etiam, qui traditiones negat, aut Ecclesiæ definitionem, impingit saltem indirectè in scripturam, quæ nobis traditiones & auctoritatem Ecclesiæ tam sedulo commendat: vt taceam, tales negatores plerunq; directè itidem & immediatè scripturam deprauare; hoc ipso quod traditionum eneruandarum, & auctoritatis Ecclesiasticę eleuandæ gratia testimonia scripturæ prauè, peruersè, & perfidè exponunt.

Ad secundum, negatur consequentia. Caussa ex dictis liquet. Quia Lutherani dum traditiones negant, in scripturam traditiones commendantem obliquè impingunt: Nec obliquè tantum, sed & directè; quia vt prauam suam persuasionem stabiliant; nouos & inauditos in Ecclesia Catholica sensus scripturæ traditiones commendanti affingunt. Sunt ergo, eruntq; Lutherani Hæretici, quoad vela retrorsum dederint.

Ait: *Non obstare scripturæ sacræ, quo minus poßit esse iudex quamuis de illa, illiusq; sensu à diuersis partibus litigetur: nam & de Pontifice controuerti, quē tamen nō ideo inficiemur esse iudicem.*

cem. Reſpondeo; quod de ſcriptura litigetur, id ſimpliciter non impedire. quo minus iudex eſſe poſſet, ſi cætera non deeſſent, ſed hoc obſtare dico, quod lites iſtas non dirimit; quod ſententiam, quando aditur, non ita profert, vt altera pars euidenter ſciat, ſe cauſſam obtinuiſſe, altera ſe amiſiſſe: Et quia hoc Pontifex præſtat: ideo judex eſſe, & judicis officio fungi poteſt, non obſtante veſtro litigio. Quamuis enim nobiſcum de Pontifice litigetis; euidenter tamen ſcitis, vos à Pontifice, tanquam Hæreticos, damnatos & anathemati ſubiectos eſſe.

Cæterum, quod dixi, nos in rebus ad doctrinam, fidem, cultum, & ſalutem pertinentibus, alias regulas, canones atq; normas, præter ſcriptum Dei verbum agnoſcere & prædicare; id in hunc modum refutat Alchymiſta. *Niſi fatuus & delirus eſſet, non ita loqueretur.* Tu niſi fatuus & delirus eſſes, non ita conuiciareris. Quid enim adfers, quo me refutes; quod tanto criminationum apparatu indigeat? Audiamus. *Verbum Dei eſt norma infallibilis. Si hoc ita eſt, ſtultam certè antitheſin dedit, qua iuxta enunciationem intelligitur, præter Dei verbum (*ſcriptum videlicet) *poni aliam normam ad doctrinam, fidem, cultum, & ſalutem. Admoneant pueri fatuum copulatum debere eſſe axioma, non ſegregatum.* Admoneant quæſo pueri ægrum hunc Medicum aliud eſſe conuiciari, aliud, quæ ab aduerſario dicta, refutare. Admoneant pueri, vt conſideret, quæ dicere velit, ne tota eius oratio, tanquam inconſiderata, non in pectore, ſed labris nata videatur. Expendat, qui poteſt, quid delirans dicere voluerit, mihiq; renũciet, ego quid dicere debuerit, video. quid dixerit, ne per coniecturam quidem aſſequor. Nos aſſerimus præter ſcripturam, normam infallibilem, eſſe alias itidem infallibiles. Argumentatur iſte contra;

Scriptura est norma infallibilis:

Ergo non est alia.

Probatur consequentia; *quia copulatum debet esse axioma, non segregatum; ergo non dantur aliæ normæ infallibiles præter scriptum Dei verbum.* Vide verò, quò processerit Alchymistæ amentia.

Non est aliud nomen sub cælo datum inter homines, in quo nos oporteat saluos fieri, præter nomen IESV *Christi Nazareni crucifixi. Act. 4.*

Ergo est tantum vnica controuersiarum norma infallibilis; nam qui plures normas infallibiles statuunt, illi aliud nomen, in quo nos saluos fieri oporteat, introducunt, contra expressum sacrarum litterarum oraculum. Quanta igitur impietas, dura ceruice, & incircumcisis cordibus, alias normas admittere, suscipere, suspicere, & venerari? Stultiorem Alchymistam vix putes solem vidisse. Ita enim scribere debebas, mutato nomine *Iesuitæ* in vocabulum Alchymistæ.

Obieceram Lutheranos plures normas infallibiles statuere, quantumuis vnam duntaxat, sacram nimirum scripturam, ore iactitent: Eos enim & Augustanam Cōfessionem, & librum Concordiæ, & symbola fidei, Apostolicum, Nicænum & Athanasianum pro normis infallibilibus habere, imò etiam Schmalcaldicos articulos, & libros Lutheri. Ita enim Prædicantes in præfatione colloquii Aldenburgensis: *Referimus itaq; nos palàm & disertis verbis ad normam istam, nempe ad verbum Dei comprehensum in veteri & nouo testamento; ad veram confeßionem Augustanam, & Apologiam, ad Schmalcaldicos articulos, & libros Lutheri.* Quid Lullus? *Discat ille stolidus de norma summa & generali hic agi.* Pacatè, Alchymista, pacatè. Iam adfero Antimonium. Scio de summa regula Prædicantes agere, cum scripturam vnicam controuersiarum normam appelli-

pellitant. Interim tamen & hoc ſcio, eos ſibi contradicere, quando dicunt, nullam aliam præter ſcripturam normam eſſe: & tamen cum hoc dicto, obtrudunt nobis ſuas illas normulas anormes & enormes: *Auguſtanam Confeßionem, librumq́, Concordiæ*: vt taceam, ſanctas illas, vereq; venerandas ſymbolorum normas: quas ſi verè admittunt, laudem merentur, non vituperationem. *Si* ſuam illam aſſeuerationem duntaxat intelligunt de vna ſumma & prima; quare id claritatis & explicationis gratia non adiiciunt?

Quare ſtentoreis vocibus clamitant, vnam præciſè eſſe controuerſiarum normam, cumq; in rem præſentẽ venitur; plures nobis enumerãt: & quidẽ judicio *Prædicantium, infallibiles*: Aut ſi Confeſſionem Auguſtanam, & librum Concordiæ pro norma fallaci & deceptrice reputãt; mecum ſentiunt, & rectè judicant.

Doſis XX. De Argumento pro norma Pſeudoeuangelicorum.

PRædicantes hunc ſyllogiſmum propoſuerant: ſi non verbis, certè ſenſu,

Illa eſt vnica norma, cui nihil licet addere:

Scripturæ nihil licet addere:

Ergo ſcriptura eſt vnica norma controuerſiarum.

Reſpondi in colloquio, Maiorem concedi poſſe, negandamq; Minorem. In Reſponſo ad Hunnianas Theſes dixi, Maiorem negandam eſſe: & poſtquam oſtendi, eã cũ vero nullo pacto congruere; ſubieci; demus, Maiorem eſſe veram, Minorem diſcutiamus. Hic Alchymiſta totus in furias cõuerſus, mirificè bacchatur, & *ad Anticyras*, & ne-

nescio quo *me ablegat. Ecce vanitatem Papistæ. Quod in publico concessit ore, id negat calamo. Nota Iesuitæ vanitatem, quin & Tannero & sibi in Protocollo contradicit.* Mera conuicia hæc sunt Alchymistæ furentis, & præ delirio, quid aut quomodo loquatur, ignorantis. Probè vidi in colloquio maiorem simpliciter loquendo esse falsam: sed quia rebar totum momentum in Minore esse positum; ad Minorem me contuli, sicut & in Responso feci; etsi quid de Maiore sentirem; satis innui, quando dixi; Maiorem cōcedi posse: ex gratia scilicet, &, vt loqui solemus, *ex misericordia.* Etsi negassem Maiorem, in quantas, bone Deus, difficultates coniecissem Heilbrunnerum, qui in suo codice, nullam Maioris probationem habebat; quia nullam Hunnius dictauerat. Ergo aliud in Responso non dico, quàm dixi in Colloquio; vt mentitur iste Lullus. Nec in Responso, postquam de Maioris falsitate disserui, Maiorem veram esse concessi, vt impudenter iste mihi imponit: sed dixi; demus Maiorem esse veram. An qui ita de propositione aliqua sentit aut loquitur, ipsam propositionem simpliciter veram esse pronunciat? An qui dicit, demus seu faciamus hominem *alas habere*, idcirco hominem alatum esse statuit? Quid ergo nugatur Sycophanta iste de contradictionibus, non meis, sed quas ipse in semicerebro suo sibi comminiscitur? imò nouerit hanc esse veritatis fiduciam, vt quantumuis aliqua aduersariis largiatur, eos nihilominus prosternere, & ad nihilum redigere queat. Et quid tandem refutandi mei caussa adducit? Id nimirum, quod nec pede, nec capite constat: *Connexio falsa est*, inquit, *quia consequens est etiam, si non sit antecedens. Fiat Syllogismus:*

Si nec norma est, nec solius normæ pati nullam accessionem (hoc est; si omnis norma capax est accessionis) falsum est illam

lam esse vnicam normam, cui nihil licet addere:
Sed illud est: Hoc ergo.
Mirum ni fuit Alchymista *tunc, cum hac scriberet, in tertio stultitiæ cœlo. Ferulam scholasticam* Pædotribæ Rotenburgensi, *qua solœcismus corrigatur.* Pergit insanire: *Cum deberet Gretserus argumentum negationis ad Maiorem accommodare, Minoris prosyllogismum tangit.* Quisquis ineptiam & fatuitatem Zythulci huius propius considerauerit; is non nisi probè appotum hæc ab eo scripta esse, vel iureiurando interposito confirmabit; adeo, quid dicat, nescit. Non ero longior; Lector Responsum meum videat, & de fronte Bruti huius iudicet. *Verba Libauii domu remissa*

Nec minus insipienter refellere conatur, quæ disputaui de additione ad sacram scripturam, nimirum illam tantum additionem interdici, quæ scripturæ aduersetur. Traditiones autem, Ecclesiæ & Doctorum auctoritatem & decreta non aduersari scripturæ. Obiicit Alchymista: *Hanc non esse additionem, quam quærimus, scripturæ accensere ea, quæ ei per omnia sint consentanea.* Quam tu additionem quæras, nescio, quia tu ipse nescire videris. Ego eam quæro, & de ea loquor, quæ scripturæ per omnia est consentanea, qualis est additio traditionum, auctoritatis Ecclesiæ, Doctorum, &c. At cur si cum scriptura per omnia concordent, additio existimari nequeat, caussam hãc reddit: *quia aut sunt membra scripturæ integræ* (fallum: nam si membra scripturæ forent, jam non adderentur; sed in ipso quasi scripturæ complexu comprehenderentur) *aut conclusiones ex scriptura: quales sunt doctrinæ & interpretationes scripturæ fundamento innitentes. Sicut Dialectica integra non accipit augmentum per commentarios Dialecticorum.* Quam acutè omnia! Etiam scriptura integra non accipit augmentum seu accessionem per alias normas; ita vt illæ a-

liæ normæ ſint partes ſcripturæ, quatenus ſcriptura eſt, & peculiaris norma à reliquis diſtincta, ſed accipit augmentum; ſi minus, vt in ſcholis loquimur, *intenſiuè*, at profectò *extenſiuè*; quatenus ad illam traditiones non ſcriptæ, auctoritas Eccleſię & Doctorum tanquam normæ accedunt, ita vt illis accedentibus, verum non ſit dicere: Scripturam ſolã eſſe vnicam omnium controuerſiarũ normam. Exemplũ de perfecta & integra Dialectica partim ſimile eſt, partim diſſimile. Simile, quia accedentibus comẽtariis ad Dialecticam, augmentum accipit Dialectica, quia ei aliquid ſuperadditur, non vt pars ipſius perfectæ & integræ Dialecticæ; ſed vt expoſitio & declaratio eius. Et qui hoc negat, ille communi ſenſu eget: Diſſimile autem eſt, quia Commentarii illi non ſunt norma differendi; ſed tantum elucidatio normæ differendi. At traditiones, & Eccleſiæ decreta, Doctorumq; placita, ita ſunt ſacræ ſcripturę interpretamenta, & quaſi comẽntaria, vt ſimul etiam ſint cõtrouerſiarum normę. Quamuis neceſsè non ſit, diſſimilitudinem in adducto exemplo confiteri. Nam & eruditorum in differendi artem ſibi vndequaque concinentia Commentaria; rectiſſimè norma & regula differendi appellari queunt. Non enim ſequitur. Eſt explicatio alterius normæ; Ergo non poteſt eſſe norma. Nec ſequitur: Sunt concluſiones ex norma deductæ; ergo normæ rationem & officium non ſubeunt.

Multò minoris momenti eſt hæc ineptia potius, quàm conſequentia Alchymiſtæ.

Quæ extra complexum, & vt cum Prædicantibus loquamur, *extra ſyſtema ſcripturæ ſunt, ea ſunt menſurata juxta illam menſuram, & riuuli ex fonte:*

Ergo per ſe non conſtituunt peculiares & diſtinctas normas.

Sed

Sed negatur consequentia: Non enim absurdum est, vt quod vno respectu est *mensuratum*, alio respectu fiat & sit, voceturq; *mensura*. Omnes traditiones non scriptæ, respectu scripturæ, *mensurati*; respectu autem controuersiarum, quæ circa religionem exsistunt, *mensuræ* rationem habent: Non enim notioni mensuræ repugnat, vt probetur, atq; adeo mensuretur, quamuis sit mensura ex natura sua, & non tantum ex accommodatione hominum.

Partes normæ, inquit Medicus, *in vnitatem collectas integritatem constituere, non augmentum & accessum ad normam jam totam, nemo non intelligit*. Siue *integritatem*, siue *augmentū*, siue *accessum* voces, parum moror, dummodo obtineam ad scriptum Dei verbum, quod est norma controuersiarum, addi posse alia, quæ & ipsa normæ officium subeant, idque scriptura adeo non refragante, vt ipsa ad has normas digitum, vt sic dicam, intendat. Nam vtrum quis omnes controuersiarum normas simul sumptas nominare velit vnam integram, an plures partiales, id potius ad nomen, quàm ad rem ipsam spectat: nam qua ratione normæ sunt, vna integra norma, & quælibet sigillatim sumpta normæ illius integræ & adæquatæ pars appellari potest; etsi verbum Dei non scriptum, qua tale, minimè sit pars verbi Dei scripti, qua tale; vt nec auctoritas Ecclesiæ & Doctorum; vt per se notum.

Mentitur porrò Lullus, cum scribit, me ita argumentari:

Traditiones sunt veræ:

Ergo sunt norma controuersiarum:

non ita argumentatus sum; scio enim non omne illud, quod verum est, fungi officio normæ in decidendis fidei controuersiis; sed dixi, ad scripturam sine vllo scelere

addi posse id, quod cum scriptura, hoc est, cum ipsa veritate consonat, & huius generis censeri traditiones à Deo olim, & à Prophetis in veteri testamento, & in nouo à Christo & ab Apostolis sine scripto traditas; auctoritatē quoq; Ecclesiæ, & Doctorum, &c. Et hæc omnia normæ officium subire, non colligimus inde præcisè, quod veritati per omnia concinunt, sed inde, quod ipsa scriptura hæc omnia, tanquam normas in rebus religionis sentiendi, agendi & loquendi præscribit & commendat, & quia absq; his fidei controuersiæ terminari & sopiri nequeunt: quod experimento ipso jam toties edocti sunt sectarii, & indies magis edocebuntur, nisi resipiscant.

Fatetur Medicus *Ecclesiam à suo fundamento, quod ait esse sacram scripturam, non decedere.* Est ergo auctoritas eius infallibilis. Ergo absq; dubitatione sequenda. vt ex S. Augustino affirmabam: Ergo cum vox Ecclesiæ sonat, nihil opus est vocem illam ad scripturæ normam exigere & comparare, num consonet aut dissonet; quia certum est consonare, cum Ecclesia à scriptura *non decedat*, vt Alchymista loquitur. Sed ait: *Vocem Ecclesiæ non ideo ad normam applicari, quod dubitetur de veræ Ecclesiæ judicio, quæ pro diuino non habet, quod diuinum non est; sed ne decipiamur specie Ecclesiæ.* At non decipi specie Ecclesiæ facillimū est cuiuis non planè stulto. Illa enim vera est Ecclesia, quæ palmites suos *extendit à mari vsq; ad mare, & à solis ortu vsque ad occasum.* Illa item vera vox est veræ Ecclesiæ, atq; adeo vox infallibilis, cuius sonus in omnem terram penetrauit, omnibusque sæculis sonuit. Si nota hæc in Lutheranam synagogam, eiusq; vocem conuenit, tum fatebor, eam esse illam Ecclesiam, quam S. Paulus *columnam & firmamentum veritatis* appellat.

Verum hic accurrit Alchymista cum syllogismo, quem

quem *adamantinum* censet:

Si nulli vnquam mortalium licuit, vt sua vel alterius commẽta, aut doctrinam scripto Dei verbo contrariam traderet, vel in mundum introduceret, Papistica additamenta sunt illicita (intelligit autem per *Papistica additamenta*, traditiones, auctoritatem Ecclesiæ & Doctorum)

Sed antecedens est, iudice Gretsero: consequens ergo.

Paucis, mi *Lulle*, nego Maiorem. Tu proba.

Papistica additamenta sunt scripto Dei verbo contraria.

Ergo, &c.

Negatur antecedens. Probas.

Venditantur pro fundamento & norma:

Ergo sunt illicita.

Nego consequentiam. Quam expeditè hunc in modum ostendis:

Nullus homo potest aliud fundamentum ponere, quàm quod Christus posuit:

Ergo, &c.

Concesso antecedente, negatur consequentia. *Pergis:*

Nullus homo potest quidquam ad fundamentum, hoc est, ad normam controuersiarum addere:

Ergo ista additamenta sunt illicita.

Concesso iterum antecedente, neganda est consequentia. Quia non scriptum Dei verbum nullus hominum adiecit ad scriptum Dei verbum; sed Deus ipse partim per se, partim per Apostolos: Et auctoritas Ecclesiæ, similiter & Doctorum non est ab homine; sed à Deo; & cum nobis Ecclesia vel vnanimis Doctorum consensus aliquid proponit; id ipse Deus, eorum ministerio, nobis proponit. Alias igitur probationes promas oportet, si quid efficere velis.

Traditiones esse figmenta, & inuentiones humanas demonstratur

tur historia Ecclesiastica:

Ergo, & cat.

Respondeo antecedens esse Alchymisticum, nisi fortè hoc de historia Magdeburgensium intelligis. Quod si ita est, concesso antecedente, nego consequentiam. Noueris tamen Magdeburgensium historiam rectius dici *phātasticam*, quàm Ecclesiasticam.

Dosis XXI. De dicto; Quod tibi præcipio, hoc tantum facito. Et de declinatione ad dextram vel sinistram.

IN colloquio Ratisbonensi propemodum ad rauim vsque inculcarunt Prædicantes illud: *Quod præcipio tibi hoc tantum facito. Omne autem illud quod Deus præcepit, scripto consignatum esse, atq; adeò disertè & expreßè in scriptura cōtineri.* Ex quo sequitur, nihil aliud agi aut credi debere, quàm q̃ expresse in scriptura comprehenditur: quandoquidem Deus præcepit; *hoc tantum facito, quod præcipio tibi*; hoc autem totum in scripturam expresse relatum est, si non mentiuntur Prædicantes: quare quidquid agitur aut creditur, quod in scriptura scriptum non est; id ex Prædicātium decreto, malum, ipsiq; scripturæ dissonū judicandū est. Hæc Prædicantes, quæ tamen ipsimet statim alia assertione euertunt: cum vt infinitas absurditates nonnihil effugiant, docent: etiam illud agendum & credendum esse: quod etsi in scriptura scriptum non est, legitima tamen consequentia inde colligatur & deducatur, *tanquam scientia & conclusio ex demonstratione*, vt ait noster Lullista. Omne autem illud legitima consequentia inde deducitur,

tur;quod Prædicantibus allubescit & placet: Quod non lubet nec placet;id nulla legitima consequentia ir de extundere licet.

Verum enimuerò vtcunq; hæc se habeant,illud manifestum est,Prædicantes sibi non constare. Nam dicere: illa tantum esse facienda & credenda, quæ Deus præcepit, quęq; expresse sacris literis mādata sunt; & dicere,etiam illa esse facienda, quæ ex sacris litteris per bonam consequentiam deducuntur, id nihil aliud est, quàm sibi contradicere : nihil enim est aliud, quàm dicere, illa tantum esse facienda & credenda: quæ expressè scripta sunt in sacris litteris; & illa non tantum esse facienda & credenda, quæ expressè scripta sunt in sacris litteris: quia quæ ex sacris litteris deducuntur, tanquam conclusiones ex principiis;illa non sunt expressè scripta in sacris litteris.

Cæterum quod *Prædicantes* affirment,illa tantum esse facienda & credenda,quæ scripto Dei verbo expressè continentur ; id etiam inde liquet, quia solum scriptum Dei verbum, prout à Canonicis scriptoribus expresse & disertè scriptum est, pro vnica omnium actionum in fide & cultu regula agnoscunt. Huius tamen dogmatis sui obliti, mox illud etiam faciendum & credendum clamant, quod ex hac expressè scripta regula per bonam consequentiam deducitur. Quocirca vnam & non vnam regulam ponunt. Vnam, cum scripturam nominant. Non vnam, cum scripturæ id, quod ex scriptura deducitur, inque scriptura expressè non continetur, tanquam normam superadiiciunt. Nam quod ex scriptura tantum deducitur, illud non est ipsa scriptura, sed quid à scriptura distinctum;sicut id, quod ex *Principiis* seu *præmissis* deducitur,

tur; non est ipsa *principia* seu *præmissæ*; sed aliquid à principiis distinctum.

Quod verò hoc, quod ex scriptura per legitimam consecutionem colligitur; sit etiam norma agendi & credendi ex Prædicantium sententia, hinc manifestum euadit, quia Prædicantes docent, talia fide diuina & infallibili credenda & amplectenda esse. Sunt ergo norma fidei; falsum est ergo solum Verbum Dei scriptum esse normam fidei. Falsum, inquam, est, etiam ex Prædicantium principiis & fundamentis. Hinc itidem falsum est, *nullam actionem internam aut externam sacræ scripturæ consentaneam esse, nisi illam, quæ in sacra scriptura expreßè præcipiatur.* nam & illæ actiones sacræ scripturæ consentaneæ sunt, quæ consentiunt cum dogmatibus & præceptis ex sacra scriptura eo modo, quo Prædicantes tradunt, per legitimam consequentiam deductis; quia quod congruit cum conclusione, id congruit etiam cum principiis conclusionis. Prædicantes ergò sua vineta cædunt, & in seipsos pugnant, cum illam tantum actionem bonam, Deoq; acceptam tradunt, quæ ex præcepto in scriptura expressè comprehenso suscipitur.

Negat Medicus, *Prædicantes hoc affirmare.* At ego eos hoc affirmare aio: & jam ostendi; licet non hoc tantũ dicant, sed & sibi contradicant, dũ aliud quiddã adiiciunt, quod cum priore assertione subsistere non valet. Quanta verborum profluentia conatus est Hunnius in colloquio demonstrare, omnia, quæ Deus Moysi & aliis præcepit, à Moyse & aliis in litteras relata fuisse, ita vt ne vnum quidem præceptum diuinum, vel fidei obiectum supersit, quod disertè non sit canonicis libris consignatum: at quidquid inde per consequentiam tantum deducitur, illud non est in sacris litteris expresse consignatũ:

Ergo

Ergo expressum Dei verbum & scriptum non est vnica omnium actionum, tam internarum, quàm externarum in negotio fidei & cultus norma; etiam secundum Prædicantes: qui quod contrarium pariter affirmant: non est, quòd mireris, quia ex eodem ore calidum & frigidũ efflare didicerunt.

Mentitur ergo & calumniatur Alchymista, cum negat Prædicantes velle, illud tantum esse conforme scripturæ, quod in scriptura expresè est præceptum: Hoc enim volunt, & summa contentione asseuerant, vt jam demonstraui: licet simul etiam per leuissimam inconstantiam sibi contradicant. Quam vero subtiliter disputat contra hæc mea verba: Nihil esse Prædicantium judicio, scripturæ consonum, nisi quod in scriptura expresè sit præceptum: *Quod expresè præceptum est in scriptura, est forma ipsa & lex, & principium: non id, quod ei conforme vel cõsonum quæritur. Aliud mensura est, aliud mensuratum.* Quasi vero ego ex sententia Prædicantium locutus sim de ipsis præceptis, quæ in scriptura continentur, seu de ipsis partibus scripturæ. Nihil minus cogitaui ô Alchymista; sed locutus sum de actionibus tam internis, quàm externis: & has dixi, ex doctrina Prædicantium, scripturæ non esse conformes, nisi in scriptura expresè præcipiantur. Itaque supersedere poteras tua jam toties inculcata de *mensura*, & *mensurato* cantilena. Si quis ita verba conciperet: *nihil esse legi consonum, nisi quod in lege expresè sit præceptum*: an non hoc ipso loquendi modo significaret, se loqui de *mensurato*, seu de actione aliqua, quæ secundum legem sit suscipienda, non autem de ipsa lege secundum verba, quibus comprehensa est, seu de lege secundum suam essentiam? Sed Alchymista ex verbis meis integrum syllogismum contexit:

Si id tantum faciendum, quod Deus præcipit, nihil consonum est scripturæ, nisi quod expreßè est in ea præceptum:
Sed id tantum faciendum, quod Deus præcipit:
Ergo nihil consonum est scripturæ, nisi quod expreßè in ea est præceptum.

Propositionem Maiorem, ait, *nullius esse Euangelici.* Solenne tenet. Mentitur. toto fermè biduo nihil aliud contendit Huñius, quàm illud *Tantum esse faciendum*, quod Deus præcepit: totumq; quod Deus præcepit, in scriptura disertè perscriptum esse. Itaq; verissima est illa Maior in schola Prædicantium, si hæc vltima appendix à Lullo omissa, adiiciatur; nimirum, *omnia, quæ Deus præcepit, in litteras esse redacta.* Nam quod postea Prædicantes, necessitate pressi contrarium asserunt, id mea nihil refert. Non ideo nō erunt Vertumni, quod modò in hanc, modò in illam formam sese vertant.

Dixeram, eum neq; ad dexteram, neq; ad sinistram declinare, qui *medium tenet*, hoc est, qui facit, quod ex præcepto faciendum est. *Et quidem rectè*, inquit Alchymista: Mox tamen conuiciari ingressus *stultitiam suam, & auriculas asininas*, (sic enim loquitur) exerens, mentitur me quædam *præcepta facere libera*: Vbi hoc Alchymista in meo libro legisti; si sermo sit de præcepto, propriè & strictè accepto? Licet enim vota liberè quis suscipiat, & ex consilio: at vbi jam suscepta sunt, non ex consilio, sed ex præcepto persolui debent. Nam illud *Vouete*, consilii quidem est; sed verbum, *Reddite*, quod mox adiungitur, præceptum refert, votisq; obstricto necessitatē persoluendi imponit.

Re benè gesta hunc syllogismum sibi ex mea disputatione fabricat.

Qui facit, quod Dominus præcepit, is non declinat à medio:

Qui

Qui facit, quod superiores jubent, is facit, quod Dominus praecepit.

Qui facit ergo, quod superiores jubent, is non declinat à medio, hoc est, in praeceptis Dei manet.

Assumptum probatur. Quia Hebr. 13. jubemur praepositis nostris obedire. Idemque praecipitur Deut. 17. Quid Lullista? *Respondemus more Saluatoris cum Diabolo disputãtis: At scriptum est: Oportet Deo magis obedire, quàm hominibus.* Scribere, opinor, volebas, certè debebas: *Respondemus more Diaboli cum Saluatore disputãtis, scriptum est, &c.* Sicut enim Diabolus Christo, hoc est, ipsi veritati, & auctori omnis scripturae opponebat scripturas; ita nunc tu scripturae opponis scripturam prauè & peruersè acceptam. Nam locus ille ex Actibus Apostolicis nequaquã repugnat illis ex Epistola ad Hebraeos, & ex Deuteronomio: Deo enim magis mos gerendus est, quàm hominibus; cũ hoĩes praecipiunt, quae mãdatis diuinis repugnãt, aut dissentanea sunt; At tam Deo, quàm hoĩbus obtemperare oportet, cũ recta & honesta & scripturis consentanea praecipiunt. Sed hîc cauenda est Haereticorũ fraudulẽtia, quorum judicio scripturis nihil est consentaneum, nisi q̃ ipsis arridet. *Ita deniq; fiet,* vt jam olim Haereticorũ nõ magnus hostis Erasmus illis obiecit, *vt nulla scriptura valeat, nisi juxta sensum ipsorũ, nulli Magistratui sit obediendũ, nisi qui ipsis cõsentiat. Non est, inquiũt, Magistratui parendũ, nisi juxta scripturae diuinae regulas vtatur potestate; scripturas autẽ interpretari nostrum est, non aliorum.* *Eras. ad frat. inf. Germ.*

Placet autem, quod fatetur Lullus, locũ Apostoli, & Deuteronomii non tantum pertinere ad Magistratũ politicũ, sed etiã ad Ecclesiasticũ: Si tamẽ nomine Magistratus Ecclesiastici intelligit Magistratũ ꝓpriè, & verè sic appellatũ, nõ solo noĩe magistratũ. De quo vehemẽter

dubito; vtq; dubitem, facit Philippus, qui hæc in Locis; *De Ecclesiasticis Magistratibus sic censemus. Primum ministros esse Episcopos, non potestates aut Magistratus: Deinde, non habere jus Episcopos condendi leges, &c. Primum ergo si doceant scripturam, sic audiendi sunt, vt Christus; juxta illud: Qui vos audit, me audit.* Verum autem scripturam doceant, non erit præsulum, sed subditorum judicare & definire. *Deinde si quid contra scripturam docuerint, non sunt audiendi.* Omne verò illud contra scripturam censebitur, quod facere aut credere nolunt subditi. Totum huius rei judicium penes illos esto. *Tertiò, si quid præter scripturam statuerint, in hoc vt conscientias obstringant, non sunt audiendi. Nihil enim conscientias obligat, nisi ius diuinum.* Et tamen ipse Philippus alibi fusè docet, leges politicas, & iussa ciuilis magistratus, etiam conscientias subditorum ligare: & quidem sub lethali culpa. Tandem hoc axioma addit Philippus. *Quidquid Episcopi præter scripturam imperant, tyrannis est: nam imperandi ius non habent.* Ex his, & id genus aliis infinitis apertè colligitur, merum fucum esse, quando isti de Magistratu Ecclesiastico aliquid scribunt, cum nullum talem agnoscant, eiq; non magis obediendum esse dictitent, quam quatenus jussa jubẽtium cuiuis videntur cum scriptura concordare, aut ab eadem discordare, contra expressum Dei mandatum cum alibi, tum ad Hebr. 13. & Deut. 17. subditis præscriptum, vt fatetur etiam Alchymista noster, si non pectore, certe calamo & ore, qui de actionibus liberis, & votis ita hic disputat, vt sobrium fuisse, cum talia chartis illeuit, nemo sibi sobrius persuadere possit.

Phil. in Locis, tit. de Magist. Argentorati 1523.

Phil. Commẽt. super Epist. ad Roman.

Tradunt Catholici vota liberè, & ex nullo præcepto suscipi; suscepta autem necessariò, & ex præcepto implenda esse: & nec susceptionem, nec impletionem scripturæ

pturæ ſacræ aduerſari. Vbi Alchymiſta. *Contra Ieſuitam ſic argumentamur:*

Quæ libera ſunt relicta, nulla neceßitate facere cogimur:

Ergo præcepta tantùm ſunt facienda.

Reſpondeo: Ea quæ libera relicta ſunt, nulla neceſſitate facienda eſſe, antequam quis ſua ſponte ad illa facienda ſeſe obliget: at poſtquam quis volens, ſciensq́;, ſe ad ea præſtanda obſtrinxit; jam non liberè, ſed neceſſariò præſtare debet, q́ vltrò in ſe ſuſcepit. Quare non tantũ ea, quæ præcepta ſunt, ſed & ea, quibus ſponte ſua quis ceruicem ſubiecit; neceſſariò facere oportet; quia ſcriptũ eſt: *Vouete & reddite*; quodq́; ante obligationem erat liberum, id acceſſu obligationis vltrò ſuſceptæ fit neceſſarium.

Dixeram; ſi illud tantum faciendum eſt, quod per verbum ſcriptum propriè eſt præceptum, vt delirant Prædicantes, ſecuturum, neminem mortalium jus habuiſſe, vt fieret Nazaræus; cum nulli propriè præceptũ fuerit, vt Nazaræorum inſtitutum ſuſciperet: Reſpondet Alchymiſta: *iſtud non ſequi; ſed tantummodo hoc: neminem coactum fuiſſe, vt fieret Nazaræus.* Hoc quidem ſequitur; at non tantum; ſed & illud, quod ego ſequi pronunciaui. An non enim hæc eſt proba conſecutio ex Prædicantium placitis, dictiſq́; exſtructa?

Tantum illud faciendum eſt, quod per Verbum Dei ſcriptum propriè eſt præceptum:

Ergo nulli fas iuſq́; fuit Nazaræorum inſtitutum amplecti.

Antecedens eſt Prædicantium; conſequentia probatur. *Quia inſtitutum Nazaræorum nuſquam in ſcriptura præcipitur; ſed planè cuiuis liberum relinquitur.* Habetné hoc loco quod hiſcat Alchymiſta cum ratione? Nam ſine ratione perpetuò habet non modò, quod hiſcat, ſed & quod vociferetur.

 Simi-

Simili stultitia negat sequelam huius propositionis meæ. Si istud TANTVM excludit opera, quæ ꝓpriè & strictè præcepta non sunt, vt volunt Prædicantes, sequitur Annã, Samuelis matrem excusari non posse, cum orans ad Dominũ largiter fleuit, & vouit, dicens; *Domine exercituũ, si respiciens videris afflictionem, &c.* Negat Alchymista hoc sequi. Quid cũ tali stipite incœptes, qui nec sua, nec aliena dicta capit? Tam certò enim sequitur, Annam malè egisse, si id tantum est faciendum, quod in scriptura ꝓpriè & strictè præceptum est: quam certò sequitur, eum, qui hoc inficiatur, fatuum & delirum esse. Vbi enim præceperat Annæ Dñus, vt largiter fleret, vt votum nuncuparet, vt filium concipiendum diuino seruitio perpetim addiceret, vt omnem à capite illius nouaculam remoueret?

1. Reg. 1.

Obiicit Alchymista: in colloquio non fuisse quæstionem de adiaphoris, & liberis; *sed de necessariò obseruandis*: Sed Alchymista dicit tantum; nec tamen, quid dicat, intelligit. Clamitabat Hunnius, TANTVM ea facienda, quæ Deus præcepit: neq; quidquam in cultu & dogmatibus licitum esse, nisi quod per scriptum Dei verbum sit propriè & strictè præceptum. Hæc vesana assertio refutata est & in colloquio, & postea publicis libris eorum exemplo, qui in cultu & religione fecerunt ea, de quibus nullum exstabat præceptum, quos tamen piè, religiosè, & sanctè egisse, ne ipsi quidem Prædicantes abnuere audent. An non hoc vel maximè ad propositum nostrum faciebat? etsi non ad propositum Prædicantium, quos talia exempla, vel solum producta derepentè iugulant.

Leuit. 10.

Imperitiam Prædicantium circa factum Nadab & Abiu velare conatur Lullus; sed velis solitis, nempe mendaciis

daciis & calumniis. Aiebant Prædicantes, *istos ideò tantum fuisse punitos, quod opus non præceptum fecissent;* ex quo conficere volebant: *Tantum illud, quod ex præcepto fit, in cultu & religione licitum esse; omne autem illud, quod sine præcepto agitur, illicitum censeri;* quod non nisi imperitissimè asseritur: nam duo illi, faciendo, quod illis præceptum non fuerat, violarunt præceptum de igne ad incensa & holocausta aliunde non accendendo, quàm ex igne altaris, & quia præceptum hoc transgressi sunt: ideo etiam debitas pœnas luerunt, de quo plura in Responso.

Obiicit Alchymista: Si Prædicantes propterea imperitiæ arguantur, ipsum quoq; Moysen simili nota inuri debere. Qua de caussa? Quasi verò Prædicantes non possint esse inepti & imperiti, nisi Moyses etiam sit ineptus & imperitus. Quasi verò Moyses sit Hunnius aut Heilbrunnerus, aut alius de grege Prædicantium hircocervus? Ait Lullus: *Si nihil omninò præcepisset Deus de incenso, illique excogitassent id de nouo, tamen peccassent in cultum aliter mādatum, & sic pœnam incurrissent; quia electitio cultu præceptum cultus corrupissent.*

Hoc non est Prædicantium imperitiam defendere; sed risui magis atque magis exponere. Si in præceptum hoc impegissent; non igitur pœnis affecti fuissent ideo tantum, quod aliquid non præceptum in cultu fecissent; sed quod huiusmodi rem faciendo præceptum aliud violassent; falsum igitur est, quod Prædicantes contendunt, eam solum ob caussam punitos esse, quod ausi fuissent opus non præceptum facere: hæc enim non fuisset caussa puniendi; sed transgressio præcepti de non introducendo *cultu electitio.*

Deinde antiquum Prædicantium deliramentum est, prohiberi à Deo simpliciter omnes cultus *electitios;* eos

os; eos enim tantum prohibet, qui diuinis mandatis repugnant: non autem illos, qui cum præceptis Dei consentiunt, cuiusmodi cultus ille esse poterat, Leuit. 10. si non expressum de igne alieno non vsurpando mandatum à Deo editum fuisset. Quod si, vt Prædicantes somniant, omnes *electitii* cultus, hoc est, qui liberè, & absque præcepto suscipiuntur, prohibentur & damnantur; non igitur commisi mendacium, vt mendax Alchymista hîc scribit, quando Pseudoeuangelicis hoc enunciatum tribui: *Omne illud peccatum est, quod agitur absq; expresso præcepto, in cultu nimirum & religione: quia tantum hoc faciendum est, quod Deus præcepit in verbo suo scripto*, vt contendunt Prædicantes.

Probaueram in Responso, loca Deut. 4. 5. 12. propriè loquendo non pertinere ad totum scripturæ corpus; sed tantum ad præcepta quædam Mosaica: Alchymista hoc validissimis argumentis oppugnans, has machinas intorquet:

I. *Qui vetus testamentum condidit, condidit etiam nouum:*
Ergo loca illa pertinent ad totum scripturæ corpus.

II. *Idem interdictum repetiuit Salomon, Idem Ioannes in Apocalypsi; Saluator dicit, soluentem aliquod ex mandatis, fore minimum in regno cælorum: dicit etiam, juxta suum verbum fore vltimum judicium: appellatq; verbum Dei veritatem, lucem, & ouibus suam non alienam vocem commendat:*

Sequitur ergo, quod antea, nempe præcepta illa Israelitis à Moyse, vel potius à Deo per Moysen data: ad totum scripturæ corpus, & ad solum scriptum Dei verbum pertinere.

Et quis neget hanc consequentiam probam esse ac legitimam, cum ex tot Scripturis, quibus antecedens refertum est, naturali sequela, sicut lux ex sole, fluat?

Post has tam ingeniosas consecutiones mendaciis non-

nonnihil sese oblectat. cum ait: me locum illum Prouer. 30. *Omnis sermo Dei ignitus clypeus est sperantibus in se; non addas quidquam verbis illius, &c.* reducere ad particularem sensum. Quo jure hoc asseris Alchymista, nisi jure mentiendi, calumniandi, & decipiendi? Nullum verbum in meo libro ostendes, quo id, quod tu, impostor, mihi affingis, asseruerim: Nam in cap. 10. vbi probaui loca Deuteronomii propriè tantum spectare ad præcepta quædã Mosaica, nullam feci mentionem dicti illius ex *Prouerbiis*; sed in capite præcedenti, vbi dixi in eandem sentẽtiam locum Salomonis interpretandum esse, in quam loca Deuteronomii interpretatus fueram. At quomodo illa capite nono interpretatus sum? Nonne vniuersim de tota scriptura? Nonne de omni illa additione, quæ sacræ scripturæ vtriusq; testamenti repugnat? An non vidisti hæc meá verba? *Ad totum sacræ scripturæ complexum pertinet locus Salomonis.* Os & frontem Alchymistæ, sed frontem ab effronte frustra postules.

Quæsieram: si *Prædicantibus* adeò legalibus esse libet, vt *hoc tantum*, & quidem omne illud, quod in sacris litteris præcipitur, agere velint; cur non circumcidantur, cum hoc expressè sit præceptum? Respondet Alchymista: *Legem circumcisionis jam sublatam esse; vt & alias cæremoniales.* Non ignota refers, scimus à Christo sublatam. Interim tamen & hoc scimus, si quis more Hunniano vrgeat verba illius præcepti: *Hoc tantum facito*, nullamq; restrictionem aut explicationem præcepti illius adferat, aut adferri patiatur; non immeritò à tali disputatore quæri; cur non circumcidatur, cum hoc expressè sit præceptum in ea ipsa lege, in qua scriptũ legitur: *Hoc tantum facito, quod ego præcipio tibi*: præsertim cum non ita sit abrogata; quin sine peccato in synagoga *Lutherana*

vsurpari possit, vt docet Philippus Melanchthon, cuius hæc sunt verba: *Quid senserit de cæremoniarum abrogatione Hieronymus, etiam tonstrinæ norunt; sed in ea disputatione, quos secutus sit, ipse viderit. Scriptura certè liberas facit omnes huiusmodi obseruationes, vt inter Iudæos Iudaicos ritus: inter gentes, gentiles seruare possis, &c. Errat qui exigit circumcisionem tanquam necessariam. Errat item, qui vetat circumcisionem tãquam impiã, &c.* Hæc Melanchthon, non obstante illo ad Galatas: *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit.* An fortè Melanchthon maior Paulo; aut ęqualis? Audiamus Lutherum: *Volumus Paulo suam quoq; gloriam saluam, ne quando iactet aliquis, Philippum esse Paulo superiorem vel æqualem. Sufficit te proximum Paulo esse.*

Melan. loc. de abrogat. legis Argent. 1523

Luth. epist. ad Melãch. præfixa Annota. super ep. ad Rom.

Loca Deuteronomii non tantum intelligi de verbo Dei scripto; sed etiam de non scripto, copiosè demonstraui in Responso. Alchymista solito acumine rem contra me gerit:

Saluator citat scripturam: & Psalm. 40. In volumine libri scriptum est de me. Et Esa. 29. Et audient in die illa (tempore noui testamenti) verba libri, &c.

Ergo loca Deuteronomii tantum de verbo Dei scripto accipiuntur; nulla autem ratione de verbo Dei non scripto.

Vides, lector, acumen Varnæ, quod tamen clarius adhuc elucescit in his, quæ subiungit. Volens enim demonstrare Moysen omnia sibi à DEO mandata litteris mandasse: & omnia ad salutem necessaria in scripto DEI verbo comprehendi, sic argumentatur:

Audi-

Audiant Moysen. Lucæ 16. Et Ioannis 5. Scriptura testatur de me, & in ea est vita: & scripta sunt ea, quæ sufficiebant ad fundamentum Ecclesiæ sicut & D. Ioannes loquitur de miraculis Christi ad fidem.

Ergo quidquid Deus vnquam præcepit, vel Moysi, vel alteri, id scripto Dei verbo comprehensum est.

Præterea:

Saluator repudiat traditiones veterum non scriptas, & multa alia signa fecit IESVS in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc: hæc autem scripta sunt, vt credatis, quia IESVS est filius DEI, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius.

Ergo omnia quæ Deus in veteri & nouo testamento tradidit, scriptura sacra consignata sunt.

Hoccine est argumentari Alchymista, an fatuari?

Quia verò mentionem fecisti loci illius Ioannis de miraculis Christi, toties ab orthodoxis scriptoribus explicati; quærere ex te lubet, an quis obligatus sit credere illa miracula, quæ Ioannes testatur Christum fecisse, nec tamen scripto consignata esse? Si ais, credenda esse: ergo aliquid credendũ est, quod in scriptura nõ continetur. Si negas credenda esse, concedere ergò debebis, illum hæreseos nota notari non posse, qui miracula illa non scripta inficietur. At quis tam delirus est, qui talem inficiatorem ab hæreseos crimine absoluat? Si dicas: miracula ista licet in scriptura non sint scripta; hoc ipso tamen fidem mereri, quod generatim saltem in scriptura affirmetur, ea à Christo patrata esse: Respondeo, hoc ipso nomine etiam traditiones, seu non scriptum DEI verbum fi-

dem mereri; quia generatim saltem scriptura nobis indicat præter scriptum Dei verbum, aliud non scriptum in Ecclesia superesse.

Loca Deuteronomii non pertinere, nisi ad certa quædam præcepta à Moyse tradita; probaui etiam ex vocula *hodie*; quæ præceptis illis non raro additur: eò quod certum definitumque tempus significet. Occurrit Alchymista:

In Psalmo 2. Filius meus es tu, ego hodie genui te: vox hodie non signat tempus præsens:

Ergo neq; tempus præsens denotat, cum Deut. 13. dicitur: Quæ ego tibi præcipio hodie: aut cap. 32. vbi legitur: omne verbũ, quod ego tibi præcipio hodie, custodies seruare.

Hæc tam acuta sunt argumenta, vt nulla Antimonii dosi exacui posse videantur. Interim tamen, quisquis hæc non adorat, is ab hoc Alchymista *asinus Cumanus, fatuus, delirus, stultus*, & quid non? audit.

Dosis XXII. De verbo lumine, deq; dicto S. Pauli: Cætera, cum venero, disponam. & de illo: Sed licet nos aut Angelus de cœlo, &c. Gal. 1.

Mat. 5. Dictum Christi est; *non potest ciuitas abscondi supra montem posita; neq; accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt.* Aduersus hoc Redemptoris nostri dictum agere dicebã illos, qui sacram scripturam proprii ingenii angustiis penetrare moliuntur; hos enim, contempta Ecclesiæ, veterumq; Doctorum auctoritate, quæ est veluti *lychnuchus*

&

& candelabrum, lucernam sacræ scripturæ sub proprii cerebri quasi modio abdere. Vbi Alchymista. *Ex qua Ecclesia didicisti hunc sensum?* Ex ea, in qua Dei munere, dego, nimirum ex Catholica. *Adi,* inquit, *Dialecticam, & vide proportionem terminorum: Modius ingenium angustum: candela scriptura sacra.* Atqui si quid in Metaphora peccatum esset; potius ad Rhetoricam, quàm ad Dialecticam ablegandus eram: Rhetorum enim potius est præcepta de Metaphoris aptè formandis tradere; quàm Dialecticorum: id enim cum aliunde, tum ex Aristotelis & M. Tullii Rhetoricis operibus mihi didicisse videor. Mirum autem tibi insolitum videri, si scriptura Metaphoricè sit *candela* seu *lucerna*; hac enim voce vsus sum, non illa *candela*, quam de tuo apponis. Quid apud Prædicantes vulgatius, quàm illud: *Lucerna pedibus meis verbum tuum?*

Iam quod modius rectè transferatur ad proprium, priuatumq; ingenium: Id hinc planum fit, quod omnes illi, qui scripturam proprio ingenio explanare & interpretari conantur; scripturę lumen potius condunt, quàm promunt, & quantum in se est, efficiunt, vt non luceat omnibus, qui in hac magna Ecclesiæ domo viuunt, cum priuatum, propriumq; ingenium non sit ita comparatū, vt insitum scripturę lumen ad omnes diffundere & transmittere queat. Vt ergo solem in publico, omnibusque communi loco constitutum esse oportet, quo lux eius ad omnes pertingat, ita & scriptura sacra in publico & sublimi Ecclesiæ domicilio collocata esse debet, vt radios suos ad omnes mittat: & vt is, qui solem de cœlo detraheret, eumq;, si quæ vires hoc permitterent, sub terra abderet, mortales solis splendore priuaret; sic & ille, qui scripturæ solem, ex Ecclesiæ, vt ita dicam, cœlo, deripit, & ad modicas ingenii sui angustias redigit, lucem scriptu-

ratum ex mundo tollit,& omnia tenebris inuoluit.

Obiicit Lullus. *Quomodo subiicere modio lumen is potest, qui cupit lumen penetrare,& id cognoscere?* Imò hoc ipso lumē scripturæ modio subiicit, quod proprio ingenio id cognoscere & penetrare contendit, absq; Ecclesiæ magisterio; quia hac *modii* metaphora nihil aliud intellectum volumus, quàm conatum illum, inanemq; laborem, quo se macerant Hæretici, cum sacras litteras ex Ecclesiæ *candelabro* detractas, quasi domum secū deferunt, priuatimq; lumen illud scripturæ propius & penitius intueri & cognoscere student; cum sub illo modio priuatę cognitionis & auctoritatis non luceat; nec alibi, aut aliunde, nisi in & ex Ecclesiæ *candelabro* illuminet. *P*orrò, quod Chymicus noster Metaphoram *Modii & lucernæ* tanquam proportionis expertem, ex Dialectica corrigendam existimat; vereor, ne & Christum leges Metaphorarum doceat, cum Apostolos *salem* terræ,& *lucem* mundi nominat. Quę enim, dicet, proportio *salis* & *lucis* cum Apostolis?

Dictum illud Apostoli: *Cætera, cum venero, disponam:* ait Alchymista *pertinere ad cæremonias & ritus Ecclesiasticos:* Sit ita. An ideo traditiones non erunt, quia in cæremoniis & ritibus consistunt? An ideo falsum non erit Prædicantium assertum, quando clamant, omnia, quæ ad cultum & religionem pertinēt, sacris litteris consignata & perscripta esse: neq; enim vllum tam stupidum, præter Alchymisticos ciniflones, fore arbitror, qui inficietur, ea, de quibus se præsentem dispositurum promiserat Apostolus, ad religionem, diuinumq; cultum pertinuisse. *At libera erant*, ait Chymicus, *nec obseruatu ad salutem necessaria.* Vnde verò hoc probat? An ipse Paulus ait; *cætera cum venero, disponam*; sic tamen, vt vobis integrum sit ea seruare, aut negligere, acceptare aut repudiare?

Locum

Locum Apostoli ad Galatas 1. quo vetatur, ne quid recipiamus, præter quam, quod nobis *Euangelizatum* est; restringere videtur S. Augustinus ad scriptum Dei verbum, quasi nihil sit admittendum, quod in scripto Dei verbo non continetur. Respondi inter cætera: Etiam traditiones, auctoritatem Ecclesiæ & Doctorum in scripto Dei verbo comprehendi, saltem *virtute & potentia*, quatenus scriptum Dei verbum hæc omnia nobis commendat, & amplectenda tradit. Quid Alchymista? *Elumbe & stolidum est, quod fatuus ille & putidus sophista de actu, potentia, repugnantibus, præter positis, seu disparatis garrit. Verba* (Augustini) *sunt aperti sensus. nec possunt corrumpi vlla sophistica. Nemo putet nos vitiosissimos illos blaterones pluris æstimare Spiritu S. & veritate Augustini. Figmenta sordida sunt; nec possunt ex scriptura vlla authentica demonstrari.* Cum olim quidam gentilium spectaculorum nimii amatores suam consuetudinem adeundi Circum, theatrum, & amphitheatrum defendere conarentur: quod scriptura aditionem huiusmodi non vetaret: argumenti indignitate motus Tertullianus, *quam vana*, inquiebat, *imò desperata argumentatio eorum*, qui dicunt, *nullam eius abstinentiæ mentionem specialiter vel localiter in scripturis determinari, quæ directò prohibeat huiusmodi conuentibus interesse seruum Dei.* Quo nomine affecisset Tertullianus hæc & similia Alchymistæ responsa, quę tertio verbo quoq; audire cogimur. Sed caussę, quam defendit iniquitas, & Chymicæ naturæ genius non promunt alia responsa, quam ex calumniis & criminationibus consarcinata. Tertull. lib. de spect. c. 20.

Dosis

Dosis XXIII. De dicto S. Pauli: Omnis scriptura diuinitus inspirata, &c. 2. Timoth. 3.

EX hoc loco dicebam, Prędicantes hunc syllogismum contexere:

Illud quod hominem perfectum reddit, instructumq; ad omne opus bonum, est vnica norma omnium controuersiarum:

Sola scriptura reddit hominem perfectum, instructumq; ad omne opus bonum:

Ergo sola scriptura est norma omnium controuersiarum.

Concessa Maiore, negaui Minorem, quod scriptura reddat quidem hominem perfectum, sed non sola, nec vt *totalis*, sed vt *partialis* regula. Quid Alchymista? Nimirum id, quod solet. Exclamat: *Adesto Tannere per Deum, & ipse judica.* Iam adest Tannerus, aitq;, se nunquam *stultiorem phantasten audiuisse, aut vidisse in Dialectica & Theologia tota quàm te:* hoc enim liquidum esse, cum ex tota Analysi tua, tum ex illis, quæ nominatim contra Gretseri Responsum scriptitas, præsertim hoc loco, vbi vesaniæ tuæ perquam manifesta documenta edis. *Verba Varnæ.*

Male te habet adiecta ad Minorem vocula illa: *Sola.* At si malè te habet, non mecum, sed cum *Prædicantibus* expostula; illorum enim est hæc enunciatio: *Sola scriptura reddit hominem perfectum*; & quia Prædicantiũ est, ideo à nobis negatur. *Otiosa,* inquis, *est illa vox, sola.* Hoc tuis Prędicantibus cane, non nobis. *Mollißimè,* inquis, *sequitur,* omisso illo vocabulo. Quid sequitur? hoc videlicet:

Perfectum reddens hominem est norma vnica controuersiarum fidei, in qua perfectio quæritur:

Sacra

Sacra scriptura reddit hominem perfectum:
Ergo sacra scriptura est vnica norma.

Mollißimè profectò, & laneo quodammodo pede seque-retur conclusio, si *præmissæ* sine vlla distinctione à nobis concederentur; at cum nemo sit tam plumbeus, qui non videat tam Maiorem, quàm Minorem *mollißimè* distingui posse & debere; ideo nemo etiam tam plumbeus est, qui vanitatem conclusionis & jactantiæ tuæ non animaduertat. nam si sensus Maioris sit, illud esse vnicam controuersiarum normam, quod solum & vnicum reddit homines perfectos; conceditur Maior: sed statim redundabit distinctio ad Minorem, eamq; falsitatis coarguet: si enim subsumas: *Sed sola & vnica scriptura reddit homines perfectos:* Negabitur Minor. Vbi remanebit Conclusio? Maior item vera est de caussa *totali* perfectionis; sed hoc sensu falsa erit Minor. Vbi ergò *mollißima* illa tuæ conclusionis sequela? Quod si Maior de sola partiali perfectionis caussa intelligatur, jam pridem pleno ore à nobis negata est, totiesq; negabitur, quoties à Prædicantibus, aut Prædicantium Alchymisticis subsidiariis proponetur. Et quare tu syllogismum à me propositum corrigis; & quidem ineptissimè? Non enim meus est, sed Prædicantium; qui vt euincant solam scripturam esse omnium controuersiarum normam, confugiunt ad locum prædictum Apostoli, ex eoq; argumentum supra adductum conficiunt. Dic Alchymista, si quis hanc quæstionem; *Vtrum sola scriptura sit norma controuersiarum*; in modo aliquo syllogistico *affirmatiuè* concludere velit; an non vocem *sola*, in conclusione, & in aliqua *præmissa* adiicere debeat; sicut si quis hanc quæstionem inferre contenderet: *solus homo est risibilis*: vtiq; vocem *solus*, in ipsa conclusione, & in aliqua *præmissa* exprimere deberet. Quid tu igitur

nugaris de voce *sola* tanquam *otiosa*, & in syllogismo minimè collocanda, cum totius controuersiæ momentum in hac voce consistat?

Immaniter boat & conuiciatur, quod in conclusione vocem *vnica* præterii, positam tamen in Maiore. Sed conuiciatores cœci sunt. Nam vox *sola*, & vox *vnica*, synonyma sunt. Si enim *sola* scriptura est norma omnium controuersiarum; erit etiam *vnica*. Sicut si solus sol diem efficit, vnicus vtique sol diem efficit. Et si scriptura est vnica norma omnium controuersiarum; erit etiam sola scriptura norma omnium controuersiarum: Sicut si vnicus sol efficit diem, vtiq; solus etiam sol diem efficit. Itaque quis nisi Alchymistico fumo occæcatus has propositiones eiusdem, vt sic loquar, tenoris & valoris esse non videt? *Sola scriptura est norma controuersiarum. Sola scriptura est vnica norma controuersiarum. vnica scriptura est norma controuersiarum.* Siue enim vox *Vnica* adiungatur voci *Norma*, siue voci *Scriptura*, idem sensus existit. Quod si Lullista vocem *vnica* adeò in conclusione desiderat, addat licet. Sed quid inde consequetur, negata Minore? *Remoue*, inquis, *inutilem illam, & alienam SOLAM.* Quam *solam*? Sed noto Arsenicarii acumen plusquam *sutorium*. Cruciat illum vox *sola* in Minore. At si tibi cruci est, culpam confer in Prædicantes, quia Minor illa non est mea, sed Prædicantium: Si enim mea esset, non negaretur à me, cur enim vineta mea cæderem?

Si negat assumptum, inquis, *vocem Spiritus sancti negat.* Imò vocem Prædicantium nego, non Spiritus sancti. Hæc enim vox, *Sola scriptura hominem perfectum reddit*; à Spiritu sancto nunquam profecta est: vt nec ista: *Scriptura hominem*

nem perfectum reddit: si sensus sit; *sola* scriptura tanquam caussa *totalis* hominem perfectum reddit. *Maior*, inquis, *est concessa*. Ita est. *Concessa est & Minor*. Mentiris. Negaui sæpius Minorem: & denuò nego. *Nam hanc ponit*:

Scriptura reddit hominem perfectum.

Iterum mentiris: Non enim hæc Minor est; sed ista: *Sola scriptura reddit hominem perfectum.* Magno discrimine distant istæ propositiones: *Sola scriptura hominem perfectum reddit.* Et, *Scriptura hominem perfectum reddit*: Tantum enim distant, quantum istæ: *Solus homo est animal mortale. Homo est animal mortale.* Inter quas tanta est differentia, vt prior à vero sit longè remotissima; posterior veritati quàm maximè consentanea.

Sequitur aries judicio Chymici ineuitabilis: at meo non magis quàm fulgur ex vitro formidabilis:

Si effectus ille non est etiam solius scripturæ, non potest dici quod perfectum reddat hominem: nisi in rem seriam & simplicem colores Rhetoricos inducere velis.

Atqui spiritum sanctum rectè hunc effectum perfectionis ei tribuisse, & sine fuco Rhetorico, palam est & irrefragabile.

Est ergo etiam solius.

Respondeo, Maiorem esse Alchymicam, & *aurifactoriam*; hoc est, vanam, inanem, futilem, vno verbo Libauianam. Et gemellam huic. *Si tribus vnam trabem trahentibus effectus ille non est etiam solius Petri, v. g. non potest dici, quod Petrus trabem illam trahat.* Ergo, vt paucis & me & te expediam, negatur Maior. Tu proba. At quid jubeo? Iam probas etiam iniussus.

Propositio declaratur stulcitia enunciationis Logicæ, quæ fit contra affectionem argumentorum:

Ergo Maior est vera.

Pulchrè. Vlterius perge: *Euidens textus est Spiritûs S. de hac ordinaria caussa, quod scriptura instruat hominem, & perfectum reddat ad omne opus bonum, qui est finis perfectus.* Vbi verò euidens ille textus, quod *sola* scriptura hoc faciat? *At non facit hoc*, inquis, *nisi sola hoc faciat.* Argutè, quia perinde, ac si dicas: sol non generat hominem, nisi solus generet. Homo non generat hominem, nisi solus generet. Et tamen sol & homo generant hominem ex decreto eius, quem tu principem Philosophorum, Lutherus tuus propemodum *Diabolum incarnatum* appellat.

Rursus argumentatur an fatuatur Chymicus?

Si Spiritus sanctus particularem perfectionem scripturæ tribueret, falsum enunciaret, quod ad omne opus bonum instrueret hominem:

Sed hoc est impium & blasphemum:

Non ergo particularem perfectionem tribuit.

Respondeo, Maiorem esse falsam: Tu quomodo probas? *Particularis perfectio non potest omne opus consequi.* Respondeo, I. Non posse per se, vt est caussa *partiaria*, posse tamen adiuuantibus & concurrentibus cæteris caussis; sicut solus pes aut manus, vt sunt caussæ *partiales*, non possunt solâ suâ operâ perfectionem dare corpori, vt instructum reddatur ad omnem functionem corporis, possunt tamen dare hanc perfectionem concurrentibus & adiuuantibus caussis cæteris: Quo fit, vt totam corporis perfectionem efficiant, at non *totaliter*, sed *partialiter*. Sicut igitur verissimè asseritur *pedes* & *manus* vtiles esse ad hoc, vt homo physicè sit integer, & ad omne opus Physico corpori competens instructus, licet tantum sint caussæ *partia-*

Partiales huius perfectionis, & ad omne opus physico corpori consentaneum instructionis: ita & Apostolus de scriptura diuinitus inspirata verissimè asserit, eam *esse vtilem ad docendum, &c. vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus*: licet sacra scriptura huius perfectionis, & ad omne opus bonum instructionis sit tantum caussa *partialis*. Quod alio item exemplo declaratur. Nam si plures eandem domum simul exstruant, de quouis verè affirmatur, operam eius vtilem esse ad hoc, vt domus sit perfecta, & ad omne commodum instructa. Et tamen nemo est tam rudis & hebes, qui quemlibet fabrum dicat huius perfectionis *totalem* caussam esse, cum quilibet sigillatim spectatus sit tantummodo *partialis*; omnes autem simul & collectiuè sumpti caussa *totalis*. Deinde ex superabundanti hoc responsum adiicio: Scripturam, licet sit caussa *partialis*, posse tamen, vt iste loquitur, *omnem perfectionem consequi*, seu attingere & efficere, si non immediatè, certè mediatè per alias caussas. Itaq; licet scriptura in se, & per se *explicitè* hominem *ad omne opus bonum* non instruat; instruit tamen *implicitè* & *mediatè* ad omne opus bonum, hoc ipso, quod eorum operum, quæ ipsa immediatè non tradit, magistros, &, vt sic vocem; *Præceptores* monstrat. Sed responsum hoc bilem mouet Alchymistæ, vt paulò post videbimus.

Arguit me mendacii, quod scripsi, de quauis scripturæ parte rectè affirmari, quod Apostolus affirmat de scriptura generatim; esse nimirum vtilem ad docendum, ad arguendum, &c. *Si hoc, inquit, verum est, sequitur, quod quartum præceptum perfectum reddat hominem ad omne opus bonum.* Hoc sequitur, Alchymista, quartum præceptum esse *vtile ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in justitia*, quæ omnia de scriptura affirmat Apostolus;

ſtolus *vt perfectus ſit homo Dei*: ex vi etiam huius præcepti, tanquam cauſſæ partialis. *& ad omne opus bonum instructus*: ex vi etiam huius præcepti, tanquam cauſſæ partialis; instructionem ad omne opus bonum *partialiter*, vt ita loquar, ſuppeditantis. Quo fit, vt minimè ſequatur, quod Alchymiſta infert: *Omne opus bonum eſſe in quarto præcepto*: Sed hoc duntaxat: Quartum præceptum eſſe quaſi quandam *concauſſam*, cuius beneficio homo ad omne opus bonum inſtruitur: ſicuti minimè ſequitur; omne bonū hominis eſſe in manu aut pede, quòd manus & pes etiam cō currāt ad hoc, vt homo inſtructus ſit omni bono, hoc eſt, tota integritate & perfectione corporis.

Diſcrepantiam inter me & R. P. Tannerum tu tibi oblectationis cauſſa cōminiſceris. Tannerus enim in ſua Relatione nihil aliud dicit, quā non eſſe idem, vt hallucinantur Prædicantes, vtilem eſſe ſcripturam, & *ſufficientem* eſſe ſcripturam; aliàs ſecuturum, quemlibet ſcripturæ librum eſſe *ſufficientem*, cum Apoſtolus dicat: Omnis ſcriptura, &c. At ego nō de *ſufficientia* locutus ſum, ſed de vtilitate: dixiq́; & etiamnum dico, omnem ſcripturæ partem, vtilem eſſe ad docendum, ad arguendum, &c. quod P. Tannerus neq; negat, neq; vnquam negauit. Diſtingue Alchymiſta inter vtilitatem & *ſufficientiam*, & calumniæ tuæ ſtatim euaneſcent.

Nunc ex verbis meis huiuſmodi ſyllogiſmum format; quàm probum ipſemet architectus viderit:

Quod generatim affirmat Apoſtolus de ſcriptura, id de quauis ſcripturæ parte rectè aſſeueratur.

Apoſtolus 2. Tim. 3. de omni ſcriptura affirmat, quod ſit diuinitus inſpirata, & vtilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem ad inſtitutionem, quæ eſt in juſtitia, vt ſit perfectus Dei homo, & ad omne opus bonum apparatus.

Ergo de qualibet parte ſcripturæ rectè aſſeueratur, quod ſit in-

ſpirata, &c. vt perfectus ſit, &c.

Atqui Tannerus negat concluſionem, inquit Alchymiſta. Atqui te mentiri teſtatur Relatio R. P. Tanneri; nam Tannerus loquitur de *ſufficientia* ad omne opus bonum; aliud eſt *ſufficientia*, aliud vtilitas. Quilibet liber ſcripturæ, imò quælibet ſcripturæ particula vtilis eſt ad docēdū, ad arguendum, &c. vt perfectus ſit Dei homo; ſed non quęlibet eſt per ſe *ſufficiens* ad hoc, vt homo Dei ſit perfectus, ad omne opus bonum inſtructus: ſicut quilibet faber vtilis eſt ad hoc, vt domus perficiatur, vtque ad omnem commodum habitandi vſum inſtruatur: ſed non quilibet faber ad hunc finem eſt *ſufficiens*; *ſufficiens* inquam, *ſufficiens* inquit & Tannerus. Arrige aures, Lulliſta, & exporrige frontem, vt deſinas calumniari de diſſidio inter me & Tannerum. Quid verò illud ſibi vult? *Atqui Tannerus concluſionem negat.* Anne putas Tannerum adeo in Dialecticis imperitum, vt conceſſis præmiſſis neget concluſionem, ſi ſyllogiſmus ſit legitima forma veſtitus? Deinde quidquid ſit de propoſitione illa, prout à te per ſyllogiſmum infertur (poteſt enim fieri, vt quis meritò neget veram propoſitionem, non præcisè quatenus vera eſt, ſed quatenus ex præmiſſis legitimè, & ex arte non infertur ſeu colligitur) an tu tam vecors es, vt credas, te cuiquam perſuaſurum hoc pluſquam portentum, nempe *P.* Tannerum negare, quamlibet ſacræ ſcripturæ partem eſſe *diuinitus inſpiratam: eſſe vtilem ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum,* &c. vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus? profectò nimis multa de credulitate & facilitate auditorum tibi polliceris, ſi hoc polliceris.

Quam verò ſubtile argumentum illud, quod iſte exſtruit ex meo de partibus corporis humani excm-

exemplo. *Si quemadmodum membra corporis humani singula in se suas perfectiones particulares habentia, concursu suo reddunt absolutum, perfectumq́; ita membra quoq; sacræ scripturæ singula in se suas partiales perfectiones habentia, constituunt totam scripturam perfectam ad hominem reddendum perfectum in omni opere bono: Consequens est, sacram scripturam integram, omninoq; absolutam & perfectam esse, & solam consequi finem suum posse in homine ad omne opus bonum perficiendo.* Hæc Maior est huius Alchymistici syllogismi, qua vix in vita legi maiorem, & longiorem; & si subtilitas æquaret longitudinem, subtilissimam quãprimum nominarem. Quid quod necdum finis est huius Maioris? Hanc enim annectit appendicẽ, quasi onerariæ naui cymbulam: *Est & hoc consequens, nihil ei addi, nec detrahi posse omnino absque iactura, & deformatione in substantia.*

Iam videamus Minorem, quæ forsan breuitate sua pensabit prolixitatem Maioris: *Sed illud est, aduersario teste; Hoc ergò, &c.* Respondeo sequelam Maioris esse falsam & mendacem; cuius falsitas, vt euidentius elucescat, exemplis demonstrabitur. Si membra singula, singulas suas perfectiones habentia, reddunt hominẽ concursu suo absolutum, perfectumq́; consequens est, corpus hominis nunquam esse vllius effectus caussam partialem, sed tantum totalem; Sed verum est illud; ergo & hoc. Quantum valet sequela huius Maioris, tantum valet sequela Maioris Alchymisticæ. Licet enim membra concursu suo corpus in perfectione corporis constituant, atque adeo perfectum corpus reddant, minimè tamen propterea hoc perfectum ex omnibus suis partibus coagmentatum corpus, eam perfectionem consequitur, vt se solo postea quemuis effectum producere queat; nam nõ obstante perfectione corporis, indiget ad aliquos effe-

ctus

ctus ope & concursu aliarum caussarum, quarum respectu ipsum caussa partialis est, sicut & aliæ caussæ partiales duntaxat sunt respectu illius: (neq; enim Petrus ideo, quia ex omnibus partibus physicis & integrantibus corpus compactum habet, potest solus lapidem molarem de loco ad locum transferre, sed eget subsidio aliarũ caussarum partialiter ad hanc translationem concurrentium) ita & in nostro proposito: licet corpus sacræ scripturæ ex omnibus suis partibus componatur, perfectũq; & absolutum corpus reddatur, non sequitur tamẽ, quod ob hanc suam *in, esse*, vt sic dicam, *scripturæ* perfectionem à partibus datam, quiduis aliud per se solum efficere queat; neq; vllius alterius caussæ auxilio egeat. Inter cætera autem, quæ scriptura sola, & per se præstare nequit, hoc etiam vnum est, quod se sola & per se nequit dirimere & terminare omnes fidei controuersias, consequenter neq; per se sola tanquam caussa totalis ad omne opus bonum sufficit, quia terminare controuersias, opus est vtiq; longè optimũ, & planè eò pertinens, vt homo Dei sit perfectus, & ad omne opus bonum instructus. Nec quidquam ideo de scripturæ perfectione decerpitur; quia non est perfectionis posse quiduis; sed posse id quod natura vt possit, tanquam debitum exposcit.

Sed ecce alium syllogismum ex furnulis Libauianis.

Qui negat scripturam tribuere perfectionem omnem in hoc mundo ad salutem necessariam, is contradicit Spiritui sancto:

Id facit Gretserus:

Ergo, &c.

Respõdeo Maiorẽ esse falsam, si intelligatur de scriptura *sola*: adeo enim is, qui negat solam scripturam tribue-

re omnẽ perfectionem ad salutem necessariam non contradicit Spiritui S. vt potius is, qui contrariũ asserit, manifestissimè Spiritui S. refragetur, vt jam sæpius ab orthodoxis demonstratum est. Neq; S. Paulus ad Timotheum id tradidit, cum tantum asserat, omnem scripturam esse vtilem ad docendũ, ad arguendũ, &c. *vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus*. licet enim hæc perfectio hominis Dei, & ad omne opus bonum instructio ex scriptura proficiscatur, non tamen ex *sola*, de quo solo cum aduersariis contendimus: nam vt vno exemplo rem planiorem faciam, perfectio hominis Dei, & opus bonum est, vt credat Epistolam ad Philemonem esse Canonicam; ad hanc perfectionem, & ad hoc opus bonũ, vbinam, quæso, hominem Dei perficit & instruit scriptura per seipsam, & quidem solam, tanquam caussa *totalis*? nam tanquam caussa *partialis* etiam ad hoc opus bonum Dei hominem perficit, hoc ipso, quod *partialiter* ad totam hominis Dei perfectionem concurrit; in tota autem hominis diuini perfectione, hęc etiam, de qua modò dicebam, perfectio compreheditur. Nimium autem imperitus fuerit, qui inficietur caussam *partialem* suppeditãdo vim & perfectionem *partialem*, itidem concurrere ad perfectionem *totius* constituendam; cum perfectio totius nõ aliunde existat, quam ex collatione & contributione partium: ad perfectionem enim totius domus quæuis caussa partialis concurrit: licet tantum vim & perfectionem partialem ædificio illi suppeditet: vt non repetam, quod jam supra dicebam; scripturam ad omne opus bonum instruere, *mediatè* scilicet, quia monstrat vnde petenda sit instructio in illis, quæ ipsa disertè non tradit.

Petit

Petit Alchymista huius rei probationem: *Vbi Iesuitica probatio?* neq; exspectat, dum à me reddatur: *Nempe ex hoc dicto*, inquit, *dic Ecclesiæ.* Imò syllogismũ, quasi à me ex hoc dicto confectum proponit: hoc præfixo lemate.

Syllogismus. Christus dicit: dic Ecclesiæ, quam si non audit, &c.

Ergo sacra scriptura demonstrat, vnde petenda sunt cætera, quæ ipsi desunt.

Subiungit Alchymista. *Deliras.* Secum loquitur, non mecum. Verè enim delirat, & quidem mendacissimè: Nam eo loco Responsi, quem hic exagitat, nullam penitus feci mentionem præcepti illius de re ad Ecclesiam deferẽda, multoq; minus syllogismum talem texui, qualem delirus iste comminiscitur. Itaq; nihil aliud, quàm sua delira mendacia hic proponit & refellit. Et quamuis dixissem, scripturam loco citato monstrare nobis quasi intento digito, quonam instructionis gratia nos conferre debeamus, si quid fortè eiusmodi existat, quod alia ratione dirimi nequeat, nihil peccati, opinor, admisissem. An non enim commendat nobis scriptura eo loco, vt & alibi passim, auctoritatem Ecclesiæ, hoc est, Præsulum, Pastorum, & Doctorum? An non hæc maxima Ecclesiæ auctoritas, quod loco Ethnici & publicani habendus sit, quisquis Ecclesiæ vocem audire renuit? *Si*, inquit, *peccauerit in te frater tuus, &c.* quid si non in qualecunque, sed in infidelitatis crimen incurrat, & ad saniorem mentem regredi nolit; tametsi admonitus, eo, quem Christus præscribit, modo? Quid facto opus? *Dic Ecclesiæ.* *Si Ecclesiam non audierit*, hoc est, si iudicio definitiuo Ecclesiæ non steterit; *sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Ergo sentẽtiæ illius obsequendum est, & consequenter, Ecclesiæ quoq; auctoritas & decreta normæ locum apud nos obtinere debent, secundum quam

actiones nostras conformemus & instituamus, vt jam de traditionibus nihil dicam, quas toties scriptura nobis commendat.

Obiicit Alchymista: *Si ad ordinariam perfectionem aliquid deest sacræ scripturæ, idq; petendum est ab Ecclesia, falsum est, quod Ecclesia exstructa sit super fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* Quis verò ex orthodoxis affirmat scripturæ aliquid deesse *ad ordinariam perfectionem*, vt tu homo *extraordinarius* loqueris? Quidquid perfectionis scripturæ competit, id scripturæ non deest, sicut & homini non deest, quidquid perfectionis ei conuenit ex natura sua *specifica*. Itaq; scriptura nulla perfectione caret, licet non sit caussa *totalis*, *vt homo Dei sit perfectus, & ad omne bonum opus instructus*; quia hoc scripturæ non est debitum: Quæ verò hæc argumentatio? Scriptura non est caussa *totalis*, sed tantum *partialis* totius perfectionis & instructionis ad omne bonum; quia ad eandem concurrit quoq; Ecclesiæ, hoc est, Conciliorum & Doctorum auctoritas, maximè in controuersiis fidei dirimendis & componendis; falsum igitur est, quod Ecclesia sit ædificata supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum. Quæ hæc ratio vel potius vesania delirandi? An norma nequit inniti normæ? An regula non potest fundari in regula? An regula esse desinet, si aliam quandam super se exstructam regulam sustentet? Neq; dicit Apostolus; Fidelium collectionem ædificatam esse super scripturam; sed super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, hoc est, supra doctrinam, siue doctrina illa sit litteris prodita, siue absq; litteris posteritati tradita. Multò minus sequitur: *Ecclesiam fore fundamentum sui ipsius, habituramq; lapidem fundamentalem partim Christum, partim seipsam.* Nugæ Alchymisticæ. Nam Ecclesiæ *lapis angularis* primarius & prin-

cipalis

cipalis, Christus est. Secundarius, respectu Christi, ille, cui dictum: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Etsi suo quodam, eoq; recto & vero sensu, *lapides fundamentales* Ecclesiæ appellãtur cæteri quoq; Apostoli, Prophetæ, Pastores, & Doctores, quorum auctoritate & doctrina fideles itidem nituntur, vt *non circumferantur omni vento doctrinæ.* Vt igitur acumen eorum, quæ hîc deblateras, clarius emineat, in consequentias redigendum est. *Auctoritas Ecclesiæ est etiam norma controuersiarum fidei:* (& quid ni? cum sit *columna & firmamentum veritatis*) *ergo Ecclesia est fundamentum sui ipsius, Ergo fundamentum Ecclesiæ est partim Christus, partim Ecclesia. Ergo solũ nomen in quo saluamur, non est Christus, sed & Ecclesia. Ergo baptizari debemus non in nomine tantum sanctæ Trinitatis in Christum, sed etiam Ecclesiæ,* O acumina, non modò tribus sed & ter tribus Anticyris dignissima.

Dosis XXIV. De Canone.

DIxeram vocem Canonis aliquando sumi pro ipsa scriptura sacra & diuinitus inspirata: aliquando pro indice & catalogo librorum sacræ scripturæ. occlamat iste. *Ridicula distinctio. Qua auctoritate vnquam illa vox Canon per se accepta est pro librorum catalogo?* Qua auctoritate initio id factum sit, ego certè nescio. Hoc scio, Canonis nomen pro catalogo, Indice, seu numero voluminum sacrorum me vsurpasse auctoritate S. Hieronymi, aliorumque & tritissimæ loquentium consuetudinis. Quid enim vulgatius, quàm illud? *Hic liber est in Canone. Hic extra Canonem,* hoc est, extra album, syllabum, censum & numerũ librorum diuinitus inspiratorum. Tu litiges licet cum S.Hie- *S. Hieron. in prologo galeato.*

S. Hieronymo, ipsoq; omnium vocabulorum Domino, vsu. Ais. *Accidit Canoni librum esse.* Ita est, quia accidit Canoni, vt in litteras referretur. & verbum Dei Canon erat, antequam libris consignaretur; & hodie itidem Canon est illud Dei verbum, quod ab Apostolis & Euangelistis scripto non est traditum. Quo fit, vt scripturã pro vnico Canone omnium controuersiarum minimè agnoscamus, licet tu id more tuo, verbosissimo syllogismo probare contendas in hunc modum:

Vbi vnicum tantum est corpus doctrinæ generale, authenticum summumq; à Spiritu S. conceptum & traditũ auctoritate infallibili & principali per Prophetas & Apostolos, ita vt oĩa, quæ deinceps sunt, ad illud referantur & judicentur; indeque accipiant auctoritatẽ, tanquam ex principio, ibi vnicus quoque est authenticus & generalis Canon omnium controuersiarum, quæ circa illam doctrinam euenire possunt, non plures καθόλȣ:

In Ecclesia Christi est vnicum doctrinæ corpus authẽticum, &c. Resp. Maiorem esse *Alchymisticam*, hoc est, falsam & confutam ex meris *principii petitionibus*, cum enim Alchymista per *generale corpus doctrinæ*, nihil aliud intelligat, quã verbum Dei scriptum, quasi ad omnia simpliciter sufficiat, ideo perinde facit, ac si diceret: Vbi est vnicum & generale scriptum Dei verbum, ibi est vnica tantum norma & vnicus canon καθόλȣ, non plures, sed in Ecclesia est vnicum Dei scriptum verbũ, &c. probatur Maior: Quia scriptum Dei verbum est καθόλȣ, seu vniuersim sufficiens ad omnia, Hæc est vis argumenti Varnensis, hic neruus, totumq; robur.

Sed probat Chymicus, scripturam sacram esse vnicũ omnium quæstionũ & controuersiarũ fidei Canonem: 1. *Quia scriptura est liber vitæ respondens Christo, 1. Pet. 2. Ergo scriptura est vnicus Canon, & vnica regula oĩum controuersiarum.*

Pulchra consequentia. Nec mirum; quia ex pulchro antecedente. Vbi enim asserit S. Petrus hoc, quod tu ex S. Petro in antecedente ponis? Inspexi locum citatum. Nihil reperi. Inspexi & alios eiusdẽ & alterius Epistolæ locos. Nihil comparet. sed nihil nouũ; si is, q. scripturas perperã intelligit & interpretatur, perperam quoq; alleget.

Secundum argumentum.

Nullus alius Canon ea documenta & certitudinem Canonicam primam habet, quam sacra scriptura:

Ergo, &c.

Respon. Antecedens esse falsum. Nam verbum Dei non scriptum eandem prorsus certitudinem habet, quam scriptura. & auctoritas Ecclesiæ, & Doctorum infallibilis est, quod ad normæ rationem sufficit.

Tertium argumentum.

Sacra scriptura authenticam, summamq; habens in Ecclesia auctoritatem est indubium Spiritus S. verbum:

Ergo scriptura est vnicus Canon omnium controuersiarum.

Respondeo, totum antecedens, etiam de non scripto Dei verbo, verum esse; summam enim habet in Ecclesia auctoritatem, & est indubium Dei verbum. Nec refert, quod tu & tui similes dubitatis, immò funditus pernegatis. Nam & Manichæi vetus testamentum inficiabantur esse verbum Spiritus sancti. An inficiatio eorum effecit, vt quod verè erat Spiritus sancti verbum, non esset Spiritus sancti verbum? Itaq; negatur deliri argumenti consequentia; cui adiungit, inanes jamque millies refutatos coccysmos; *ad scriptum Dei verbum scrutandum omnes ablegari* (sed non ad solum) *in eo omnia necessaria ad plenam Christi cognitionem & bona opera explicitè inesse* (quis hoc præter Hæreticos affirmat?) *ea omnia continere, quæ ad Ecclesiam constituendam, fundandamq; sunt necessa-*

necessaria. (negatum sexcenties ab orthodoxis, & nunquã probatum ab Hæreticis)

Quartum argumentum:

Partes scripturæ sunt sola membra Canonis authentici & generalis, nec vlla alia membra homogenea extra eam inueniuntur:

Tota ergo est Canon totalis.

Respondeo, antecedens esse *petitionem principii.* Solam enim scripturam esse *Canonem generalem,* hoc est, ad omnia sufficientem, non est pro concesso assumendum; sed tãquam à nobis negatum, argumẽtis firmis probandũ est. At vbi illa argumenta? Ecce præsto sunt: *Quidquid in Ecclesia doctrinarum est, aut veteris, aut noui testamenti esse necesse est. Non datur tertium.* Audi Alchymista. Tertium datur, nempe, non scriptum Dei verbum. Hoc neq; in nouo, neq; in veteri testamento scriptum est; aliâs non esset non scriptum.

Sed quia hoc argumentum corruit, en aliud. *Sicut totus Christus vmbraticè seu typicè in vetere testamento, ita totus realiter & sine vmbris in nouo. Ad Christianismum vero nullo alio opus habemus; nam in Christo tota est plenitudo.* Respondeo, si de toto Christo quoad personam Christi sermo sit, tunc totus Christus est non modò in tota scriptura veteri & noua; sed etiam totus est in capite secundo Euangelii S. Lucæ; quia ibi totius Christi natiuitas describitur. Totus item est eo Exodi loco, vbi immolatio & esus Agni Paschalis describũtur: ergò cæteræ partes scripturæ non sunt necessariæ, quæ consequentia proba est, si Chymici nostri ratiocinatio proba est: *Nam in toto Christo, tota est plenitudo.* Quod si Chymicus nomine Christi intelligat, vt debet, doctrinam Christi, tunc sicut falsum est, omnia, quæ Christum typicè adumbrarunt, doctrinamq;

namq; Christi in noua lege tradendam antecesserunt, (& eatenus typicè Christi fuisse dici possunt) litteris consignatam fuisse (habebant enim Israelitæ etiam verbum Dei non scriptum, vt alibi dictum & probatum) ita falsum est totam doctrinam Christi in noui testamenti sacris libris contineri. Nec quidquam aliud sunt, quàm nebulæ, quidquid Alchymista hic *de toto Christo, de toto Christianismo, de tota scriptura, deq; perfectione scripturæ* garrit. Totus Christus quoad personam suam, est in scriptura; tota scriptura perfecta est, eamq; perfectionem habet à suis partibus: neq; tamen rectè hinc deducitur hæc consequentia: *Ergo sola scriptura est norma omnium controuersiarum:* Et quamuis omnis doctrina Christi litteris mãdata esset, nullo verbo Dei non scripto exstante; adhuc tamen sola scriptura omnium controuersiarum norma & canon non esset, sed necessariò, vt jam, pro norma & Canone statui itidem deberet Ecclesiæ & Doctorum auctoritas. Quàm verò acutum illud nostri Lulli, cum ait, *nulla alia membra* (scripturæ) *homogenea* extra scripturam reperiri. Quasi vllum sit membrum siue *homogeneũ*, siue *heterogeneum*, quod *formaliter* vt membrum est, inueniri queat extra suum corpus.

Illud tamen nosse velim Chymicum, verbum Dei non scriptum *homogeneum* esse scripto, quia ratio verbi diuini vtriq; *vniuocè* competit. licet enim verbum Dei non scriptum, non sit pars verbi Dei scripti; illi tamen *homogeneum* est. sicut enim caro Petri est homogenea carni Pauli; licet non sit membrum & pars Pauli. In ratione item normæ vtrunq; verbum *homogeneum* est, sicut & auctoritas Ecclesiæ, Doctorumq; vtriq; verbo *homogenea* est; si præcisè rationem normæ consideremus; tametsi enim Verbum Dei scriptum, vt scriptum est, differat secundum,

cundum scripti rationem à non scripto; vt & hoc secundum rationem non scripti à scripto, itemq; ab auctoritate Ecclesiæ & Doctorum; consentiunt tamen hæc omnia inter se, atq; adeo *homogenea* seu *similiaria* sunt secundum rationem normæ & regulæ.

Quod dixi nobis curæ non esse Dialecticam Philippi, aut Rami, ex eo colligit Chrysopœus noster, Iesuitis Dialecticam curæ non esse, variaque vomit conuicia, quasi nulla alia sit Dialectica, præter ineptias Philippi & Rami, nomine tam specioso indignè abutentes.

*P*ostquam stomachum nonnihil leuauit eiectione conuiciorum, hunc syllogismum ex dicto quodam S. Hieronymi confectum, proponit.

Omne illud, quod de scripturis non habet auctoritatē, eadem facilitate contemnitur, qua asseritur:
Traditiones, Doctores, & Concilia de scripturis non habent auctoritatem:
Ergo, &c.

Maiorem concedit, inquit Lullista, *atq; ita argumentum Hunnii non euertit, sed confirmat contra seipsum.* Pulcherrima confirmatio, cum concessa Maiore, mox negem Minorem. An negatio Minoris in argumento est argumenti confirmatio? Negat Alchymista Minorem a Lutheranis affirmari. Sed quam impudenter id neget, palàm est. Quid enim apud Hæreticos vulgatius, quàm traditiones ex scriptura auctoritatem non habere, nihilq; aliud, quàm *somnia* & *figmenta* Papistica esse. Quod autem diximus in colloquio, traditiones expresse non exstare in scriptura, nec ex ea solâ euidēter deduci, id intelligendū est de traditionibus in specie, de hac videlicet aut illa; in genere enim inde deduci posse, nimirum, exstare aliquas diui-

diuinas traditiones extra scriptum Dei verbum, nemo Catholicus vnquam negauit. Quare in fumum abit fictitia contradictio, quàm Varna orthodoxis collocutoribus affingit. Sed vt fæcunditatem ingenii Alchymistici cognoscamus, varia nobis argumenta ex celebrato illo S. Hieronymi dicto procudit:

Papisticæ traditiones, &c. non habent auctoritatem de sacris scripturis:

Ergo eadem facilitate contemnuntur, qua asseruntur.

In hac Minore Rhodos est, inquit Chymicus: *hic saltet Gretserus.* Atqui sine vlla *saltatione* promptissimum est negare Antecedens. Vbi remanebit consequentia, quam iste insipienter *Minorem* vocat. Mox syllogismum profert:

Omne non contemnendum ea facilitate, qua asseritur, auctoritatem habere debet ex sacra scriptura:

Papa Romanus cum toto suo regno nullam habet auctoritatem ex sacra scriptura:

Non ergo est non contemnendus Papa cum vniuerso suo regno, ea facilitate, qua asseritur.

Huius syllogismi, qualiscunq; sit, Minorem nego. Quam Alchymista ne probare quidem tentat; sed probationis loco diuersum syllogismum profert;

Qui non habēt auctoritatem, nisi ex sacra scriptura, ii non sunt authentici, nec Catholicam & authenticam normam facere possunt, iidem etiam necessariò sunt sub scriptura, & debent pati, vt de sua auctoritate ex scriptura judicetur:

Traditiones, Doctores & Concilia non habent auctoritatem nisi ex scripturis:

Ergo traditiones, Doctores, Concilia non sunt authentica, nec authenticam & Catholicam normam facere possunt, sed sunt sub scriptura, & debent pati, vt de sua auctoritate ex scriptura judicetur.

Respondeo I. Maiorem esse falsam. Posito enim quod traditiones, Concilia, Doctores, nullam haberent auctoritatem, nisi ex scriptura, minimè tamen sequeretur, ea de caussa non posse esse normas *authenticas*; imò vel maximè ideo normæ esse possent, quod auctoritatem infallibilem à scriptura mutuarentur.

Deinde Respondeo, Minorem itidem esse falsam; illa enim omnia, quæ in Minore commemorantur, suam quoq; propriam, & quidem infallibilem auctoritatem sortiuntur; nam verbum Dei non scriptum per se, & ex natura sua infallibili auctoritate constat, hoc ipso præcisè, quod verbum Dei est. Quando verò dicimus; illa ex scriptura auctoritatem habere, nihil aliud volumus, quàm illa per scripturam nobis commendari, eorumq; auctoritatem scripturæ indicio & encomiis nobis innotescere; mentiturq; Alchymista, cum ait, me affirmare traditiones, Concilia, Doctores, nullam, nisi ex scripturis, auctoritatem habere. nunquam dixi hoc; quia traditionibus, Doctoribus, & Conciliis sua cuiq; auctoritas est; & auctoritas quidem verbi non scripti nec infra, nec supra scripturam est; sed par scripturæ. Quod si quis auctoritatem Ecclesiæ, & Doctorum simul & collectiuè sumptorum dicat esse infra scripturam, is nullo piaculo se obstringet; tametsi quod ad infallibilitatem attinet, par sit infallibilitati scripturæ; ab omnibus enim quàm longissimè abest falsitas. Nec negamus auctoritatem Ecclesiæ & Doctorum exigi posse ad scripturam, non quod sit fallibilis; sed vt eius infallibilitas certius exploretur & patefiat, si fortè in dubium reuocetur. Sed hinc non conficies hanc auctoritatē nō esse normā infallibilem; neq; enim regula ideo fit fallibilis, quod eius infallibilitas ad aliam normam examinari possit, (licet non à quouis ciniflone & cerdone) eaq; ratione alteri normæ

quodammodo subsit. Quare nil nisi Alchymistam, hoc est, impostorem, agit Varna, cum multis scripturæ locis adductis probat *neminem à verbo Dei immunem esse. omnes ei subiici. Nullum Christianum reperiri, qui non sit sub auctoritate sacræ scripturæ*, & plura talia, quę nil sunt, nisi meri & vani fumi; imperitorum oculis præstinguendis & perstringendis excitati, quos prætereo, quia fumorum nec finis est, nec modus in huius Alchymistæ officina.

Sufficientiam scripturæ ad salutem, quomodo S. Augustinus asseruerit, demonstraui in Responso, ad quę iste nihil præter maledicta & impudentiam: quam mox in ipsos Apostolos exerit, quando scribere non veretur, *Apostolos cum Iudæis celebrasse Pascha*, post ascensionem scilicet Domini in cœlum, de hoc enim tempore loquitur, & sic impudentissimè ex Apostolis Hæreticos *Quartadecimanos* facit: inq; testem huius suæ impudentiæ mendaciter aduocat historiam Ecclesiasticam. Quæ nam hæc historia? Forsitan illa, ex qua didicisti Canones, qui Apostolorum nomine feruntur, *post Concilium Ephesinum, & post tempora Valentiniani & Theodosii, qui legem tulerunt contra Quartadecimanos*, compositos esse. Item illa, quæ te docuit Canones istos non à Clemente I. sed à Clemēte sexto collectos; seu vt tu Alchymisticè loqueris, consutos esse, quo nihil imperitius dici poterat cum Clemēs VI. Año Domini M. C C C X L I I. Non. Maij Pontificatum inierit, Canones autem isti citentur ab illis, qui multis sæculis ante Clementem sextum vixerunt: vt ex Turriano aduersus Magdeburgenses liquet. Et quis stupor iste, dicere *post Victorem Pontificem, imò post Concilium Ephesinum & tempora Valentiniani & Theodosii Canones istos conscriptos fuisse*? Et tandem ætatem Clementis sexti nominare? Quo profecto modo affirmare posses

tuas quoq; Notas ad meum Responsum publicatas esse post Victorem Pontificem, imò post Concilium Ephesinum, & tempora Valentiniani & Theodosii.

Dosis XXV. De auctoritate Doctorum.

VNanimem sanctorum Patrum, Doctorumq; Ecclesiæ consensum infallibilem esse normam dirimendi controuersias, si quæ circa fidei quæstiones exsistunt, sæpius à Catholicis demonstratum est, & à nobis quoq; in Responso, satis multa pro instituta operis breuitate disputata sunt. Contra hanc præmittit initiò Alchymista non vnum, sed plures, eosq; sibi solennes, hoc est, verbosissimos & intricatissimos syllogismos, vt pugnam incœptent, Patrumq; auctoritatem expugnent. *Cap. 15.*

Primus syllogismus:

Qui non nouam doctrinam commendat auditoribus, sed in ea, quam ante didicerunt crescere & perseuerare jubet concorditer per informationem Doctorum & cæterorum Ecclesiæ antistitum, donec perfecti euadant, is nullo modo aliam normam proponit à Doctoribus cognoscendam, sed antiquam fidei vnitatem pro norma sanctitatis & justitiæ ad vitam cõseruari jubet vsq; ad perfectionem:

Apostolus Paulus multis locis hoc facit:

Ergo nullo modo illam normam proponit à Doctoribus cognoscendã, sed antiquam fidei vnitatem in Christo pro norma sanctitatis & justitiæ ad vitam conseruari jubet vsq; ad perfectionem:

Respondeo, Maiorem esse *Alchymisticam*, hoc est, futilem, vanam, veritatisq; expertem: licet enim Apostolus nusquam commendet auditoribus aliam doctrinam præter illam

illam, quam à Domino per Apostolos acceperunt, hoc ipso tamen, quod exorta controuersia jubet, vt Doctores consulantur; vtq; isti sint cœlestis & diuinæ doctrinæ interpretes; voluit, vt Doctores pro norma & regula agnoscerentur, in qua fideles constanter & immobiliter acquiescerent: neque enim ad nouam normam opus est noua doctrina; neque Doctores alterius doctrinæ, quàm Christi norma sunt, Christi inquam, non suæ. Quod vt clarius euadat, exemplum adfero.

Disceptatum est olim acriter; vtrum doctrina illa, quæ tradebat baptizatos ab Hæreticis, rebaptizandos esse à Catholicis, esset doctrina Christi. Norma & regula opus erat, ad quam exploraretur. Itum est cum ad auctoritatem Ecclesiæ; tum ad vnanimem consensum Doctorum Ecclesiæ. Hac norma ad doctrinam illam adhibita, statim apparuit, cuius notæ esset; quamque *imaginem* & *superscriptionem* præ se ferret: Et eam ob caussam mox etiam explosa, & ex fidelium cœtu expulsa fuit; quandoquidem cum neutra regula congruebat.

Sic etiam hoc tempore controuersia nobis est cum aduersariis, vtrum Pontifex Romanus sit Christi Vicarius, & vniuersalis Ecclesiæ pastor vniuersalis. Negant ipsi, nos affirmamus: quia cum hoc nostrum dogma ad sanctorum Patrum amussim expendimus, ad vnguem cum illa quadrare, atq; adeo dogma à Deo traditum esse euidenter cernimus, sicut vicissim illud alterum aduersariorum placitum ab eadem norma toto cœlo discrepare intelligimus; ac proinde non Dei, sed Diaboli dogma esse.

Pergit

Pergit Alchymista:

Qui excludit ventum doctrinæ varium; & commendat fidei vnitatem in Christo cognitam, is nullam aliam normam (præter scripturam) *vult exspectari, sed illam ipsam stabiliter manere:*

Sed id D. Paulus facit, &c.

Respondeo, Maiorem esse falsam, neq; aliter probatur ab Alchymista, quàm nuda & sola asseueratione, quæ tantum apud nos pondus habet, quntum ipsa Alchymia, & ars conficiendi aurum, cui iste apprimè deditus. Nam ad hoc vt stabiles in doctrina Christi perseueremus, neq; in horas decreta fidei permutemus, maximè conducit, vt præter scripturam sacram, sint aliæ normæ, quibus exortæ lites examinentur, & quam in partem dirimendæ & definiendæ sint, circumspiciatur. Vnde, oro, apud Hæreticos tanta in dogmatibus fidei inconstantia, nisi quia tres istas normas; *Verbum Dei non scriptum, auctoritatem Ecclesiæ, & vnanimem Doctorum consensionem* repudiant?

Tertius syllogismus Alchymistæ:

Si suffecit ad salutem Ephesiis doctrina Pauli, non opus fuit decretis Pontificiorum Doctorum præter scripturam:

Sed illud:

Hoc ergo.

Immiscet nugator *Doctores Pontificios*, vt suis fumum Chymicum vendat, quasi cum de auctoritate Doctorũ disputamus, de solis illis loquamur, quos Hæretici vsitato sibi more, *Pontificios* nominitant; cum tamen nobis vniuersim de omnibus Ecclesiæ Catholicæ Doctoribus sermo sit: quos si ideo *Pontificios* appellat, quod Romani Pontificis auctoritatem secuti & amplexi sunt, fateor, omnes Ecclesiæ Catholicæ Doctores fuisse *Pontificios*. Nunc ad argumentum, concessa Maiore, quæ hypothetica

tica eſt, negatur Minor. Epheſiis enim *ſcriptura ſola* ad ſalutem non ſuffecit, quod vel inde liquet, quia eo tempore, quo Apoſtolus Epiſtolam ad Epheſios miſit, doctrina Chriſti non tam habebatur ex ſcriptura, quam ex traditione, & viuæ vocis annunciatione, pleriſque libris Canonicis necdum conſcriptis. Deinde an non in illa ipſa ad Epheſios Epiſtola diſertè docet S. Paulus fidelibus ad ſalutem neceſſarios eſſe *Apoſtolos, Prophetas, Euangeliſtas, Paſtores, & Doctores.* An non ait hos omnes in Eccleſia collocatos eſſe *ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti.* Si fideles conſũmari nequeunt abſq; Paſtoribus & Doctoribus; ſi abſq; iiſdem corpus Chriſti non poteſt ædificari; neceſſariò ſequitur præter ſcripturam Paſtores & Doctores eſſe neceſſarios, non ideo tantum, quia docent; ſed & quia exemplar & norma ſunt fidelium in credendo: *donec,* inquit Apoſtolus, *occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filii Dei; vt jam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ* (quod contigit Hæreticis, hoſtibus Doctorum) *in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionem erroris.* Quis tam cœcus eſt, qui non videat, fidelibus, præter ſacram ſcripturam, neceſſarios eſſe Doctores velut regulam & anchoram in credendo, & hoc expreſsè ex ſententia S. Pauli, ex cuius doctrina ſyllogiſmum Alchymiſtico planè contrarium, & ea de cauſſa veriſſimum exſtruere poſſumus hac forma. Illud ſine quo fideles nequeunt eſſe ſtabiles & immobiles in fide; Fidelibus prorſus eſt neceſſarium ad ſalutem. Sed ſine Doctoribus & Paſtoribus nequeunt fideles eſſe ſtabiles & immobiles in fide; ergo Doctores & Paſtores prorſus ſunt neceſſarii fidelibus ad ſalutem. Item. Illud ſine quo errores & circumuentiones in nequitia hominum vitare non poſſumus,

mus, necessarium est ad salutem. Sine Doctoribus & pastoribus vitare nō possumus, ergo &c. Pręterea: Illud, quo posito, si solum sit, nihilominus circumferri possumus *omni vento doctrinæ in nequitia hominum*; non sufficit fidelibus ad salutem. Sed posita sola scriptura (absque pastoribus & Doctoribus) circumferri adhuc possumus *omni vento doctrinæ, &c.* Ergo sola scriptura non sufficit fidelibus ad salutem. Minor patet primò experientia quotidiana. Nam sectarii, qui sola scriptura, tanquam vnica norma gloriantur, mutabiliores sunt in fide quouis Chamæleonte aut Vertumno. Deinde clarè liquet Minor ex Apostolo. Si enim ideo Deus posuit Doctores & Pastores in Ecclesia, ne circumferamur *omni vento doctrinæ*, néue auii à fide in errores præcipitemur; Ergo si Doctores & pastores desint, circumferemur omni vēto doctrinæ, & in errores præcipitabimur, quia sublata caussa, necesse est sequi effectum, cuius impediendi & remouendi gratia, caussa fuerat posita. Ad hæc. Si auctoritas pastorum & Doctorum efficit, vt non circumferamur omni vento doctrinæ, neque in errores fidei contrarios incidamus, sequitur auctoritatem pastorum & Doctorum Ecclesiæ esse infallibilem, non quidem huius aut illius, sed omnium collectiuè sumptorum (neq; enim Apostolus de hoc vel illo Doctore aut pastore determinatè locutus est, sed de tota multitudine) sed verum est prius, Apostolo illud disertis verbis asserente; ergo & posterius verum est.

Sed rursus nouo argumento instructus aduolat Alchymista:

Si omnino tales sunt Doctores Pauli, vt possint normam nouam præter scripturam facere decretis suis, Papistica ea non potest esse.

nega-

Negatur. Probat, *quia Doctor scripturæ Paulinus non docet scripturæ Paulinæ repugnantia, sicut Doctor Papisticus.*

Respondeo Doctorem Paulinum, siue à Paulo commẽdatum,& Doctorem *Papisticum*, vt Hæretici loquuntur, esse vnum & eundem, in eademq; schola educatum & institutũ, eiusdem doctrinæ & disciplinæ alumnum; ac proinde id, quod Doctor Paulinus docet, docere itidem *Papisticum*, hoc est, orthodoxum & Catholicum. Nænias de cœlibatu, deq; Episcopo *vnius vxoris*, quas adfert, refutet ille, qui operam & chartam perdere cogitat. Mihi nec tãtum otii, nec tantum animi est, vt in jam toties profligatis immorer. Satius duco, vt hunc Alchymistæ syllogismum consideremus.

Secundum quem librum cæteri tam fidelium, quàm infidelium, id est, omnium omninò hominum debent judicari, is est judex & regula cæterorum:

Secundum libros Canonicos sacræ scripturæ cæteri tam fidelium quàm infidelium debent judicari:

Libri ergo Canonici sacræ scripturæ sunt judex & regula omnium cæterorum.

Supposito Iudicis vocabulum hic impropriè accipi,

Respondeo Maiorem esse verã; si sensus sit; secundum quem librum *solum* tanquam *caussam totalem* cæteri omnes judicandi sunt, eum esse judicem (sumendo judicem impropriè pro lege) & regulam cæterorum omnium; at hoc sensu minor erit falsa; falsum enim est secundum *solos libros canonicos* sacræ scripturæ cæteros tam fidelium, quàm infidelium judicari debere: menciturque more suo Alchymista, cum ait: Minorem, hoc sensu, esse sancti Augustini. Nihil minus: Nusquam dixit sanctus Augustinus, cæterorum scriptiones vel controuersias ad solam & vnicam scripturã posse

aut debere exigi, tanquam ad vnicam omnium discep-tationum & controuersiarum regulam.

Dixeram Conciliorum & Doctorum auctoritatem per se & inseparabiliter annexam habere infallibilem Spiritus sancti assistentiam. Ad quod Chymicus. *Nota per se implicat contradictionem. Si enim annexa est adsistentia Spiritus sancti, quomodo eam per se habent?* Perinde ac si diceret: Si *risibile* inseparabiliter annexum est essentiæ hominis, quomodo id per se habet? si lux inseparabiliter annexa est soli, quomodo eam per se habet? Addit. *In Ecclesia nulla est alia adsistentia Spiritus sancti ordinaria, nulla alia cohabitatio nisi per verbum*, hoc est, per scripturam. Falsum est ergo illud Domini: *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem sæculi*; nisi quis addat glossam Chymicam. Ecce ego vobiscum sum per scripturam omnibus diebus, &c. Ex quo sequitur, Christum aliquot annis non fuisse cum discipulis & Ecclesia, contra suum promissum; quia aliquot demum annis post hanc promissionem scriptura à scriptoribus Canonicis confecta est. Alchymisticè itidem glossandus erit ille Euangelii textus: *Et ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, &c.* (Ioan. 14.) sensus enim erit, si non mentitur Arsenicarius, vt maneat vobiscum *in solo scripto verbo*, nullo modo extra; quidquid alibi ipse Spiritus S. de auctoritate Ecclesiæ, Pastorum & Doctorum nobis diuinitus reuelârit.

Dosis

Dosis XXVI. An verum sit, si hic vel ille Doctor errare possit; omnes collectiuè sumptos errare posse.

NOs cum orthodoxis negamus. Affirmat cum suis Alchymista. Et ne sine caussa id affirmare videatur, en probationes: I. *Spiritus sanctus testatus est omnes errasse.* Vbi verò testatus est Spiritus Sanctus omnes Ecclesiæ Doctores simul & collectiuè acceptos errasse? Monstretur locus. Monstratur 3. Reg. 19. Vbi Helias. *Derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam, vt auferant eam*; Et quamuis dixerit illi diuinum Responsum: *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curuauerunt genua sua ante Baal*: Omnes tamen ad vnum errauerunt, si vera canit noster Lullus. Et licet eo loco non agatur de Doctoribus, sed de tota promiscua multitudine; tamen omnes Doctores, ne vno quidem excepto, errauerunt, ex sententia Alchymistæ. Quod rursus validè demonstrat ex cap. 65. Isaiæ, & cap. 10. Epist. ad Roman. vbi totus populus dicitur non credens. Et quamuis in Isaia & Apostolo non dicatur: *Totus populus*, aut, *ad totum populum*: *sed tota die expandi manus meas ad populum non credentem*; Alchymista tamen pro sua facultate, quam habet ex cupro faciendi aurum, facit itidem ex *tota die*, totum populum. Et quamuis huiusmodi vniuersales locutiones, etiamsi vniuersales forent, non nisi cum restrictione accipi debeant, Alchymista tamen potestatem habet illas vniuersaliter absq; vlla limitatione vsurpandi, dummodo inde extundat, quod optat; sicut & in hoc pleno jure gaudet, quod quę loca de moribus populi aut pastorum duntaxat

Rom. 11.

agunt, ea liberè transfert ad vitia doctrinæ, quasi fieri nequeat, vt qui malè viuunt, benè doceãt. At nimis diu moramur Alchymistam, ne sententiæ suę robora producere queat. Progrediatur igitur.

II. *Potentia erroris in singulis præsupponitur in vniuersis similiter se habentibus, hoc est, errori obnoxiis, & nullo modo* ἀναμαρτήτοις. Clarius proponamus fumosam Chymici rationem, vt vel cœcis patescat. Hic particularis Doctor potest errare, & ille, & ille similiter, & sic quiuis sigillatim spectatus: Ergo omnes simul & *collectiuè* sumpti: Quodlibet enim prædicatum conueniens singulis sigillatim spectatis, conuenit etiam vniuersis vniuersim acceptis. Non pudet te Alchymista tantæ vanitatis? Non vides fatuam tuam ratiocinationem esse similem huic? Hic homo potest hoc tempore portare ex maxima congerie & hunc lapidem, & hunc, & hunc, &c. ergo omnes simul & *collectiuè* acceptos. Hic panis hoc tempore sufficit & huic homini, & huic, & huic; ergo omnibus simul & collectiuè sumptis. Certè si hæc tua ratiocinatio valeat, vel ipsum Saluatorem patrandis miraculis superabis. Non enim tantum aliquot panibus aliquot millia; sed vno pane totum mundum pasces, imò & vna veste homines vniuersos vesties.

III. *Producantur scripta omnium Patrum, Singuli comperientur errasse: Ergo omnes.*

Respondeo, etiamsi verum esset, quod iste ponit, singulis scilicet patribus esse suos næuos; id tamen nostræ sententiæ nihil officeret. Dicimus enim fieri non posse, vt omnes simul & collectiuè spectati errent circa aliquod dogma fidei: Exẽpli gratia, impossibile erat suppositis Christi promissionibus, vt omnes Doctores Ecclesiæ à vero abirent in quæstione de baptismo Hæreticorum, licet S.

Cypri-

Cyprianus in hac quæstione errârit: Sed vt iste erret circa hanc vel illam quæstionem, alius circa aliam, hoc accidere posse non imus inficias; hoc tantum abnuimus, in quæstione fidei, omnes à vero excidere posse. Addo etiam plerosq; Patrũ sigillatim consideratorum lapsus eiusmodi esse, qui ad capita fidei nõ ptineãt, sed in eiusmodi rebus versantur, de quibus hoc vel illo modo sentias, ad salutem nihil interest.

IV. *Ipsi Patres subiiciunt sua scripta primum sacræ scripturæ, postea Ecclesiæ.* Singuli hoc faciũt; quia singuli errare possũt. Nam omnium simul & collectiuè sumptorum sententiã circa fidei dogmata subiicere, nihil opus: Quia nec à scriptura, nec ab Ecclesia deflectere potest. Deinde esto, subiiciatur scripturæ & Ecclesiæ. Quid inde concludis? Fallibilem esse omnium Doctorum vnanimem consensum? Nihil minus. Non enim ea tantum subiiciuntur regulæ, quæ fallacia & falsa esse possunt, sed & illa, quæ solida & imota veritate subsistunt; vt eorũ sinceritas & ꝓbitas omnibus palam fiat. Hoc ipso enim, ꝙ regulæ cõtrouersiarũ sibi mutuo concinũt & consonãt, alias per aliam aut alias probare licet.

V. *Non sunt vlli judices, qui scripta Patrum æstiment, præter scripturam; ex hac ergo de Patrum scriptis judicium erit ferendum.* Respondeo, iudices eorum dogmatum, quæ Patres tradunt, esse eosdem, qui sunt judices dogmatum, quæ tradit scriptura; Pastores nimirum Ecclesiæ, Pastoremq; pastorum summum Pontificem. Nec negamus dogmata Patrũ etiã vniuersorũ expẽdi posse ad scripturã, nõ tamẽ vt fallacia & fallibilia, nec à quouis triuiali litteratore, & semidocto pędagogo, aut sesq doctoChymico; sed ab illis q se norũt patrũ discipulos, nõ Magistros esse, ratũ, fixumq; habẽtes illud, Patres vniuersim spectatos circa dogmata fidei ab omni errore immunes esse. VI. *Non*

VI. *Non plus credendum est omnibus; quàm vni, vel paucis:*
Ergo,&c.

Respondeo negando antecedens. Probat illud ex Tertulliano, dicente, non habendam esse rationem vnius, quamuis Sancti, quamuis docti, quamuis Episcopi, quamuis Confessoris, aut Martyris, si quid præter omnes, aut contra omnes senserit. At hoc non est Tertulliani monitum, sed Vincentii Lirinensis, citatum à me in Responso. Sed quia Tertulliani sententiam quandam interiecetam, lippiens vel cœcutiens, vel fortè mero grauatus Chymicus credebat, sequentia quoq; Tertulliani esse. Deinde quid dictum illud ad rem, de qua agitur? Dicimus omnibus Doctoribus credendum esse. Idem dicit Vincentius. Dicimus vnius aut paucorum nullam ducendam rationem, si à pluribus discrepent. Idem dicit Vincentius. Quorsum ergò inconsideratus & præceps Alchymista hoc dictum Vincentii profert? Audiamus. *Ille ipse Tertulliani locus* (imò Vincentii) *contra vnius Papæ auctoritatem præclarè facit.* Quid ita verò? *Quia negat vniuersalis dogmatis dimissa veritate nouitium sectandum esse errorem.* Idem & nos affirmamus; sed negamus euenire posse, vt Papa, veritate vniuersalis dogmatis dimissa, nouitium Ecclesiæ in definiendo obtrudat errorem præter vel contra omnes Ecclesiæ Doctores præsentes & præteritos.

Obiicit Alchymista:

Non sumus baptizati in fidem Doctorum, nec in eam jurauimus;
Ergo licitè doctrinam Doctorum ad scripturam examinamus.
Et consequenter doctrina Doctorum non est norma fidei.

At si huic argumento quidquam ponderis ineſt, erit & huic. Non sumus baptizati in nomine Matthæi, Marci,

Lucæ, Ioannis *E*uangeliſtarum; aut *P*auli, Iacobi, *P*etri, Iudæ Apoſtolorum: licitè ergò à quouis examinantur illorum ſcripta, & ad aliquam normam, num omnis falſitatis expertia ſint, explorantur: Et quod hinc eſt conſequens, ſcripta Apoſtolorum & Euangeliſtarum non ſunt norma fidei. Si prior illa tua argumentatio valet; valebit & iſta, quam, vt tuam agnoſcas, formaui.

Inſtat Alchymiſta:

Si non ſunt examinanda Doctorum decreta & doctrinæ, errarunt Berrhœenſes, qui D. Pauli doctrinam contulerunt cũ ſcriptura, & temerè Saluator juſſit ſuam doctrinam de Moſe, Pſalmis & Prophetis agnoſcere. Fruſtra item D. Ioannes ſcribit, ne cuiuis Spiritui credatis, ſed probate ſpiritus, num ex Deo ſint:

Sed hoc dicere eſt abſurdum & impium:

Ergo & illud:

Reſpondeo huius vel illius Doctoris ſcripta examinari poſſe ad ſacram ſcripturam, at non ſuperciliosè, non elatè, non arroganter, more modoq; Hæreticis ſolenni & vſitatiſſimo, ſed humiliter, verecundè, ſinceroq; veritatis diſcendæ deſiderio. Vnanimem Doctorum conſenſum circa aliquod fidei caput; nihil opus ad ſcripturam examinare, cum ſit infallibilis: & perperam agit, quiſquis tanquam fallibilem ad ſcripturæ trutinam expendit. Quod ſi quis animo recto & candido infallibilitatem vnanimis Doctorum conſenſionis cum ſcriptura, tanquã cum norma quadam, comparare velit, faciat id licet, dummodo ſciat ex natura rei hoc examen non eſſe neceſſarium, quaſi Doctorum conſenſui falſum ſubeſſe queat. Iam ergo vt ad Alchymiſticum argumentum accedamus, nego Maiorem. Nam quod ad Berrhœenſes attinet, vel jam crediderant, vel non crediderant *E*uan-

gelio. Si non crediderant, non poterat eis vitio verti quod doctrinam sibi à Paulo propositam ancipites animi examinarent, & ad sacrarum litterarum stateram appenderent, vt inuestigarent, num infallibilis esset. At si iam crediderant, tum non vt de infallibilitate doctrinæ cœlestis dubii eam comparationem atque inquisitionem instituerunt; sed vt inspecta dilucidius doctrinæ à Paulo propositæ harmonia & conuenientia cum antiqui testamenti oraculis, magis in Christiana religione firmarentur.

Neque etiam Christus jussit, vt sua doctrina tanquam fallibilis examinaretur ad Moysen, Psalmos, & Prophetas; sed certus de infallibilitate voluit, vt quod Iudæi negabant, experimento justi examinis intelligerent. Quopacto non abnuimus, vt ipse etiam Doctorum consensus, ad scripturam exploretur; non quidem vt fallibilis; quia hoc defectu caret, sed vt infallibilis, quæ eius genuina est nota.

Faciant hoc Hæretici rectè & decenter; non impediemus. Multò minus vituperabimus. Sed qua lance Iudæi expendebant doctrinam CHRISTI ad legem & Prophetas, eadem expendunt isti Doctorum auctoritatem ad sacras litteras; iniqua nimirum, curua, & ex proprii cerebri vertiginosis imaginationibus fabricata.

Illud diui Ioannis: *Probate Spiritus, si ex Deo sunt*; varios habet sensus; de quibus alibi. Hic breuiter hoc. Probari posse quosuis spiritus; at non omnes, vt fallibiles. Nam si quis Spiritum Dei probet, vt fallibilem, seu tanquam eius conditionis, cui fallum subesse queat, is Spiritui Dei iniuriam facit, nisi ignorantiâ excusetur, totumq; quod facit, animo veritatis inueniendæ sinceriter

ceriter cupido faciat. Quo fit, vt qua ratione probare licet ipsam doctrinam Christi; eadem etiam probare liceat concordem Doctorum consensum circa aliquod fidei dogma; nimirum, non quod ex natura sua tali examine opus habeat, cum sit infallibilis; sed vt eius infallibilitas clarius emineat, deq; ea hæsitantibus, manifestius patefiat: Sicuti aurum, v. g. purum & obryzum probatione non indiget, quia verissimum aurum est: probari tamen potest, vt bonitas eius magis conspicua fiat.

Nunc ad syllogismos alios, quos Alchymista ex fornaculis suis aduersus Doctorum auctoritatem educit.

I. *Si vnanimis consensus sanctorum Patrum à scriptura nec discrepat, nec discrepare potest, non est alia norma à sacra scriptura; sed eadem:*

Hoc asserit Iesuita:

Ergo & illud.

Respondeo, sequelam Maioris esse Libauianam, falsam, & inanem, quam ne probare quidem tentat. Et rectè; quia non potest. Etsi vbiq; longè plura soleat tētare, quā possit.

II. *Si Patrum consensus nec discrepat, nec discrepare potest à sacra scriptura, quæ est norma infallibilis per se, satiusque est indubium, quàm dubium, & primum quam secundum amplecti, nihil interest, vtrum consulamus Patres in controuersiis, an non. Nihil enim noui aut discrepantiæ in illis inuenimus, aut saltem inuenire debebamus, si credimus Iesuitæ:*

Sed illud Iesuita Gretserus pronunciat:

Hæc ergo simul pronunciasse creditur.

Respondeo, negando sequelam Maioris, mentiturque Chymicus, cum in Minore dicit, me priorem Maioris

parte ni a firmate, licet enim disputans de auctoritate Doctorum, assuerem, eam nec discrepare, nec discrepare posse à sacris litteris, nunquam tamen dixi, in hoc quidem argumento, *indubium potius esse sequendum, quàm dubium* (quo significat me de Doctorum auctoritate quasi de dubia loqui) *& primum potius, quàm secundum*: nunquam vsus sum hoc loquendi genere; licet enim quodam respectu scriptura, vt est norma, dignior sit & præstantior, quàm Doctorum auctoritas; par tamen est, quod ad infallibilitatem attinet: quæ paritas facit, vt *primo* & *secundo* nihil loci sit reliquum.

Alia item fraus, quod ait, me teste, *nihil noui aut discrepantiæ in patribus inueniri*. De *discrepantia* facilè annuo. Sub vocabulo *noui* fraudem noto: eo enim significat, per Doctorum consensum nihil de doctrina Christi nobis patefieri, nisi quod in scripto Dei verbo expresè comprehenditur. Quo nihil falsius, & à mente mea alienius. At

Doctores tantum tradunt doctrinam Christi;

Ergo illam duntaxat, quæ scripto Dei verbo expreßè continetur.

Quoties jam negata est consequentia? Quoties occines nobis absq; vlla probatione, totam doctrinam Christi scripto comprehensam esse? Neq; testimonium infallibile tantummodo de doctrina Christi, tam scripta, quàm non scripta Doctores dicunt; sed & ipsam doctrinam explicant; vt si controuersia exsistat, quis nam sit doctrinæ scriptæ, aut non scriptæ sensus, ille certus sit & infallibilis, quem vnanimis Doctorum consensio nobis tradit. Quare Alchymista in Maiore sua solenne suum tenet, miscens mendacia veris, ac proinde efficiens, vt quid-

quidquid in maiore, ritu suo verbosè deblaterat, id vno negationis spiritu diffletur. Pergit Alchymista.

III. *Si patrum consensus vnanimis nec discrepat, nec discrepare potest à sacris litteris, stultè dicunt Papistæ, præter sacram scripturam esse normam, quæ nec apertè in scriptura inuenitur, nec euidenter inde deducitur:*

Illud ait Gretserus:

Hoc ergo.

Syllogismus iste similis est priori. Maior enim falsa est, licet orthodoxi dicerent, consensum Doctorum esse eiusmodi normam, quæ nec apertè in scriptura contineatur, nec euidenter inde deducatur. Quod tamen Catholicis falsò affingit Alchymista. Nam Doctorum auctoritas expressè continetur in scriptura cum alibi, tum in Epistola ad Ephesios; & quæcunq; à nobis de auctoritate Doctorum disserũtur, ea ex scripturæ fundamentis perspicuè deducuntur. Et Alchymista in Maiore sua prsus disparata, hoc est, tigres & agnos jungit; & similiter facit, ac si in hunc modum argumentaretur:

Si Patrum vnanimis consensus nec discrepat, nec discrepare potest à sacris litteris, stultè dicunt Papistæ septem esse sacramenta:

Illud ait Gretserus:

Hoc ergo.

Huic planè gemellum est prius illud Arsenicarii argumentum.

IV. *Qui stultè vtitur argumento, is nihil concludit sapienter.*
Gretserus stultè vtitur argumento:
Nil ergo concludit sapienter.

Videbat negatum iri Minorem: quam probat. *Quia quod vnanimis Doctorum consensus nihil discrepet, nec discrepare possit à sacris litteris, putat probari posse argumento hoc, quia infallibi-*

lis. An non bona hæc consequentia? Doctorum consensus circa doctrinam fidei est infallibilis: ergo nec discrepat, nec discrepare potest à sacris litteris. Quanto rectius, ô Alchymisticum caput, ego tibi illud tuum accinorem: *Ad ferulam scholasticam cum hoc beano*, vbi discat, quæ nec intelligit, nec nisi præconis ad fastidium scutica laceratus præ Alchymistico stupore intelligere poterit.

Verba Alchymistæ.

De Eucharistia infantum delirum & meracissimo *Antimonio* expurgandum calumniatorem agit. Nusquam enim dixi, morem illum aliquarum Ecclesiarum dandi infantibus Eucharistiam fuisse traditionem Apostolicã. Non enim omnis consuetudo huius vel illius Ecclesiæ, etiam proba & laudabilis, ab Apostolis manat: Sunt enim nonnullæ consuetudines, *quæ per loca regionesq; variantur*, vt præclarè docet S. Augustinus, de quibus hoc dat documentum: *Faciat quisq; quod in ea Ecclesia, in quam venit, inuenerit. Non enim quidquam eorum contra fidem, aut contra mores, hinc vel inde meliores. Nec disciplina vlla in his melior, graui prudentique Christiano, quam vt eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam ad quamcunque fortè deuenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores iniungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos viuitur, societate seruandum est.*

S. Aug. epist. 118.

Huius generis consuetudo est etiam ista de Eucharistia paruulis porrigenda; quæ nonnullis olim Ecclesiis placuit; & etiamnum Græcis placet: Aliis tamen non immeritò aliter faciendum visum; quia *totum hoc genus rerum liberas habet obseruationes*, vt loquitur sanctus Augustinus; pro varietate nationum & Ecclesiarum. Qui etiam pro nota & indicio Apostolicæ traditionis ponit non id, quod ab hac vel illa particulari Ecclesia, sed *quod toto terrarum orbe obseruatur; vt quod Domini passio,*

& re-

& resurrectio, & ascensio in cœlum, & aduentus de cœlo Spiritus sancti anniuersaria solennitate celebrantur, & si quid aliud tale occurrerit, quod seruatur ab vniuersa, quacunq; se diffundit, Ecclesia.

Heliam sub finem mundi reuenturum esse fatetur Alchymista doceri à Patribus. Sed obiicit. *Quæritur, Saluatori ne plenior fides, an patribus Papistarum habenda, qui vt de Antichristo errant, ita & de Helia non possunt benè sentire.* Saluatori vtiq;, mi Alchymista, potius fides habenda est, quàm cuiquam alteri, si Saluator hoc affirmet, & ille alter, quisquis est, aliud. At si vtriq; idem asserant, vtrisq; sine scelere habetur fides, vt fit in hac, de qua agimus, quęstione. Vbi enim affirmauit Christus Heliam Thesbiten jam venisse? Certè si vsquam id affirmasset, id sanctorum Patrum diligentiam minimè latuisset: quos, si non magis sedulo, quàm Chymicum in lectione Euangeliorum versatos crederem, grandi profectò iniuria afficerem. Nam quod tu nobis oggeris illud Domini Math. 17. *Helias jam venit, & non cognouerunt eum, sed fecerunt in eo, quæcunq; voluerunt:* facis quod edoctus es à Magistro tuo Diabolo. Dissimulas enim, quo sensu id à Christo pronũciatum sit. Subiungit enim Euangelista: *Tunc intellexerunt discipuli, quia de Ioanne Baptista dixisset eis.* Qua fronte ergo citat Alchymista hunc locum Euangelistæ de Helia Thesbite, quasi jam venerit, cum Euangelista palàm testetur, Dominum non de Helia Thesbite, sed de Ioanne Baptista locutum esse. At quod Patres erroris accusat, id in Alchymistico Chamo maiorum irrisore mirandum non est; conuenienter genio eorum agit, qui, vt ait sanctus Augustinus, *comparant sibi sua voluntate peruersa & præsentis meritum cæcitatis, & futuri æterni supplicii,* quia *per contumaciam indociles sunt, seq; cum in hac vita sunt, corrigere atq; emendare negligunt.* Qui

S. Aug. epist. 141.

Qui ſequitur ſyllogiſmus tantundem neruorum habet, quantum cæteri.

Per quos Spiritus ſanctus non loquitur authenticè, mouendo, impellendoq; eos vt Apoſtolos, (hoc eſt, vt non tã agant, quàm agantur, potiuſq;, vt dici ſolet, *paßiuè* ſe habeant, quàm *actiuè*) *ii non poſſunt authenticam normam omnium controuerſiarum fidei Chriſtianæ omnem auctoritatem à Chriſto & Spiritu ſancto habentis, nec vniuerſaliter, nec partialiter condere:*

Per Doctores etiam vniuerſim conſideratos, non ita loquitur Spiritus S. nec eos ſic mouet:

Ergo, &c.

Reſpõdeo Maiorem eſſe cæteris ſimilem, vanam, falſam, verbis tumidam, ventoſam, vno verbo, *Chymicam.* Quam more ſuo, nec probat, nec probare valet, vt nec iſtam, quam mox ſubiicit:

Si Auguſtinus, Chryſoſtomus, & ſimiles Patres normam, ad quam controuerſiæ in Eccleſia omnes judicandæ præter ſcripturam ſint, poſuerunt; conſequens eſt ante iſtos Eccleſiam caruiſſe norma perfecta, & ſic non potuiſſe aliquas controuerſias componere:

Sed hoc eſt abſurdum dictu:

Ergo & illud.

Reſpondeo, negando ſequelam Maioris, quia etiam ante ſanctum Auguſtinum & Chryſoſtomum habuit Eccleſia, quauis ætate, ſuos Doctores, ad quorum vnanimem conſenſum controuerſias exigere & componere poterat. Et hæc norma quaſi *intenſiuè* perfecta fuit antè Auguſtinum & Chryſoſtomum; licet tam illis, quàm aliis ſingularum ætatum Doctoribus accedentibus, perfectior quodammodo fiat *extenſiuè*, propter acceſſionem plurium Doctorum, qui quouis ſæculo clarent.

Obſer-

Obseruet autem Lector, Lullistam malitiosè rem proponere, vt incautos circumueniat; nō enim dicimus, Augustinum, aut Chrysostomum, aut hunc vel illū Doctorem constituere normam controuersiarum fidei; sed omnes simul & *collectiuè* sumptos; nec dicimus omnium controuersiarum normam esse debere; vt mentitur Chymicus; sed indefinitè controuersiarum. Nam vt aliquid norma sit controuersiarum, necesse non est, vt norma sit omnium controuersiarum; sufficit quod quarundam. Hinc plures statuuntur, vt si fortè vna in hac vel illa controuersia deficit, ad aliam recurratur. Deinde si Alchymistæ argumentum legitimum esset, esset & hoc legitimum: Si scriptura noui testamenti cōstituit normam, ad quam vnam omnes controuersiæ sunt judicandæ; sequitur Ecclesiam caruisse norma antequam scriptura à Canonicis scriptoribus cōscriberetur, & sic non potuisse aliquas controuersias componere. Item, si Epistolæ ad Timotheum, Titum, Philemonem, Hebræos, item Canonicæ & Apocalypsis sunt pars eius normæ, ad quam ex Hæreticorum sententia, omnes controuersiæ diiudicandæ sunt, sequitur Ecclesiam ante prædictas Epistolas & librum Apocalypseos caruisse norma perfecta, & sic non potuisse aliquas controuersias componere. Vt placent tibi istæ ratiocinationes Alchymista?

Pergis delirare.

Qui regulam omnium controuersiarum Ecclesiæ ponere vult, eum oportet statim in principio Ecclesiæ esse. Non enim potest regula posterior esse regulato, principium posterius principiato:

At Augustinus & cæteri Patres non fuerunt in principio Ecclesiæ:

Ergo, &c.

Quanto rectius subsumam ego, Maiore tua posita; *Sed scriptura sacra non fuit in principio Ecclesiæ*; diu enim fuit Ecclesia tam veteris, quàm noui testamenti ante sacram scripturam, ergo scriptura sacra non est norma omnium controuersiarum. Quid, obsecro, hic negabis Lulle? Maioremné? At illa tua est. Minoremne? At illa est certissima. Quis enim tam hebes est & stolidus, cui compertum non sit, quot annis vetus Ecclesia & noua durarit, antequam Moyses, Prophetæ, Euangelistæ & Apostoli cœlestem doctrinam litteris cõsignarent? Quàm cœca est perfidia, quàm præceps & incõsiderata! Ex illa ipsa Maiore sua euidenter intelligere poterat, falsum esse illud Lutheranæ Atheologiæ fundamentum & principium, videlicet, scripturam esse vnicam normam & judicem omnium controuersiarum; *quia non fuit in principio Ecclesiæ, & regula non potest esse posterior regulato*, vt ait Alchymista; tantum ergo abest, vt sit vnica omnium controuersiarum norma, vt ne norma quidem sit secundum huius Arnoldistæ principia; quia quocunque se vertat, inficiari nequit, scripturam esse posteriorem, quam sit Ecclesia; & *sic regulam posteriorem esse regulato*; & *principium principiato*, contra axioma Alchymistæ.

Ad argumentum in forma, respondeo Maiorem esse falsam, si intelligatur de omnibus normæ partibus adæquatè, prout jam norma controuersiarum constituta est, quasi norma controuersiarum exsistere debuerit secundum omnes suas partes in principio Ecclesiæ. Hoc enim manifestè falsum est, vt patet de scriptura, quæ est secundum nos norma *partialis* controuersiarum, secundum aduersarios autem norma *totalis*. Et tamen non exstitit in principio Ecclesiæ. Satis ergo est, quod nor-

norma exſtiterit tunc ſecundum aliquas partes; ſufficientes tamen ad omnes omninò controuerſias dirimendas: nempe ſecundum doctrinam non ſcriptam, ſed voce viua traditam: item ſecundum auctoritatem ipſius Eccleſiæ, Doctorumque eius; quæ norma ſecundum has partes, quas tunc, nimirum in principio Eccleſiæ, habebat; ſufficientiſſima erat ad omnes controuerſias dirimendas; & hodie quoque eſſet, licet ſcriptura non exſtaret: neque enim ſimpliciter neceſſarium erat, vt doctrina cœleſtis ſcripto comprehenderetur; & ſic etiam ſimpliciter neceſſarium non erat, vt ad normam illam, vel partes illius normæ, ex qua in principio Eccleſiæ, controuerſiæ diiudicabantur, accederet etiam ſcriptum Dei verbum, quia eſſentialiter idem Dei verbum eſt ſcriptum & non ſcriptum, & ſic quidquid diſcriminis in illis apparet, id totum eſt accidentarium. Quid, quod ne ſecundum quidem non ſcriptum Dei verbum oportebat regulam illam adæquatè in Eccleſia exſtare, quia multa ad cœleſtem doctrinam pertinentia poſtea temporis progreſſione reuelata ſunt, cum Eccleſia Chriſtiana (de hac enim claritatis cauſſa loquamur) multos jam annos exſtitiſſet, vt ſunt illa nominatim, quæ Apoſtolus Ioannes in Apocalypſi ſua ſcribit.

Porrò hæc omnia, quæ diſputauimus, confirmari poſſunt, teſtimonio ſancti Irenæi, hunc in modum ſcribentis. *Quid autem, ſi neque Apoſtoli quidem ſcripturas reliquiſſent nobis, nonne oportebat ordinem ſequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Eccleſias? Cui ordinationi aſſentiunt multæ gentes barbarorum eorum, qui in Chriſtum credunt, ſine charactere vel atramento ſcriptam habentes per Spiritum in cordibus ſuis ſalutem, & veterem traditionem diligenter cuſtodientes, in vnum DEVM cre-* *S.Iren.l.3 c.4.*

dentes fabricatorem cœli & terræ, & omnium, quæ in eis sunt, per Christum Iesum Dei filium, &c. Hanc fidem, qui sine literis crediderunt, quantum ad sermonem nostrum barbari sunt; quantum autem ad sententiam & consuetudinem, & conuersationem propter fidem, per quam sapientissimi sunt, & placent Deo, conuersantes in omni iustitia, & castitate, & sapientia. Quibus si aliquis annunciauerit ea, quæ ab Hæreticis adinuenta sunt, proprio sermone eorum colloquens, statim concludentes aures longo longius fugient, ne audire quidem sustinentes blasphemum colloquium. Sic per illam veterem Apostolorum traditionem, ne in conceptionem quidē mentis admittunt, quodcunq; eorum portentiloquium est. Hæc pulchrè & verè S. Irenæus: Ex quibus lucem accendere licet illis, quæ hîc à nobis disputata sunt.

Cæterum quod Alchymista in Minore sua assumit; *At Augustinus & alii Patres non fuerunt in principio Ecclesiæ;* antiquum obtinet, & impostoris personam egregiè sustinet. Quid enim refert, tametsi S. Augustinus initio Ecclesiæ non vixit? Quis dixit S. Augustinum, aut hunc, illumue Doctorem particularem, esse normam infallibilē controuersiarum? Patres initio Ecclesiæ non fuisse negamus; Nam Patres Ecclesiæ nulli sunt alii, quam pastores & Doctores; sine his nec fuit, neq; vnquam erit orthodoxa Ecclesia.

Superest vna adhuc aduersus Doctores machina, reliquis par robore:

Solus Christus, Prophetæ & Apostoli fundatores sunt Ecclesiæ & normæ positores:

Ergo Augustinus & alii non possunt facere normam in Ecclesia.

Respondeo, negando consequentiam; vt maximè verum esset antecedens de Prophetis & Apostolis: Nam Christus inter cæteras normas posuit quoq; auctoritatem & con-

consensionem vnanimem Doctorum. *Ipse enim quosdam quidem dedit Apostolos*, &c. *alios autem Pastores & Doctores.* Quo fit, vt Augustinus cum aliis Ecclesiæ Doctoribus normam fidei constituat; etsi hoc nō suo nutu, sed Christi Spiritum sanctum Doctoribus mittentis, vt illis simul & collectiuè sumptis infallibiliter adsistat, eosq; in omnem veritatem dirigat. Illæ consequentiæ, quas attexit Alchymista:

Christus est fundamentum Ecclesiæ; Aliud fundamentum ponere non licet, quàm quod est positum:
Doctores ædificati sunt supra Christum & Apostolos:
Ergo vnanimis Doctorum consensus non est controuersiarum norma.

Stipulæ sunt, & quauis pluma leuiores, sæpius jam discussæ, ac proinde non iterandæ, sed solo silentio & contemptu præteruolandæ.

Dosis XXVII. De Conciliis.

VT disceptatio hæc gratior sit Lutheranis calumniatoribus & sycophantis, admiscet Arsenicarius noster tertio quoq; verbo conuicia, (vt de crassissimis mendaciis nihil dicam) Hinc passim videas ista: *Iesuitæ Diaboli laruæ, ranæ, locustæq; Antichristicæ, pessimi sycophantæ, Beani, Diabolica secta Papistarum, pestes infernales, & viperea Iesuitæ,* & sexcenta talia, quorum Alchymista tam ferax est, vt suo in pectore plusquam *legionem* Diabolorum, hoc est, calumniatorum, continere videatur. Verum nos crassioribus istis *Diabolorum* ruditibus & rugitibus omissis, dispiciamus, quid paulò, si non veracius, certè in speciē subtilius contra Conciliorum auctoritatem grunniat,

Primum ergo Alchymistæ argumentum in compendium redactum est istud.

Concilia spectant sacram scripturam, vt infallibilem normam:

Ergo ipsa, seu ipsorum decreta, non sunt infallibilis norma.

Probatur consequentia:

Quia habẽt se vt mensuratum ad mensuram;

Sed mensuratum non est mensura seu norma:

Ergo, &c.

Respondeo, negando consequentiam. Ad probationem dico, mensuratum, quâ tale, sub hac videlicet formali ratione, non esse mensuram seu normam; esse tamen sub alia: quatenus scilicet ea præstantia pollet, vt & alia ad illius æquitatem & infallibilitatem expendi queant. An non in rebus item externis mensura potest mensurari, & norma ad aliã normam exigi? Certè mensura non est mensura, quatenus mensuratur, nec norma norma est, quatenus ad aliam, & per aliam normam exploratur; at vbi per omnia cum mensura aut norma conuenire deprehenditur, jam mensura seu norma ipsa itidem est, omni ex parte recta, omnisque fraudis & fallaciæ nescia. Idem de Cõciliorum decretis judicium.

Obiicit Alchymista. *Si ipsi*, hoc est, Patres Conciliorum, *haberent normæ fabricandæ potestatem, non spectarent aliam superiorem & immotam, nec ad eam se accommodarent, sed suam ponerent.* Perinde est, ac si diceret; si qui in Republica mensuris & ponderibus præsunt, haberent potestatem definiendi & determinandi per suam sententiam mensuras justas & æqua pondera, tum nõ esset necesse, vt aliquam superiorem, jamque receptam, & ab omnibus approbatam mensuram intuerentur.

tur, & ad eam se suumq; iudicium accommodarent. Quã parum momenti inest in hoc discursu, tam parum inest itidem in illo altero Lullistico. Quid enim regulæ obest, si ad rectitudinem alterius regulæ conformetur & exigatur? neque enim vllo modo rationi regulæ repugnat, vt secundum regulam instituatur & fiat. Licet ergo decreta Conciliorum comparentur & explorentur ad sacram scripturam, infallibilia tamen postea per se sunt, & certissima, ac proinde apta, ad quæ, tanquam ad libellam & perpẽdiculum, spirituale fidei Christianæ ædificium expendamus.

Sed ait Lullus. *Si Concilia exigunt & componunt sua decreta ad scripturæ normam, licebit ergo illa decreta ad scripturæ normam examinare, sicut & Christus non modò passus est doctrinam suam ad scripturæ normam examinari; sed & mandauit, vt hoc fieret.* Respondeo Christum hoc permisisse, imò & jussisse, non quod id necessarium foret (nemo enim certius & melius norat doctrinam Christi esse infallibilem, quàm ipse Christus) sed vt duræ Iudæorum ceruici sese accommodaret, accommodandoque omnes excusationis de incredulitate vias præcideret. Pari modo Concilia nõ vetant sua decreta ad normam sacræ scripturæ examinari, si quis examinare velit; si id fiat non more Kemnitiano, hoc est, Hæretico, qui nihil cum scriptura consentire credit, quàm quod ipse cerebro malè feriato præconcepit: sed spiritu humilitatis, veriq; inueniendi verè cupido. Quia verò sectarii nostri eo prorsus ritu Cõciliorum scita cum diuina scriptura comparant, quo olim cæci Pharisæi comparabant doctrinam Christi cum Moyse & Prophetis; ideo eundem, quem illi fructum ex hac sua collatione, & ex tam pulchrè instituto examine reportant.

At

At Concilia consulere debent sacram scripturam:

Ergo decreta illorum non constituunt normam infallibilem. Præclarè & acutè. Quasi dicas: Qui secundum normam mensuræ optimæ, æquissimæ, vndique sibi consentientis & fallere nesciæ mensuram conficit, is non conficit mẽsuram infallibilem, quia si infallibilem conficeret, necesse non esset, vt ad aliam infallibilem respiceret, suasq; actiones secundum illam conformaret. Quam subtiles ratiocinationes progignit fumus Alchymisticus.

Inter cætera, quæ Hæretici obiiciunt aduersus Oecumenicarum Synodorum auctoritatem, est etiam hoc: *quod Deus non sit alligatus ad multitudinem*: Respondi, alligatum esse non simpliciter, sed ex hypothesi, posito scilicet, quod promiserit se Concilio, hoc est, multitudini pastorum cum capite suo congregatæ, infallibiliter velle adsistere. Ad quæ Furippus, à Furiis instinctus. *Impudentiam Diabolicæ sectæ Papistarum videtis.* Videmus impudentiam *Alchymisticam* & *Lutheristicam*, & quidem euidẽter. Arguit me contradictionis, quod dixi, Deum magis alligatum esse (ex hypothesi nimirum promissionis) ad plures, quàm ad vnum, cum tamen dicam, Deum etiam alligatum esse (ex hypothesi scilicet promissionis) ad vnum pastorem summum, hoc est, ad Pontificem Romanum. Hæc sunt, quæ Chymicũ nostrum in rabiem vertunt. At si ex potestate mentis non exisset, facilè animaduertisset, me de vno priuato, paucisq; priuatis loqui, cum nego, Deum in definiendis fidei controuersiis ad vnum vel paucos alligatum esse: Et cum rursus aio, Deum in definiendis quæstionibus ad vnum summum pastorem (supposita promissione) alligatum, me non loqui de vno priuato, sed de vno publico omnium controuersiarum judice & definitore, qui est Dei in terris Vicarius,

catius, successorq; Petri; qui non vt vnus priuatus est, sed vt Ecclesiæ publicam personam sustinet, controuersias decidit ac dirimit. Quare in auras abeunt insani Alchymistę clamores, qui præ amentia quid scribat, aut garriat nesciens, vrget illud Domini Matth. 18. *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunq; petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis est:* quasi etiam quibusuis priuatis infallibilis adsistentia Spiritus sancti in decidendis fidei quęstionibus permissa sit, eò quod Dominus dicat: *De omni re*; nulla videlicet excepta: Et tamen paulò pòst ipsemet dicit: *Christum nunquam promisisse talem præsentiam, qua decreta priuatorum pro decretis Christi* (infallibilibus) *censeri debeant*: moxq;, quod rectè asseruerat, iterum euertit; cum subiungit: *duobus vel tribus testibus omne iudicium finiri*; ergo etiam iudicium de rebus fidei duorum vel trium testium, hominum priuatorum, iudicio & auctoritate finietur; at hoc paulò antè inficiabaris. Porro illud, *de omni re*, intelligitur de omni re ad propriam cuiusque salutem pertinente; non de omni re simpliciter.

Syllogismus, quem postea proponis, non est meus, sed tuus, ac proinde vanus: cuius siue Maiorem, siue Minorem, siue Conclusionem *blasphemam* voces, mea nihil interest. Cum laruis à te confictis bellum geris, non mecum. Dico, impossibile esse, vt priuatus nitatur melioribus, solidioribusq; rationib⁹ pro sua sententia, quàm Concilium aut Pontifex habeat pro ea, quam definiunt omnibusq; Christianis amplectendam proponunt: quia nulli priuato dictum est, *Portæ inferi non praualebunt aduersus te*, in definiendo scilicet, quod Petro & successoribus dictum est. Nullus item priuatus audiuit: *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua*; in definiendo scilicet: nam quod Chymicus in Maiore & Minore añectit hanc

propositionẽ: *Nulli item priuato Deus tam fidelis est, vt seipsũ non neget*; quasi à me assertã & positã, impudentissimè mẽtitur simul ac calumniatur: nunquã enim mihi in mentẽ venit, cum dirêctè sit contra sacras litteras, ipsamq; Dei maiestatẽ; cui⁹ fidelissimę naturæ ex diametro repugnat, vt contra suam obligationem se cuiquã, quantũuis priuato, neget. Inspiciat lector duntaxat locum Responsi mei, vanitatẽq; Alchymistæ non modò manibus tanget, sed & toto pectore execrabitur. Neq; enim dictum Apostoli 2. Tim. 3. *Fidelis De⁹ est, & seipsum negare non potest*: alio fine adduxi, quã vt ostẽderẽ, promissiones Petro ei⁹q; successorib⁹ à Christo factas, ab eodem reipsa exhiberi & impleri; quandoq; dem fidelis est, seq; ipsũ negare nequit, negaret autem seipsum, si ꝙ pollicitus est, opere ipso nõ impleret. cum autem nulli priuato infallibilem Spirit⁹ sancti in definiendo adsistentiam promiserit, sequitur ꝙ nulli quoq; priuato sese cõtra fidelitatem negare censeri debeat, non largiẽdo illi in decretis infallibilẽ Spirit⁹ sãcti adsistentiã, cũ talẽ ei nũquã ꝑmiserit. Hęc mea in Respõso doctrina est, planis & disertis verbis ꝓposita; quã iste sũma imꝓbitate inuertit & ꝑuertit; ratus, opinor, ea, q̃ scribebat, se nõ hominibus, sed stipitibus sudibusq; præustis scribere.

Cæterũ de quæstione *Iuris* & *facti* ita disputat, vt nõ iniuria quæstio excitari queat, num vel leuiter intelligat quid sit quæstio *Iuris*, & quid quæstio *facti*? Consideret, oro, lector eruditus, quam *disparata* planèq; aduersa, & non magis, quam funiculos ex arena, cohærentia, in hoc syllogismo Alchymista conglobet.

Qui de iure, quod sciunt sibi sequendum esse, non debebãt errare, errant autem de facto, quando contra ius pronunciant, & faciunt, magis sunt condemnandi, quàm qui ius ignorant, tantumq; de facto errant.

Con-

Concilia non debebant de iure errare, scientia, id ipsum sibi sequendum esse: errant autem de facto pronunciando & agendo contra ius:

Concilia ergo magis sunt condemnanda, quam qui ius ignorantes, tantum de facto errant.

Quis, obsecro, tam expeditus est, qui intricatissimi huius syllogismi tricas extricare norit? Quid enim illud est? *Errant de facto, quando contra ius pronunciant*: imò si Cõcilia contra ius diuinũ ꝓnunciarent, errorẽ iuris & fidei, non facti admitterent; nisi Alchymista turpi fallacia lectores ludificet, vocabulo illo *de facto*, nihil aliud intelligẽs, quã ꝙ vulgò dicimus *reipsa*. Quo pacto non inficiamur *reipsa* seu de *facto* errare, qui contra ius ꝓnunciant. Sed aliud est *reipsa* & *de facto* errare errore iuris, & fidei; aliud errore *facti*. error Iuris *de facto* seu *Reipsa* error est; sed non est error *facti*: sicut error *facti*, non est error *Iuris* Quis vel leuiter ratione, (non enim dicam Theologia & Iuris peritia) tinctus, ignorat, errorem facti diuersum esse ab errore Iuris?

Verum, vt ad syllogismum reuertamur; Maior videtur mihi simillima huic, conflata nimirum ex asystatis, & in vnum coalescere non consuetis.

Qui de iure quod sciunt sibi sequendum esse, non debebant errare, baculum autem in angulo reponunt, quando contra ius pronunciant, ac præterea leporem venantur quando contra ius faciunt, magis sunt condemnandi quam qui ius ignorant & baculum in angulo collocant, tantumq; de facto leporem capiendo errant:

Concilia non debebant de iure errare, & baculum in angulo collocare, scientia, id ipsum esse sibi sequendum, nullumq; leporem capiendum, errant autem de facto pronunciando, & agendo contra ius venandi:

Ergo Concilia magis sunt condemnanda, quam qui ius ignorantes tantum de facto leporem capiunt.

Hunc syllogismum aio Alchymistici illius esse fratrem; neq; potui melius deformitatem & absurditatem eius ob oculos ponere, quàm in exemplo. Sed quidquid sit de hoc informi monstro, Alchymistam informia mẽdacia fundere dico, cum ait, Maiorem suam planè ex repugnantibus consutam, ex oraculis filij Dei exstructam esse. Secundo cum ait, *Minorem* esse meam, vbi ego vnquam hoc enunciationis portentum posui? *Concilia non debebant de iure errare, scientia id ipsum sibi esse sequendum, errant autem de facto pronunciando & agendo contra ius.* Ne in somnio quidem vnquam talem propositionem formaui, in qua nec pes nec caput vni redditur formæ.

Alia quæ adiungit eiusdem sunt farinæ. Ne terminos quidem intelligit Brutus iste; quomodo rem terminis subiectam caperet? Verè Arrianus tradit, *principium* eruditionis esse intelligentiam *vocabulorum*; quorum intelligentia hunc adeo fugit, vt summa contentione non probet, (qui enim posset?) sed vociferetur, eum, qui errat errore facti, necessario etiam errare errore Iuris. Quæ tam spissa & Chymica fuligine vndequaq; obducta inscitiaà quouis vel de triuio arrepto litteratore castigari poterit. Nihilo meliora & saniora sunt, quæ de Caipha; eiusq; Pontificatu adfert. Paucis, nihil in hoc Alchymista sincerum, nihil candidum, nihil probum, nihil vel tenuiter doctum & ingenuum pectus olens. Totus calumniator & sycophanta est; totus impostor & plus quam Græcus ἐπιθέτης, odium Diabolicum in orthodoxos & inscitiam in rebus Theologicis plusquam asininã; & nihilominus audaciam maiorem quàm Thrasonicam vbiq; præ se ferens; & hoc ex ipsa professione Alchymistica;

ſtica; quia, vt quidam non inconcinnè cecinit. *Alchymia eſt ſcientia ſine arte: cuius ſcire eſt pars cum parte; Medium eſt ſtrenuè mentiri; Finis mendicatum ire.*

DOSIS XXVIII.

De Pontifice & Cathedra Petri.

PONtificem Romanum, *Petri*q; Cathedram ſolitis ſpiculis aggreditur Alchymiſta.

Ad illegitimum, inquit, *ſucceſſorem & hæredem nihil pertinet legitima ſedes & hæreditas:*

Papa Romanus eſt ſucceſſor & hæres Petri illegitimus:

Ergo, &c.

Negatur Minor. Quam quomodo aut quando probabis Alchymiſta? Loco probationis obtrudit nobis hunc ſyllogiſmum.

Qui nullam vnquam habuit ſedē aut hæreditatē Romæ, is nullum poteſt habere ſucceſſorem & hæredē in Sede & hæreditate Romana:

Petrus nullam vnquam habuit Sedem aut hæreditatem Romæ:

Ergo, &c.

Reſpondeo Minorem eſſe Chymicam & Lullicam, loquendo de Sede & hæreditate ſpirituali, de qua ſola quæſtio eſt. Nam quod Hæreticus de donationibus Conſtantini Magni, Pipini & aliorum hic occinit, id nihil ad rem: non enim diſputamus de Dominio Politico Pontificis; ſed de Iuriſdictione & *Poteſtate* ſpirituali. Hanc Petrus Romæ habuit; eamq; non adſtrictam Romanæ vrbis finibus; ſed quà patet orbis diffuſam; pariq; latitudine ad ſucceſſores ſuos transmiſit.

Definitionem Ecclesiæ à Wiclepho olim & Husso allatam, & in Concilio Constantiensi damnatam, nimirum *quod sit prædestinatorum cœtus*, acriter propugnat Alchymista, vt non modo Lutheristæ, sed & Wiclephistę & Hussitę nomen obtineat. Ne tamen id absq; argumētis facere videatur: en *Chymicas* consequentias.

Vide Bell. lib. 3. de Eccl. c. 2. & 7.

1. Petri 2. dicitur: Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta:

Ergo Ecclesia est tantum cœtus prædestinatorum.

Probatur consequentia. *Quia electio nulla est, nisi ad vitam æternam; electio autem ad vitam æternam quid aliud est, nisi prædestinatio.* Omnia acutè, more suo. Et est quod Iudas proditor Alchymistæ huic im̄ortales agat gratias, quia beneficio & ope eius in prædestinatorum numerum venit. Electus enim est à Dn̄o ad Apostolatum: juxta illud Christi: *Nōne ego vos duodecim elegi: & ex vobis vnus Diabolus est? Dicebat autē Iudā Simonis Iscariotem.* Si electio & prædestinatio in sacris litteris idem est, oportet ergo dicere, hūc, quem Dominus *Diabolum* appellat, fuisse *prædestinatum*; præclarè profectò meretur Alchymista de cōsanguineo suo Iuda.

Syllogismus, quem mox proponit, adeo æger est, vt nullis pharmacis, ne Alchymisticis quidem & Paracelsicis curari queat.

Si in Papatu hæ res sunt veritates & virtutes, quæ in sacra scriptura falsitates & vitia, necesse est, vt aut sacra scriptura sit fallax, &c. aut Papatus scripturæ ex diametro contrarius:

Sed impossibile est scripturam fallere:

Ergo Papatus est scripturæ ex diametro contrarius.

Respondeo, negando consequentiam; quia syllogismus æquè est informis, ac syllogismi parens Alchymista: Ex præscripto enim legum Dialecticarum sub Maiore sub-

sumẽdum erat. *Sed in Papatu hæ res sunt veritates & virtutes, quæ in sacra scriptura falsitates & vitia*: vel, vt Alchymista cũ suis Prædicãtibus crebri⁹ facit: *Sed verũ prius*. Quo pacto si subsumpsisset, è vestigio Minor negatione displosa fuisset.

De cathedra Petri, quæ garrit, adeò futilia & contrita sunt, vt tangere pigeat. Quid enim opus quisquilias illas identidem reponere?

Qui Petri doctrinam sonant, illi sedent super cathedram Petri:

Papa Romanus non sonat doctrinam Petri:

Ergo, &c. Si quis huiusmodi dapibus delectatur, is culinã Alchymistæ huius adeat. Ingentes subministrabit struices. Actũ jam de his in Respõso. Nec aliter iste refellit, quã his & similibus argumẽtis: *delirat Gretserus, Fatuus & mẽdax est, nil credendũ homini mẽdacissimo, qui Papatus caussa & sacra scripta & humana violat*, vt alias Quinti Euangelii phaleras silentio transiliam. At vide sis lector extremã vanitatem Alchymistæ, qui vt demonstret, Pontifices definiendo quæstiones fidei à vero abire posse, hunc in modum argumentationem instituere non veretur.

Qui cum Bulla & anathemate ex cathedra, officioq; Papali pronunciando errat, is non priuato, sed judiciali errore, qui commissus sit definiendo & statuendo, quod rectæ fidei repugnet, errat:

Multi Papæ cum Bulla & anathemate ex cathedra, officioque Papali pronunciando errarunt:

Multi ergo Papæ, non priuato, sed judiciali errore, qui commissus sit definiẽdo & statuẽdo, quod rectæ fidei repugnet, errarũt.

Respondeo Maiorem esse veram, si intelligatur vt debet, de quæstionibus fidei, vt sensus sit, qui in q̃stione seu materia fidei cũ *bulla* & *anathemate* officioq; *Papali* errat, &c. sed negatur minor, negatur inq̃, Multos Papas cũ bulla & anathe-

anathemate in quęstionibus fidei pronunciando errasse: imo ne vnus quidem hunc in modum errauit. Neque vel vnum monstrabunt vnquam sectarij, quantumuis ne ipsum quidē Acherontē hui⁹ rei ostēdendæ gratia sollicitare cessēt. Quod si Alchymistæ Maior accipiatᷣ nudè & p̄cisè, vt à fabro suo edolata est; negari debebit. Duplex est enim error iudicialis & public⁹. Alter in argumēto, & quęstione fidei: alter in argumēto & quęstione facti: vt si nō de fide, sed de facto quopiā quęstio sit; iudicetųrq; sec⁹, quàm facti species & veritas ferat. Si ergo Maior ita generatim accipiatur, neganda erit absq; vlla distinctione; quia manifestè falsū est *quod quicū bulla & anathemate ex Cathedra officioq; Papali pronūciando errat; is nō priuato, sed iudiciali errore erret, qui sit definiendo & statuendo quod rectæ fidei repugnet:* Falsum inquam hoc est; quia fieri potest, vt pronunciet Pontifex auctoritate Pontificia cum *bulla & anathemate*, non in materia fidei, sed *facti alicuius*: vbi si pronunciando erret, minimè errabit errore iudiciali contra fidem, sed contra veritatem facti: vt si Pontifex auctoritate Pontificia, & diplomate edito aliquem innocentem excommunicet, existimans eum huius vel illius criminis excommunicatione digni reum esse. Hoc casu errat pronunciando, at non errore judiciali contra fidem. Hinc cum dixi Pontificem errare non posse errore iudiciali, statim adieci: *errore, inquam, qui commissus sit definiendo & statuendo, quod rectæ fidei repugnet.* Non confundat ergo Alchymista vel ex imperitia, vel ex nequitia errorem iudicialem *circa factum* & errorem iudicialem *circa fidem.*

Rursus instat Chymicus.

Qui errat talibus factis, quæ fidem secum trahunt, & sine fidei læsione & scandalo committi non possunt, idq; facit publicè, etiam

etiam eius gratia synodo collecta, eum necesse est in fide simul errare.

Multi Papæ talib⁹ factis errarunt, quæ fidem secum traxerunt.

Multos ergo Papas Romanos necesse fuit in fide simul errare.

Respondeo, maiorem esse veram, si intelligatur de eiusmodi facti erroribus, qui simul etiam iudicialem errorē fidei connexum habuerint; sed hoc sensu, negatur Minor. Nullum enim vnquā Pontificem proferent sectarij, qui in definitione *facti* iudicialiter aberrans, simul etiam inciderit in iudicialem errorem circa fidem, definiens nimirū iudicialiter aliquid, ꝙ rectæ fidei aduersetur. Nā ꝙ nugatur Alchymista de Stephano VI. & Sergio ex vna parte; deq; Theodoro, Romano, & Ioanne IX. ex altera parte in caussa Formosi Pontificis, id extra caussæ nostræ statū est; nā vt Stephanus & Sergius maximè errarint, errarunt tamen nō in quęstione fidei definiendo aliquid, ꝙ fidei orthodoxæ repugnaret, sed in quæstione facti; vtrū scilicet Formosus fuerit legitimus Pontifex: vt iam dudū rectè Pontificū calumniatoribus explicauit Bellarminus.

Obiicit Alchymista: Error iudicialis Stephani & Sergij circa factū scādalū peperit, eratq; cōtra charitatē proximo debitā:

Erat igitur etiam error iudicialis contra fidem.

Egregiè, quasi necesse sit, vt qui agit contra charitatem proximi; hoc ipso etiā peccet contra fidem: nec quomodocunq; peccet, sed definiendo cōtra veritatē fidei falsitatē aliquā. Quæso, quam falsitatem aduersus fidē definiuit Stephanus, quādo Acta Formosi *iudicialiter* rescidit; & in hac ipsa rescissione circa facti materiam errauit? Nam ꝙ iusserūt ordinatos à Formoso iterum ordinari, id nō ex hęresi aut ignorantia accidit, quasi putarint ordinatos ab Episcopo *degradato* esse iterum ordinādos, sed ex odio in Formosum. Et vt maximè huius opinionis fuissent, nul-

lum tamen decretũ de ea ediderunt; consequenter neq; definiuisse censeri possent; sed quidquid hoc erroris circa quæstionem fidei fuisset, id priuatum, non publicum & iudiciale fuisset: aut ostendat nobis Alchymista decretum aliquod Stephani aut Sergij, quo ex Pontificia auctoritate definierint, & tanquã dogma fidei cunctis fidelibus amplectendum proposuerint; ordinatos ab Episcopo *degradato* denuo ordinandos esse.

Instat Alchymista; sed subtilissimè.

Damnare innocentẽ ex solo odio & liuore est contra ius diuinũ:

Ergo si quis Pontifex id fecit, eo ipso contra ius diuinum fecit.

Definiendo scilicet errorem aliquem contrarium fidei, totiq; Ecclesiæ amplectendum proponendo; sic enim vt ad rẽ faciat, intelligi debet. Sed perinde est, ac si diceret.

Omnis ille, qui peccat, facit contra ius diuinum:

Ergo omnis, qui peccat definit aliquem errorem orthodoxæ fidei contrariũ, eumq; vniuersæ Ecclesiæ sectandum proponit.

Suadeo Alchymistæ, vt quia hactenus aliquot libros *singularium* publicauit, tandem de libris *subtilitatum*, Cardani exemplo, euulgandis cogitationem suscipiat, *in vsum multiplicem noua* (commmenta) *audire desiderantium.*

De erroribus, quos Hęretici quibusdam Pontificibus adscribunt, nihil amplius addo; quia iste nihil contra adfert, quod vllũ responsum mereatur. Deme cõuicia & mendacia, & nihil remanebit. Mentitur, me cõcedere Liberiũ Arianæ hęresi subscripsisse. Nõ concessi simpliciter. Sed dixi, *demus subscripsisse, quãdo ita vis.* An qui ita loquitur, *Dem⁹* seu *faciam⁹* Alchymistã habere alas, absolutè concedit, Alchymistã alis esse præditũ? Dixi, neminẽ ꝑpriè esse hæreticũ, nisi qui mente & assensu hæresin apꝓbet, quidq d exteri⁹ agat. *At talis est hypocrita,* clamat Chymic⁹, *& præbet scandalũ Ecclesiæ,* Cæterũ nos de hæresi & hære-

hęretico loq̃mur, nõ de hypocrisi & hypocrita, Iterũ mẽtitur cũ ait, me teste, *errorẽ Liberij fuisse hæreticũ ex hypothesi.* Mendaciũ hoc redarguitur à meis verbis, q̃ sũt ista: Et vt verꝰ hęreticꝰ fuisset: hæresin tamẽ, vt Põtifex, nec docuit, nec definiuit. Quare totũ illud, quidq̃d erroris fuisset, nõ ad iudicialẽ, sed ad priuatũ errorẽ ptinuisset. Hęc ego. Dixerã, Liberiũ nõ subscripsisse formulæ Arianæ, sed alteri cuidã cõtra Photinũ. Occurrit Chymicꝰ. *Quomodo excusabis simulationis & hypocriseos crimẽ.* Nõ hoc agimus in p̃senti; sed hoc, vt à Liberio hæreseos crimẽ amoliamur, quod vos frustra tentatis impingere. Sed ecce syllogismum Alchymisticum.

Qui consensit in damnationem Athanasij, & cum Arianis communicauit, is iudicio Gretseri ex antiquitate pro hæretico sine dubio est habendus.

Liberius hoc fecit, ergo, &c.

Respondeo maiorem prętet falsitatem continere manifestum mendacium; nunquam enim asseruit Gretserus, quod ei Alchymista impudenter imponit.

Quod ad Leonem X. attinet, q̃ro ex te, aliisq́; Leonis criminatoribus, nũ verè locutꝰ, an mẽtitus fuerit Lutherus, cũ hęc ad Leonẽ X. scripsit. *Celebratior & augustior est in omni terrarũ orbe, tot tãtorũ virorũ litteris cãtata opinio, & vitæ tuæ inculpata fama, quam vt à quouis vel maximi nominis possit quauis arte impeti. Nõ sũ tã stultus, vt eũ incessã, quẽ nemo nõ laudat.* Aut hæc scribẽs Lutherꝰ vera scripsit, aut mẽtitꝰ est. Si vera scripsit, mẽtimini ergo tu tuiq́; fratres, cũ de Leone X. nescio quæ crimina spargitis. Si autẽ Lutherus mẽtitus est, mendacẽ ergo Magistrũ sequimini; cuius indolẽ si mentiendo referatis, nihil caussæ erit, cur vestrã mẽtiendi libidinẽ valdè admiremur. Quapropter nulla me subit admiratio, cum huius syllogismi: Luth. Tom. 2. Epist. 166.

Antichristi præcursor & Antichristus in fide errat:
Pontifices Romani sunt Antichristi:
Ergo, &c.

Maiorem me distinguere mentiris. Videatur Respõsum meum, tuũq; mendaciũ patescet: non enim huius Hunniani syllogismi maiorẽ distinxi; sed alteri⁹, quẽ ꝑ ista seu minore, seu maiore cõfirmãda adfert. Vbi frõs, vbi pudor Alchymista? vbi vel mica ingenui pectoris? Illud lepidũ, quod iste *asin⁹ cornut⁹* (agnoscis tua verba) putat ꝓpositionem, quæ distinctione eget, indistinctã haberi pro falsa; imo nec pro falsa, nec ꝓ vera habetur, si nõ distinguatur; hoc sensu vera censetur; alio, falsa. Rursus mẽtitur, cũ ait, concedere *me, Pontificẽ Romanũ esse Antichristũ, titulo vniuersalis Episcopi humiliter vtentem.* Mẽtiris, miser. Nihil huius dixi aut scripsi. Eandẽ mentiendi artẽ factitat, quando Alchymistica & attritissima fronte pronunciare non veretur, me concedere *Pontifices esse Antichristos si superbè vtantur titulo Episcopi vniuersalis*: Mentiris Chymice. Neq; dixi, neq; somniaui talia. Minor erat ista. *Hodierni Romani Pontifices eum sibi titulum vsurpant.* Respondi eum vsurpare titulũ vniuersalis Episcopi ex officio, cum debita humilitate & iure optimo. Nullum verbum in Minore de Antichristo factum est: Cuius rei testem laudo librum meum in medio positum. Et audet adhuc impudens istud & effræne os tã inuerecundè mentiri, quasi nulli mortaliũ vlli oculi supersint, quibus mendacia filo tam crasso cõtexta deprehendant. Nec silenda insignis illa fraus, quod *Antichristi* vocabulũ ita ꝓponit, quasi aut D. Gregorius, aut ego nomine hoc *Antichristum* propriè dictũ intellexerimus: cum disertè testatus sim nomen hoc impropriè & lata notione, pro quouis aduersario Christi, à S. Gregorio eo loco vsurpari.

Nec

Nec poſtremum Alchymiſtæ mendacium eſt, cũ ait, modò aſſeri à me *Aaronem fuiſſe ſacerdotem, modò non fuiſſe; Moyſen modò eſſe ſacerdotem, modo non eſſe.* Ad idem mendaciorum Prædicamentum ſpectat, quod fingit, me, *vt excuſem delicta ſacerdotum, dicere modò interius fuiſſe illorum peccatum, modò exterius.* Simile mendacium, vel potius diſſimile, quia multiplex, his verbis effutiit Alchymiſta. *Illud ſanum eſt, quod ſubiicit, ſi ſacerdos Chriſtianus talia fecerit, eum non poſſe amplius eſſe ſacerdotem, niſi nomine.* Mentiris Alchymiſta. Nunquam affirmaui hoc, quod comminiſceris; quia ſacerdos manet verus ſacerdos ſiue in hæreſin, ſiue in morum flagitia incurrat. De Pontifice Romano dicebam, nonnullorum ſententiam eſſe, eum hoc ipſo, quod in hæreſin incideret, excidere itidem à Pontificatu, & quod conſequens eſt, jam non amplius reipſa, ſed ſolo nomine Pontificem eſſe. Aliud eſt Alchymiſta, excidere à Pontificatu & Vicariatu Chriſti: aliud à ſacerdotio: Illud ex quorundam ſententia contingeret, ſi Pontifex non quocunq;, vt tu inſinuas; ſed hæreſeos ſcelere obſtringeretur. Quare enormius adhuc mendacium eſt hoc, quod oræ tui libri allinis. *Papa eſt æquiuocè ſacerdos, Iudice Ieſuita.* Iudice me arrogantiſſimus, prorſuſque effrons calumniator es, non *æquiuocè*, ſed *vniuocè*, & quidem *in ſupremo gradu.*

Malè habet Alchymiſtam, quod S. Auguſtinus ſcribit: Saul Regem, etſi ſceleratum, habuiſſe *ſanctitatem* nõ *innocentiæ*, ſed *ſacramenti & vnctionis*, ſeu officii. *Iam dicat Auguſtinus*, vociferatur Alchymiſta, *quam ſanctitatem poßit habere is, à quo Spiritus ſanctus receßit.* Iam explicauit ſanctus Auguſtinus, quam ſanctitatem habuerit, *ſacramenti* nimirum & *vnctionis; propter quam Dauid & honorauit viuum, & vindicauit mortuum.* At *tranſtulerat iam Dominus Regnum à*

Saule in Dauidem. Veruntamen non possidēdum, nisi Saule de medio sublato. Transtulerat, quoad jus, non quoad executionem juris. Cæterum his, quæ sequuntur verbis, agnosco jam non tantū Alchymistam, sed & Donatistā; & VViclephistā. *Hæc,* (quæ nugatus fuerat, de trāslatione Regni Saul ad Dauidē) *indicāt sacerdotē errātē in officio & negligentē amittere gratiā Spiritus S. officialem, & non amplius coram Deo posse esse Sacerdotem, licet adhuc gerere externam speciem officii possit.* Quæ si Donatistica & VViclephistica non sunt, quid tandē Donatisticū & VViclephisticum erit?

Rursus imperitè mentitur, cum ait, *ab Heli sacerdote* (viuente adhuc & vidente) *trāslatum fuisse officium ob admissa peccata, in Samuelem.* Vbi hoc diuinæ litterę? ô Lullista. percurre, oro, caput 2, 3. & 4. lib. 1. Regum, sed non oculis Alchymisticis, & renuncia mihi, num hoc tuū mendacium ex capitibus illis excusare, & in non mendaciū transformare possis? Ex Donati & VViclephi schola fundit etiam hoc Alchymista oraculum. *Impossibile est, vt persona vitiosissima publicè & priuatim retineat Spiritum S.* (respectu sci. officii) *si eius officium à Deo est, dicimus Spiritum S. alio modo eius procurationem obire, tametsi videatur per illam personam.* Macte Alchymista. Magis atq; magis indesinenter proficis, cuius profectus specimen nō leue hoc itidē arbitror. *Diabolis sacrificare, hæreticis communicare, idola colere non sunt mali mores personæ, sed officii.* Quæso cuius officii? De Iuda inquit Alchymista. *Diabolum in se habitātē non accepit, nisi post sumptum bolum, nec quamdiu fuit in Apostolatu, legitur cōtra officium tam enormiter peccasse, vt Papa.* Nisi Iudas Chymico gratias & agat & habeat, non immeritò ingrati notā subibit; nam & hic & suprà strenuum Iudæ aduocatum agit Lullista noster. At, cedo, num *Diabolum in se habitantem,* etiam ante buccellā non habuerit, qui ante buccellam

sum-

ſumptam, fur erat, & ante buccellam ſumptam Dominũ iam triginta argenteis vendiderat? cuius tandem pectus incolet Diabolus, ſi non eius, qui pecuniam Chriſti mala fraude interuertebat, ipſumque Chriſtum improbiſſimis Iudæis ad necem vendiderat? An ante buccellam ſumptam Diabolus in eius animo non habitabat, quem Dominus non hoſpitium ſeu ſedem Diaboli, ſed *ipſum Diabolum* appellat? Cur Diabolum nominauit, niſi propter ſummam Iudæ cum Diabolo conſuetudinem? Et hoc ante buccellam à Chriſto oblatam. Et tamen odium in Pontifices adeò furiat iſtum Alchymiſtam, vt dicat, Iudam ſuo in Apoſtolatu tam enormiter contra officium ſuum non peccaſſe, quàm enormiter peccant Papæ. O portentum Alchymiſticum in quintam eſſentiam diſtillandum! An non Iudas in Apoſtolatu Chriſtũ vendidit? Quod facinus hoc immanius fingi poteſt? an non in Apoſtolatu reipſa Chriſtum tradidit? An non demum deſperatione adactus laqueo vitam finiuit? Pudeat te, improbe, talia chartis mandare, quæ ſtultitiæ tuæ, vel potius veſanæ amentiæ tot luculentiſſima teſtimonia cuiuis prudenti exhibent, quot verba continent. Quod verò Ioannes dicit, poſt buccellam introiiſſe Diabolum in Iudã, id ideo dicit, quia poſt illam buccellam totum cordis locum Dæmoni inſtiganti aperuit, animoque ſuo obfirmauit Chriſtum tradere, & quod conceperat, ad rem conferre. Nam quod Chymicus putat Iudam, tanquam Dæmoniacum, corporaliter à Diabolo fuiſſe poſſeſſum & agitatum, id ex Alchymiſtarũ fornaculis, nõ ex diuinis oraculis, aut Patrum commentariis hauſit.

Dixerã: Chriſtũ verbis illis: *Reges gẽtium dominantur eorũ, &c. non ita erit inter vos:* ꝓhibere dũtaxat *dominatũ violentũ & truculentũ.* Obiicit Alchymiſta, *ſi vera eſſet Ieſuitæ declaratio,*

tio, omnes Reges essent truculenti & violenti. Satisne sanus es Chymice? sed quidnum sanus sis, quæro, quia si insanus non esses, Antimonio non indigeres. Si hoc, quod dicis, sequeretur, non ex meis, sed ex Christi verbis sequeretur. At non sequitur, quia Christus non dicit; Reges Christianorum & fidelium; sed Reges *gentium* seu gentilium, quales tempore Christi erant. Nec dicit: *omnes Reges Gentium*; sed indefinitè; *Reges Gentium*, vt proinde minimè sequatur: Christus ait; non omnes, sed *Reges Gentium*, hoc est, aliquos violenter & truculenter subditis imperare, (dico *aliquos*, quia propositio indefinita, constans materia contingenti, idem valet, quod particularis, vt tradunt Dialectici) ergo omnes simpliciter Reges & Principes etiam Christiani violenter & truculenter subditis imperant. Quæ hæc consequentia? Quam vt ineptiis, ita hanc notulam marginalem jure annumero mendaciis Alchymisticis. *Iesuita tacitè accusat omnes Reges* & *Principes violentiæ, nec parcit suo domino Serenissimo.* Mentitis Alchymista; & huius mendacii coram ipso Serenissimo Principe meo paratus sum te conuincere hac lege, vt nisi manifestè conuicero, ipse mendax habear. Absit à me vt vobis sim similis, quibus reuerentia erga Deũ, Cœlites, & principes jam dudum deperiit. Nec mirum, quia spiritu Lutheri pleni, imò ebrii estis, qui Magister vester, quàm erga Principes reuerens & obseruãs fuerit, à multis non semel demonstratum est, & vel ex hoc vnico Lutheri testimonio perspicuè liquet. *Scis* (Spalatinum affatur) *quod si cuiuspiam opes perdendæ sunt, Principũ perdendæ sunt, quod Principem esse, & non aliqua ex parte latronem esse, aut non, aut vix possibile est, eoq; maiorem, quò maior Princeps fuerit.*

Luth. To. 1. epist. 241.

Dixeram Ius Canonicum non esse normam peculiarem,

liarem, & distinctam à reliquis: quatenus enim vel Conciliorum, vel Patrum in vnum aliquod dogma concorditer conspirantium decreta, vel sacrę scripturæ oracula comprehendit, omninò fidei & controuersiarum normis accensendum erit. Quare vana est Alchymistæ collectio, cum concludit, Conciliorum decreta, Pontificum definitiones, Doctorumq; vnanimem consensum, non esse controuersiarum normas; eo quod jus Canonicum, continens hæc talia, non sit norma; quia vt hęc cõtinet, norma est; etsi non distincta & peculiaris.

Dosis XXIX. De syllogismo quodam, quo probatum, scripturam sacram non posse esse controuersiarum Iudicem.

Syllogismus est iste.

Omnis judex, quãdo à partibus in aliqua controuersia aditur, ita debet dicere sentẽtiã, vt altera pars euidẽter sciat, se amisisse caussam, quantum est ex parte huius judicis, siue justè, siue iniustè: altera euidenter sciat, se caussam obtinuisse, quãtum est ex parte huius judicis:

Scriptura vel Spiritus sanctus loquens per scripturam, quando à partibus in controuersia fidei aditur, non dicit sententiam, ita vt altera pars euidenter sciat, se caussam amisisse, quantum est ex parte huius judicis, altera se caussam obtinuisse, quantum est ex parte huius judicis, siue justè, siue iniustè:

Ergo scriptura vel Spiritus S. loquens per scripturam non est Iudex controuersiarum fidei.

Hunc syllogismum, quia Hunnius soluere nequit, soluere conatur Alchymista; neque vna duntaxat, sed

duodecim solutionibus, vt copiam Alchymisticam suspiciamus.

I. Solutio.

Papistæ deberent proferre aliqua argumenta ex normis suis infallibilibus, præsertim ex scriptura, quod hic non fit:

Ergo prædictus syllogismus nihil valet, præsertim in foro Theologico, in quo non potest vllam veri auctoritatem habere: tam facile igitur reiicitur, quàm leuiter dicitur.

En primam solutionem, & quidem efficacissimam; si quis tamen tam præfractus est, qui nolit acquiescere, is hanc secundam accipiat.

II. *Fucum & imposturam committit Papista mutatione Syllogismi, qui talis non erat in Protocollo.* At te mentiri testatur Protocollum, in quo quod ad sensum attinet, idem prorsus est Syllogismus. Nam quod verba ipsa in Responso non retinui, caussa fuit, quod quando Responsum conscripsi & edidi, Protocolli editionem necdum videram, vt Syllogismum inde ad verbum exscriberem. Sensum me retinuisse, lectores arbitrari volo, ad quos prouoco. Interim, non obstante hac Alchymistica tergiuersatione, syllogismus stat immotus, quem nec tertia ista, non tam solutio, quàm tergiuersatio labefactat.

III. *Fucum facit in Assumptione omittendo terminos illustratorios, qui tamen erant in propositione, debebantque vnà cum argumento transferri in assumptionem de omni jure Dialectico.* Hæc solutio nihil aliud est, nisi fucus: nam verba illa: *siue justè, siue iniustè*, posita in Maiore, vtique in Minore vel poni, vel intelligi debent; ideoque præterii, quia nullum credebam fore tam stupidum, qui subintelligenda esse, sine mea adiectione, non animaduerteret, nec vllum augurabat fore tam excordem, qui subintelligenda esse, sine mea adiectione, non animaduerte-

uerteret; nec vllum augurabar fore tam proiectum criminatorem, qui hanc rem mihi vitio verteret. Quando vero ita vis, vt addantur expreſsè, addantur licet. Tantum enim abeſt, vt verba illa: *ſiue juſtè, ſiue iniuſtè*: reformidem, vt bonam partem roboris, quo ſyllogiſmus pollet, in illis ſitum eſſe exiſtimem. Interim tres iſtę primæ aciei machinæ ne leuiter quidem ſyllogiſmum meum attigerunt, tantum abeſt, vt quaſſarint.

IV. *Falſum dicit, quod Hunnius bis terue conceſſerit Maiorem, cum eam ſaltem ſuſpenderit*: Needum vlla ſolutio ſyllogiſmi mei apparet. nam quod ad Hunnium attinet, melius ſcio, quoties Maiorem conceſſerit, quippe præſens, quam tu, quem eo tempore furnuli tui Alchymiſtici diſtinebant. An non conceſſit Maiorem, qui minimum bis terue negauit Minorem, donec tandem pondere Minoris preſſus eam negauit? negatio certè *Minoris*, nihil aliud erat, quàm conceſſio Maioris; negabat enim Prædicans, ſcripturam illud non præſtare, quod ad communem judicis notionem & rationem pertinet, nempe, vt cum aditur à partibus, ita ſententiam dicat, vt altera pars euidenter ſciat, ſe cauſſam obtinuiſſe, altera euidenter ſciat, ſe cauſſam amiſiſſe. Hoc cum Prædicans ſcripturam non præſtare initio negauerit; manifeſtè id ad communem Iudicis notionem pertinere faſſus eſt; & ſic Maiorem, in qua hoc ipſum continebatur, conceſſit: Etſi poſtea per ſummam inconſtantiam pedem retulit, Minoremq; negatam cõceſſit, & Maiorem conceſſam, negauit.

V. *Gretſerus ridiculum ſimul & flagitioſum ſophiſma commiſit, quando, vt Minorem ab Hunnio negatam probaret, Codicem Bibliorum arripuit, poſtulauitq; vt ab eo, tanquam à judice judicium clarum & euidens pro altera parte daretur*. Atqui, mi

Alchymista, nihil aptius & appositítius pro Minoris illius probatione adduci poterat: cum enim Hunnius Minorem negaret, diceretq; scripturam, quando à partibus aditur, ita sententiam dicere, vt altera pars euidenter sciat, se caussam obtinuisse, altera se caussam amisisse, nihil accommodatius erat, quàm vt cum Hunnio, cæterisque Prædicantibus scripturam adirem, experirerq;, num ita sententiam diceret, vt euidenter scirem, me cum Catholicis caussam amisisse, Hunnium autem cum Prædicantibus caussam obtinuisse. Num scriptura ita sententiā dixit? Nam quod tu & alii calumniamini de *orali*, vt sic loquar, sententia, id nihil aliud est, quàm sycophantia. Scio judicem non tantum ore, sed & scripto sententiam pronunciare posse. At si sententia scripturæ tanquam judicis contra nos, ita in scriptura continetur, vt euidenter scire queamus, nos, scriptura Iudice, caussam amisisse, vos caussam obtinuisse: cur Hunnius sententiam illam judiciariam in scriptura nobis non ostendit, statimque transissem ad Prædicantium *scamnum*, vt pollicitus fueram. Interim syllogismus meus ab Alchymista necdum oppugnari cœpit, vt suspicer hæc, quæ præmisit fuisse tantum præparamenta quædam ad futuram oppugnationem.

VI. *Negatur*, inquit Alchymista, *propositio, quia est particularis.* Audite Dialectici, propositio ista: *Omnis judex, quando aditur, ita debet dicere sententiam, &c.* ista, inquam propositio, signo vniuersali, vniuersaliter sumpto insignita, est *particularis* in Alchymistæ huius officina. An non exclamabitis ipsius Alchymistæ verbis? *Hem stultum, fatuum, blennum,* & sexcenta talia, quibus omnes pagellas suas opleuit & obleuit? *Negatur*, inquit, *propositio, quia est particularis.* Ergo omnis propositio hoc ipso præcisè

negari

negari debet, quia est *particularis?* An nulla particularis propositio vera est? Vide verò stuporem Chymici. Cur propositionem, quæ apud omnes Dialecticos *vniuersalis* est, appellet *particularem*, hanc reddit caussam; *quia* inquit, *verum non est in Theologia, quod omnis iudex talis esse debeat.* Primum, licet ita, vt dicis, res se haberet; an ideo propositio illa *particularis* foret? Estne hæc propositio; *omne animal est homo*, ideo particularis, q̃a quoddã dũtaxat animal est homo? Deinde, si Maior illa nõ est vera in Theologia, q̃so ibi tãdẽ vera est? Nũ in Iurisprudẽtia? Nũ in Philosophia morali? Nũ in cõmuni omniũ rectè sentiẽtiũ iudicio & existimatione? Noueris vero id, quod his locis verum est, esse etiam verum vbiq; aliorum locorum. nam verum vbiq; atq; adeo etiam in Theologia, verum est; verum namq; vero nunquam & nusquam repugnat; & iam pridem explosum euanuit deliri tui Lutheri fatuum simul & impium placitum; *aliud verum esse in Philosophia, & aliud in Theologia.* Adhæc si maior illa falsa est vniuersim accepta; assigna mihi, obsecro, generalem notionem iudicis pro tribunali sedentis; iudiciumq; & iustitiam inter partes, à quibus aditur, facientis & constituentis. Quæso quodnã est officium iudicis generatim loquendo, quando à partibus litigantibus sententiæ poscendæ, & accipiendæ gratia acceditur? Nonne talis iudex, si hoc nomen & officium sustinet; lites componere debet? Qua verò ratione componet, si sententiam non ita ferat, vt altera pars euidenter sciat, se caussam obtinuisse, altera se amisisse? Illéne iudex fuerit, qui partes dissidentes, quamtumuis sæpissimè adeuntes, & sententiam iudiciariam opportunè & importunè efflagitantes, semper dimittat incertas; quod Lutheranorum Iudex facit, quoties aditur: quem certè æquum erat tandem

exorari, vt ſententiam ad ſupradictum modum ferret, exemplo illius Iudicis Euangelici, de quo Dominus apud S. Lucam. *Iudex quidam erat in quadam ciuitate, qui Deum non timebat, & hominem non reuerebatur. Vidua autẽ quædam erat in ciuitate illa, & veniebat ad eum dicens; vindica me de aduerſario meo. Et nolebat per multum tempus. Poſt hæc autem dixit intra ſe, etſi Deum non timeo, nec hominem reuereor, tamen quia moleſta eſt mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in nouiſsimo veniens ſugillet me.* Si ergo iſte Iudex, iu quo nullus omnino iuſtitiæ & æquitatis amor inerat, tandem tamen precum aſſiduitate victus eſt, vt ſententiam daret, & ita quidẽ daret; vt altera pars euidenter ſciret, ſe cauſſã obtinuiſſe; altera ſe cauſſam amiſiſſe; quid cenſendum eſt de ſacra ſcriptura vel de Spiritu ſancto loquente per ſcripturas? An non ſi Iudex controuerſiarum immediatus & ordinarius ex officio eſſet; vel propter importunitatem noſtram tandem iudicialem ſententiam proferret, vt altera pars euidenter ſciret, ſe cauſſam obtinuiſſe; altera ſe amiſiſſe, quod ex officio iudicis feciſſe Iudicem illum iniquũ ipſe Dominus indicat. Quod ſi iſte Iudex tandem inflexus & emollitus eſt, quid de ſcriptura ſeu Spiritus ſancto loquente per ſcripturas non ſperandum eſſet; ſi iudicium hoc immediatè, & ex officio ad ipſius tribunal pertineret? præſertim cum vtraque pars, maximè ego in Colloquio, clamarit, & etiamnum clamet. *Vindica me de aduerſario meo.* Et ita vindica; vt ſciam me aut cauſſa cecidiſſe, aut viciſſe. Subdit Dominus. *Audite, quid Iudex iniquitatis dicit.* En exemplum Iudicis huius nobis ob oculos ponit non ſine emphaſi, orationisq; energia. *Deus autem non faciet vindictam electorum ſuorum clamantium ad ſe die ac nocte, & patientiam habebit in illis?* Si Iudex ille im-

Luca. 18.

importunitate instantis viduæ victus iudicium dedit, quanto magis daret scriptura aut Spiritus sanctus loquens per scripturam; si Iudicis immediati & ordinarij officio fungerentur in hac militante Ecclesia, cum nihil magis, quam iustitiam expetant, nihilq; magis, quam iniustitiam auersentur.

Sed ad Alchymistam: ex quo quærere lubet, cur Hunnius *Maiorem* non semel concesserit, si, vt ipse putat; falsa est. An doctior & perspicacior est Chymicus prædicante? progrediamur ad alia.

VII. *Assumptum conceditur iam, contra ac fiebat in Protocollo.* Bene habet. Rursus Alchymista noster supra prædicantes se extollit: Hunnius negabat Minorem non semel; iste concedit, *contra,* inquit, *ac in Protocollo factum est.* Audite prædicantes, ferréne potestis supercilium istud Alchymisticum supra omne, quod nominatur prædicans, sese efferens? præsertim cum non sine mendaciis se supra vos eleuet. Nam in Protocollo non modò negata est minor, sed & concessa, ea, quæ decet noui Euangelij præcones, constantia. Qua fronte igitur fingit iste se nunc concedere Minorem contra ac in Protocollo factum est; cum in Protocollo fecerit concedendo prædicans Hunnius, quod nunc facit Chymicus Libauius & aliquid amplius; quia eandem Minorem prius concessit, & paulò post negauit? Audiamus tamẽ caussam, cur Alchymista secus statuat, ac in Protocollo constitutũ est. *Quia argumentum, inquit, est mutatum.* At te mentiri palã faciet Protocolli cum Responso meo collatio. Nihil mutatũ, si sensum spectes. Mutatum nonnihil, si verba consideres, saluo sensu; ob caussam supra allatam.

Porro rationẽ, cur argumentũ dicat mutatũ, reddit his

his verbis. *Omnino verum est, quod neq; scriptura, neq; Spiritus sanctus iudicet siue iustè, siue iniustè.* Si hoc verum est, ergo nec scriptura iudicat, nec Spiritus sanctus. Omnis enim qui iudicat, is vel iustè iudicat vel iniustè. Et consequenter iudicat, siue *iustè*, siue *iniustè*.

Obiicit Chymicus.

Neq; scriptura neq; Spiritus sanctus iudicat iniustè:

Ergo neq; scriptura, neq; Spiritus sanctus iudicat siue iustè, siue iniustè.

Pulchrè & argutè, quia perinde, ac si diceres. Neq; Deus, neque vllus beatus operatur malè: ergo quando Deus aut beatus operatur, non operatur siue bene, siue male.

VIII. Hoc responsum cætera omnia subtilitatis profunditate superat. Audite Lectores; & capite, qui potestis: qui non potestis, suspicite. *Totus syllogismus errat in forma.* Breuis, sed efficax solutio. Quare verò errat in forma? *Nam ex puris particularibus nihil sequitur.* Et tamen Maior est ista: *Omnis Iudex, quando à partibus in aliqua controuersia aditur, &c.* An particularis propositio est, quæ signo vniuersali vniuersaliter sumpto constat? *Sed* ait Alchymista. *Maior est falsa, quia non competit omni Iudici.* At licet falsa esset; (cum tamen sit verissima) nũ ideo particularis esset? Num falsitas ex vniuersali propositionem particularem efficit? Num hæc enunciatio: omne animal est homo, ideo particularis est, quia falsa est? Imo ideo falsa est, quia vniuersalis est. At satis de hoc iam supra.

IX. *Maiorem dicit ideo etiam esse falsam, quod nulla pars possit euidenter scire, caussam victam esse, aut vicisse, iudice ita pronunciante, vt non pateat iustè an iniustè pronunciauerit.* At hoc inanissimum est effugium. Neq; enim ego in Maio-

re di-

re dixi, iudicem ita debere pronunciare sententiam, vt altera pars vel vtraque sciat num iustè, an iniustè pronunciauerit Iudex; sed ita pronunciare debet, vt altera pars euidenter sciat se caussam obtinuisse, siue iustè, siue iniustè: altera euidenter sciat, se caussam amisisse, siue iustè, siue iniustè. Hoc de officio & ratione iudicis esse contendo. *Scire*, inquit Alchymista, *euidenter, est ex principiis legum de iure & iusto cognoscere, & scientiam habere.* Verum isthæc quid aliud sunt, quam fumi chymici, & nebulæ Alchymisticæ. Maior mea non loquitur de scientia legum & Iuris, sed de scientia siue cognitione sententiæ prolatæ à Iudice; hanc vt cognoscam, siue iustè siue iniustè prolata sit, non opus est scientia Iuris & legum; sed auribus duntaxat, vt audiam; vel oculis, vt legam; & animo, vt verba & scripta intelligam; alio præterea opus non est: precisè enim sententia cognoscenda est, siue iusta sit, siue iniusta. Sed ait Alchymista; nil præter solitum subtilis, *Audire iudicem damnantem vel absoluentem, non est scire.* Quid stultius? An non euidenter scio iudicem me damnasse, si audiam eum sententiam damnationis in me proferentem, vel, si scripta sit, oculis meis legam? Siue postea sententia illa iustè sit prolata; siue iniustè, de hoc enim hic non quærimus. Quid, quæso, est scire communi loquentium consuetudine, quam rem certò & euidenter cognoscere? Quod si Alchymista tam religiosus est, vt contra omnem vsum verbum *scire* aliter vsurpare nolit, quam pro cognitione certa & euidenti per caussam, qualis per demonstrationem gignitur; substituat in syllogismo verbo *sciendi* vocabulum *cognoscendi*; omnis enim Iudex ita debet sententiam dicere, vt altera pars euidenter cognoscat se caussam ob-

tinuisse; altera se caussá amisisse. Quam durum telũ necessitas, q̃ aduersarios ad tã absonas absurditates adigit; inter quas nõ minima etiã ista: cũ negat, *Lutheranos euidẽter scire se dãnatos esse à Põtifice Romano, & Cõcilio Tridẽtino*. Quid insipienti⁹ vel excogitari potest? Nimis euidenter hoc sciunt omnes p̃dicantes, & prædicantium ꝓpugnatores Alchymistę. Et quia hoc adeo euidenter sciũt, ea de caussa adeo vruntur & tędis quasi ardentibus contra Pontificẽ & synodum Tridentinam inflamãntur.

Obiicit Alchymista. *Illa à Pontifice, & Concilio Tridentino profecta damnatio, non est vera dãnatio: Ergo Lutherani euidenter non sciunt se à Põtifice Romano & Concilio Tridentino dãnatos esse.* Fatua inprimis consequentia; quidquid sit de Antecedente: magno enim discrimine distant euidenter scire se damnatum esse iustè; & euidenter scire se damnatum esse. Deinde syllogismus meus non dicit, Iudicem ita debere dicere sententiam, vt altera pars euidenter sciat se iustè damnatũ esse; sed vt euidenter sciat, se damnatum esse, quantum est ex parte huius Iudicis, siue iustè, siue iniustè. Quid tricaris nugator? *Non si te rupe*ris, hinc euades, constrictus teneris insolubili nexu; quem non abrumpes licet nihil technarum, imposturarum, & versutiarum vel potius stultitiarum intermittas.

X. & XI. Duæ istæ Responsiones gemellę sunt; Summa in hoc consistit. *Spiritum sanctum seu scripturam non esse talem iudicem, qualis in argumento describitur; nec forum eius tale forum; nec modum procedendi talem modum procedendi.* Quid multis? Si omnia, quæ Alchymista blatit, diligenti⁹ ꝑpendas, videbis tandẽ eũ nihil aliud dicere, quã scripturã, aut Spiritũ S. loquentẽ ꝑ scripturas, nõ esse ordinariũ, & im̃ediatũ controuersiarũ in hac Ecclesia militante iudicẽ; qualẽ q̃rimus, & qualẽ status Ecclesiæ Chri-

stianæ

stianæ deposcit: Quia oîs Iudex, quando aditur à partib⁹, ita debet dicere sententiã, vt altera pars euidẽter sciat se caussã obtinuisse, altera se caussã amisisse: Hoc nec scriptura facit, nec Spiritus S. loquens per scripturas; ergo nec scriptura, nec Spiritus S. est Iudex.

XII. Tandẽ negat Minorẽ Syllogismi; quam supra cõcesserat: *dũmodo particula, Iniustè, omittatur*. Quid verò impedit hæc particula? Neq; enim Minor asserit scripturam aut Spiritũ S. per sacras literas loquentẽ *iniustè* sententiã dicere; sed ait; Scripturã, vel Spiritum S. p Scripturas loquentẽ, nõ ita dicere sententiã, vt altera pars euidenter sciat, se caussã obtinuisse; altera, se caussã amisisse: q͂ verissimũ est. Tu iã negas, si omittatur vox INIVSTE. At siue addatur, siue omittat̃, negare debes Minorẽ, si intelligis, q͂d neges: q͂a vox illa INIVSTE Minorem illam nec verã, nec falsã facit. Cũ ergo iã affirmes, *scripturã verè efficere, vt partes* EVIDENTER *scire possint, quidnã sit iudicatũ*, quare, obsecro, id nõ fecit Scriptura in Colloquio Ratisbonẽsi? An non tẽp⁹ erat hoc faciendi? Imò nunquã magis necessariũ & opportunũ; si enim Scriptura EVIDENTER scire nos fecisset, se sententiã iudicialẽ & definitiuã contra nos p̱ vobis aut dicere aut dixisse; non modò ego absq; mora trãsissẽ ad vestra castra; sed & tota Bauaria manib⁹ pedibusq; statĩ in vestrã sententiã cõcessisset. Quis enim nõ è vestigio obtẽperaret sentẽtiæ Scirpturæ, aut Spirit⁹ S. p scriptutas loquẽtis, si eã contra se esse *euidẽter* intelligeret?

Ecce Gretsere, inquit Alchymista, *duodecim argumentis tuus syllogismus iugulatur*. Ex duodecim tuis argumentis, q͂ adduxisti; vix vnum vel alterum syllogismum tetigit, tantũ abest, vt vel vnum, vel aliqua, vel omnia collectiuè sumpta, Syllogismũ meũ iugularint; qui stat, stabitq; immotus cõtra omniũ p̃dicantiũ & Chymicorũ p̱teruiã, &

 petu-

petulantiam: cuius Maiorem dixeram non modò intelligendam esse de sententia iudiciaria, quæ voce profertur; sed & de illa, quæ scripto; quis enim ignorat, scripto sententiam proferri posse?

Occurrit Alchymista. *Audi stulte.* præsto sum; loquere, sapientissime Chymice. *Si Maior tua loquitur de scripto, quorsum clamasti in Protocollo iam pro præsente debere fieri iudicium?* Ideo, quia prędicantes aiunt, sacram scripturam iam pro præsenti esse controuersiarũ iudicẽ: debet ergo pro præsenti institui ab illa iudicium. Quorsum proiecisti librum Biblicum, & exspectasti locutionem? Ideo arripui biblia; vt vel audirem à libro, vel legerẽ in libro euidenter & perspicuè sentẽtiam Iudiciariã contra me pro vestra secta. Nã quod ais, me *determinatè* vocalem locutionẽ à scriptura exspectasse vel expetiisse; more tuo mentiris; sententiam enim iudiciariam expetij ab illo vestro iudice; siue voce, siue scripto. Si Iudex vester vocaliter, vt sic dicam, loqui nescit; vt illius sententia auribus clarè percipiatur; cur Hunnius & alij prædicantes non ostenderunt mihi in illo suo Iudice scriptam sententiam Iudiciariam; quæ euidenter certiorem me redderet, sententiam à iudice illo vestro contra me pro vobis ꝓnunciatã esse? Quod si fecissent, iã argumentũ meũ solidissimè soluissent, meq; suis partibus adiunxissent. Postquam ergo Alchymista duodecim illis, quas vidimus, machinis, syllogismum meum validissimè & felicissimè prostrauit, in calumniarum campum ouans exspatiatur; summæq; blasphemiæ loco reputat; quod Hunnio clamante; *iam te iudicat spiritus per hunc locum*: ego responderim: *nego, quia mihi non constat euidenter me esse damnatum.* Hoc dictum meum vocat *horribilem blasphemiam.* Sed nil moueor, quãtumuis horrificis prędicantium exaggerationib⁹ vel potius

tius mendaciis. Si ſententiam ſuam judiciariam contra me Iudex ille veſter tunc protulit, cur mihi non eſt patefacta, vt euidenter eam cognoſcerem? *At eſt tibi patefacta ore Hunnii Miniſtri*, inquit Alchymiſta. Ridiculè. Egonè illum ipſum, cum quo litigo, agnoſcam & ſuſcipiam pro Spiritus ſancti vel ſcripturæ miniſtro, cuius officium ſit, ſententiam definitiuam mihi manifeſtare? Itane Hunnius, cum quo litigabam, præco ſancti Spiritus loquentis per ſcripturam erat, vt quidquid ipſe mihi diceret, id ipſius ſacræ ſcripturæ & Spiritus ſancti judiciariam ſententiam crederem, & ni abſq; vlla tergiuerſatione aſſenſum præberem, ingens ſcandali peccatum committerem?

Argumentum illud:

Spiritus S. non vult per ſcripturam Gretſerum condemnare tāquam ordinarius controuerſiarum Iudex:

Ergo non poteſt;

Si verbis meis integrè recitaſſes, ſycophanta ſaltem hoc loco non fuiſſes. Non enim præcisè dixi: *ergo non poteſt*; ſed addidi; non poteſt ex hypotheſi talis decreti, quia quod non vult facere, id non poteſt facere, ex hypotheſi ſcilicet talis decreti. Alchymiſta negat antecedens, cuius tamen veritas ſole clarius lucet: nam ſi Spiritus ſanctus vellet per ſcripturam judicare tāquam ordinarius & immediatus controuerſiarum judex, tunc id faceret, quando à partibus litigantibus aditur; ſed non facit hoc, non eſt ergo judex: quia ſi id faceret, faceret vtique illud, vt altera pars euidenter ſciret, ſe viciſſe, altera ſe victam eſſe; quia hoc eſt officium judicis à partibus aditi. Hoc ad hunc modum non facit Spiritus ſanctus: ergo, &c. Portò ſtultitiam ſuprà nobis decantatam, reponit hoc loco Alchymiſta:

Gretserus coactus est audire à visibili ministerio, hoc est, à Prædicantibus; *Tu iam es damnatus*:

Ergo euidenter cognouit Scripturæ seu Spiritus sancti per scripturam loquentis aduersus se & suos sententiam judiciariam & decisiuam.

Probatur consequentia:

Quia vox illa Prædicantium, quam clarissimè percipiebat Gretserus, erat vox ipsius Scripturæ & Spiritus sancti.

Risum compescat, qui potest. Fateor me tam potentem non esse, vt cum has Alchymisticas nænias lego, risum teneam. Ait Alchymista, Scripturam *ita dicere sententiam, vt pars damnata euidenter sciat se damnatam esse.* Si roges, in quonam hæc euidentia cognitionis consistat, aliud non dicit, quàm quia Prædicantes hoc asserunt, euidenter autem cognoscitur vox & sententia judiciaria Prædicantium; ergo ipsius Scripturæ, vel Spiritus S. loquentis per Scripturam. Quo quid magis ridiculum?

Quæ deinceps Syllogismi mei explicandi, cõstabiliendi, & à calumniis vindicandi gratia in Respõso disserui, ea ne tenuiter quidem assequitur rudis Alchymista. Itaque aduersus illa non pugnat, nisi inscitiâ, criminationibus, & portentosis mendaciis: quæ jam in digressionibus meis profligaui, cum Hunnius & alii Prædicantes similia plenis faucibus eructassent. Nam Spiritum S. vt præcisè loquitur per Scripturam eo modo, quo hactenus locutus est, & vt Scriptura jam tanquam Spiritus S. verbum, constituta est, & conformata, non posse sententiam judiciariam in omni controuersia ita dicere, vt altera pars euidenter sciat, se caussam obtinuisse, altera, se caussam perdidisse: quid mirum, cum hoc, vt in scholis loquimur, *implicet*: Nam si potest per Scripturam sic dicere sententiam; ergo jam sic dixit sententiam; quia

quid-

quidquid loquendo per ſacram ſcripturam, vt jam conſtituta eſt, loqui nũc poteſt, illud jam locutus eſt: & quod per illam, vt verbum ſuum ſcriptum locutus non eſt, illud per illam, tanquam verbum ſuum jam ſcriptum loqui nũc non poteſt: Si ergo jam ſentẽtiam ſuam ita dixit per Scripturam, vt altera pars euidenter ſciat, vel inſpectione ſacræ Scripturæ ſcire poſſit, ſe cauſſam amiſiſſe: altera, ſe cauſſam obtinuiſſe, oportet, vt exſtet in Scriptura: oſtendatur ergo mihi in ſacra Scriptura iſta ſententia; nec verbum amplius addam; ſed cuncta, quæ hactenus aduerſus Lutheranos docui & ſcripſi, promptiſſimè retractabo. Interea hoc etiã argũmentũ accipe, & ſi potes, digere. Princeps quiſpiam loquens per aliquã ſcripturam certum quid ſignificantem, non poteſt per eandem ſcripturam ſententiam judiciariam ita proferre, vt altera pars euidenter ſciat, ſe cauſſam obtinuiſſe, altera, ſe cauſſam amiſiſſe; niſi in illa ſcriptura ſententia illa judiciaria exſtet: ergo etiam Spiritus S. loquens per ſacram Scripturam certum quid ſignificantem, non poteſt per eandem Scripturam ſententiam judiciariam ita proferre, vt altera pars euidenter ſciat, ſe cauſſam obtinuiſſe, altera, ſe cauſſam perdidiſſe, niſi ſententia illa judiciaria exſtet in ſacra Scriptura (Implicat enim contradictionem, vt quis per ſcriptum, quatenus tale ſcriptum eſt, pronunciet ſententiam, quæ in illo ſcripto, quatenus tale ſcriptum eſt, non exſtet) quia talis ſententia judiciaria nuſquam exſtat in tota Scriptura: aut ſi alicubi exſtat, oſtendatur mihi ab Alchymiſta, manuſque dabo: nam ſi ibi exſtet ipſa ſententiæ lectio & inſpectio, velim, nolim, coget me, vt euidenter ſciam, me ab hoc Iudice damnatum

esse; sicuti lectione & inspectione Concilii Tridentini euidenter cognoscitis, velitis, nolitis, vos à nostro Iudice damnatos esse.

Et quemadmodum, si quis clamaret, me per aliquod scriptum decretum Principis damnatum esse; necessarium esset, vt in illo scripto decreto sententia damnationis exstaret, jureq; optimo flagitarem, vt in decreto illo scripto sententia damnationis mihi exhiberetur, eáque exhibita, euidenter cognoscerem (siquidem ibi exstaret) me damnatum esse: (pono enim decretum ea lingua scriptum, cuius notitiam adeptus sim) ita & in nostro proposito, cum Prædicantes clamant, Spiritum sanctum loquentem per scripturas protulisse sententiam judiciariã aduersus nos, oportet vt in scriptura sententia illa exstet, (si Prædicantes verum dicunt) meritoq; ab illis postulamus, vt nobis talem sententiam demonstrent, quam si demonstrarent, etiam inuiti cogeremur euidenter scire nos à Spiritu sancto damnatos esse; ea enim lingua, scriptura, vt opinor, concepta est, quæ nobis nota est. Et quemadmodum impossibile est, vt Princeps per illud decretum scriptum me damnet, in quo scripta non exstat condemnationis sententia, quam alter euidenter intelligere possit, si decretum legat; ita impossibile est, vt Spiritus S. per illam scripturam quemq̃ damnet, in qua non exstat damnationis sententia, quam damnatus euidenter intelligere possit, si scripturam illam legat, aut legi lingua sibi nota audiat.

Præterea, si Spiritus S. loquens per scripturam, tãquam per verbum suum, est Iudex immediatus, & generalis omnium controuersiarum; tunc per scripturam, tãquam per verbum suum, omnes fidei controuersias dirimere debet: Sed non potest per scripturam omnes fidei

dei controuersias dirimere; nam si exsistat controuersia de Epistola ad Philemonem, per quem, quæso, scripturæ locum hanc controuersiam decidet? vbi in tota Scriptura scriptum est, epistolam ad Philemonem esse Canonicam? quæ tamen debet esse in hac lite judiciaria sententia. At ostendat mihi in scriptura, tanquam in verbo Spiritus S. hanc judiciariam sententiam, quam exempli duntaxat gratia protuli: nam eadem est aliarum non paucarum controuersiarum ratio.

Dosis XXX. De eodem syllogismo.

SEssione nona Colloquij Ratisbonensis hoc Enthymema Hunnio proposui, postquam monueram, sermonem esse non de qualicunq; judice, sed de supremo in terris & generali, cuius auctoritas sit infallibilis. Nec scriptura sola, vt est verbũ S. Spiritus, est talis judex; neq; etiã ipse Spiritus S. vt loquitur per Scripturã, ergo nullo modo cõcedi potest, ꝙ aut sacra Script. aut Spirit⁹ S. loquens p scripturã, sit suprem⁹ & generalis judex oĩum controuersiarum. Hoc meũ Enthymema Hunnio suspectũ erat. Clamabat ergo: *Non video connexionẽ in argumento.* Credo, te non vidisse: Non enim frustrà initio statim Colloquij dixeras; *Rationem esse cæcam*: quod de tua nemo non libentissimè fatebatur. Secundo aiebat: *fiat integer syllogismus. Nego Antecedens.* Rogatu igitur *Prædicantis* integrum Syllogismum confeci, prout plerumque fieri assolet, quando Antecedens vel Consequentia Enthymematis alicuius negatur; Enthymemata autẽ plus fermè, quàm Syllogismos oderat Hunnius; quare non semel audito Enthymemate dicebat: *Abscondis alteram propositionem, pone illam.* Hoc Enthymema meum re-

citat quoq; Alchymista in Analysi Protocolli pagina 58. parte secunda; sed fide Alchymistica; non enim recitat, vt in Protocollo legitur, sed addit, demitq;, ponit & transponit, quæ vult, planè arbitratu suo, vt lector perspiciet, si mendacissimam Chymici analysin conferre velit cum Protocollo.

Secundò, arguit Protocollum Bauaricum, quod huic Enthymemati præponatur *nota secundi argumenti*, cum non sit secundum; sed illud, quod sequitur: *Omnis Iudex, præsertim supremus & generalis, &c.* Sed Alchymista nescit, quid dicat, idq; prę furore & amentia: nã Enthymema illud fuit secundum argumẽtum, in sessione nona propositum, & Syllogismus ille, omnis Iudex, &c. huius secundi argumẽti confirmatio est, vt patet legenti Protocollum. Quod verò P. Tannerus in Relatione secundũ argumentum vocat illum Syllogismum: *Omnis Iudex, præsertim supremus, &c.* id ideo facit, quia est pars & confirmatio argumenti secundi. Respondet deinde Alchymista, *idem in consequente poni, quod in antecedente, exceptis voculis, nullo modo.* At Chymicum mentiri intelliget, quisquis Enthymema meum, vt in Protocollo legitur, non vt ab isto fraudulenter refertur, aspexerit, vimque eius assecutus fuerit: nam si quæstio sit, vtrum Petrus aut Paulus haberi debeat pro supremo & generali judice, dicamque: Nec Petrus, nec Paulus est talis Iudex; ergo nec Petrus, nec Paulus pro tali Iudice haberi potest: non ponam, nisi fallor, idem in antecedente, & in consequente: nam esse talem, & concedi seu haberi & agnosci pro tali; diuersa sunt, omnium judicio, qui notionem diuersitatis formare norunt. Eadem ratio est mei Enthymematis, in cuius locum substituit Chymicus Syllogismum, hoc præmisso quasi prodromo. *Doceamus*

euamus eum syllogizare. Non opus mihi te Doctore. Infelicem me reputarem, si Alchymista & fraudulẽtus Chrysopœus Doctor mihi aut obtingeret, aut vnquam obtigisset. Doctrinam tuam Syllogismos cudendi, tu tibi retine; nihil habes, quo non extremè egeas. Non est, quod largiter promas, statim ad fundum delaberis. Pleriq; tui Syllogismi tam probi sunt, quàm aurũ, quod per Alchymiam tuam conficis.

Circa Syllogismum, de quo dosi superiore satis, quærebat Hunnius, quidnam intelligerem modo illo loquendi: *Quantum est ex parte huius Iudicis*. Etsi autem non tam quærebat, quod nesciret, quàm vt effugiendi rimam reperiret; Respondi tamen, me intelligere *vocem* huius Iudicis, sententiam judiciariam ita ferentis, & pandentis, vt altera pars euidenter sciat, se caussam apud tribunal huius Iudicis obtinuisse, altera se amisisse. Quid Alchymista? *Non intelligit ille miser sua verba*. Mirum, si tu melius mea verba intelligas, quàm ego, certiusq; noueris, quid per illa verba intellexerim, quàm ego. *Ista determinatio*, ait Chymicus, *significat per se ex judiciaria auctoritate id fieri debere; siue jam in praxi agnoscat id reus, siue non agnoscat, obediat, vel non*. Ego verò nego me hoc verbis illis, *quantum est ex parte huius judicis*: aut intellexisse, aut intelligere debuisse. Somnium hoc tuum est, pariterque mendacium, cum ais, Tannerum verba illa hoc modo explicare. Vbi hoc P. Tannerus? Nomina locum, aut manifesti mendacii teneberis. Quis enim ignorat locutioni illi alium sensum non subiici, quàm hunc: si spectes istum judicem, siue hoc tribunal, vel hanc sententiam judicatarim, caussa amissa est. Hæc locutionis illius, *quantum est ex parte huius judicis*, notio est.

Addis: *Scholastici etiam deprehendunt propositionem loqui de judice omni: Conclusionem negare de Iudice TALI.* At vel pueri deprehendent te hic & alibi, insignem impostorem esse. Nam vox illa TALIS refertur ad hoc, quod in Maiore positum erat, & in quæstione versatur, num scilicet scriptura aut Spiritus S. loquens per scripturam, *sit supremus & generalis judex*: & in Conclusione infertur, quod nec Scriptura, nec Spiritus S. loquens per Scripturam sit TALIS, nempe supremus & generalis, & hoc colligitur per istud medium, quod omnis judex ita debeat dicere sententiam, vt altera pars euidenter sciat, se caussam obtinuisse; altera se caussam amisisse: Sed nec scriptura, nec Spiritus sanctus loquens per Scripturam ita dicit sententiam: ergo nec Scriptura, nec Spiritus S. est talis judex, supremus nimirum, & generalis, quiq; in omnibus controuersiis adiri & audiri manifestè queat. Et quam tu *tautologiam* in Maiore comminisceris? Syllogismum tui similem confecissem, si Alchymista, vt tu, hoc est, hæreticus sycophanta aut essem, aut tempore Colloquii fuissem. Ne tamen quæ vltro offers prorsus adspernari videar: accipiamus, quem das Syllogismum:

Omnis Iudex in controuersiis judicialibus verè contrariis, vbi damnatio & absolutio locum habent, tam liquidò debet sententiam dicere, vt quantum in se est, vtraq; pars litigantium euidenter judicatam caussam sciat.

Posita hac Maiore, in omnes partes sese versat, animi dubius, negariné an concedi debeat. Tandem concedit, nihil Hunnii auctoritate absterritus, qui meam sensu ab hac non multùm & vix discrepantem pertinaciter negauit; etsi initio concesserat. Subsumit Alchymista:

Illud non potest facere in hoc mundo vllus Iudex humanus, siue Papa sit, siue alius quispiam.

Nega

Negatur Minor Alchymista. Papa, & Concilium cum *Papa* potest hoc facere; & iam sæpius fecit; & nouissimè in Concilio Tridentino idem fecit: quia in controuersiis iudicialibus verè contrariis, vbi damnatio & absolutio locum habent, tam liquidò dixit *Papa*, seu synodus cum Papa sententiam, vt quantum in se est, vtraq; pars litigantium euidenter caussam iudicatam sciat, nos enim euidenter scimus, vos à iudice illo damnatos esse. Idem & vos euidenter scitis. Euidenter etiam scimus, nos ab illo Iudice absolutos esse; idem & vos euidenter scitis. Negata igitur Minore; vbi remanet tua illa conclusio? *Nullus ergo Iudex est in hac vita.* Quanto rectius subsumam ego sub Maiore tua: Illud (nimirum, quod in tua Maiore ponis) non facit in hoc mundo scriptura, aut Spiritus sanctus loquens per scripturam, vt ipsa experientia manifestissimum est: ergo nec scriptura, nec Spiritus S. loquens per scripturam est Iudex, talis nimirum, qualis in Maiore describitur.

Subiungis. *Euangelici negant Assumptum syllogismi Gretseriani.* Initiò negabat Hunnius assumptum, seu Minorem, concessa Maiore: At ego Minorem adeo euidenter è vestigio probaui, vt Hunnius vela verterit, minoremq; concesserit, negata Maiore. Quid enim euidens in rebus, si euidens non est, scripturam, quando à partibus litigantibus aditur, non ita dicere sententiã, vt altera pars euidenter sciat, se damnatam; altera euidenter cognoscat, se absolutam esse. An non adiuimus scripturam, seu Spiritum sanctum loquentem per scripturas? An non iudicium & sententiam eius implorauimus? An data est pro nobis vel contra nos sententia euidens, quæ nobis de iudicis sententia omnẽ scrupulum eximeret? Et quæ tandem est istorum stultitia,

cum sententiam prædicantium pro sententia iudiciaria scripturæ, aut Spiritus sancti loquentis per scripturam venditant; quasi ideo euidens nobis sit, nos à scriptura & Spiritu sancto loquente per scripturas damnari; quia euidens nobis est, nos damnari à prædicantibus, *internunciis*, & *interpretibus scripturæ & Spiritus sancti*; si vera canit Alchymista. Ergo Alchymista & alij aliam euidentiam sententiæ iudiciariæ à scriptura, aut Spiritu sancto loquente per scripturas prolatæ, nobis non proferunt; nisi quia prædicantes euidenter nos damnant? Pulcherrimè profectò & ingeniosissimè. Formemus consequentiam, vt res dilucidior fiat.

Prædicantes, (quos Alchymista vocat *internuncios* & *interpretes Spiritus sancti*, ego rectius, Diaboli) *euidenter damnant Gretserũ & Pontificios omnes:*

Ergo scriptura seu Spiritus sanctus euidenter damnat Gretserum & Pontificios.

Quod si quis de consecutione ambigat, is nouerit prædicantes esse infallibiles interpretes Spiritus sancti; ac proinde os illorum, esse os Spiritus sancti. En quomodo prædicantes tandem in officium Iudicis controuersiarum clanculum & quasi per cuniculos irrepant, & in locum legitimi iudicis expulsi sese substituant. Clamant vsque ad rauim: Solam scripturam esse omnium controuersiarum Iudicem: at cum in rem præsentem itur; sese vnà cum scriptura pro Iudice venditant; vt notum ex Alchymistæ testimonio sæpius iterato, & ex Hunnij verbis qui Sess. 9. Colloquij ait; *non esse opus in Ecclesia iudice visibili*, sed tantum requiri, *vt sint interpretes scripturæ, qui sunt Doctores Ecclesiæ, quos Deus dono Prophetiæ instruxit; proinde ad executionẽ non esse opus, vt iudex aliquis cõstituatur, &c. Sufficere Ministeriũ, &c. Ministeriũ*, inquit Hũnius,

nius, *compellit verbo, magistratus verò piis decretis. Ministerio non derogamus omnẽ potestatem; sed prætoriam illã potestatẽ decidendi. Nõ omne iudiciũ Magistratui & ministerio derogam⁹, sed suum cuiq; distinctè tribuimus.* Ecce, quam ingeniosè venerabile prædicantiũ Ministerium potestatẽ iudicandi sibi vendicat; non quidẽ *prætoriam*, vt dicit prædicans, sed prorsus Tyrannicã. Contradicat quis prædicanti paululum valentiori, potẽtiori & gratiosiori apud eos, qui rerũ potiuntur. Videamus, an non exilio aut carcere contradictionem luiturus sit, nisi quam primum palinodiam canat, seq; pedibus abiecti prædicantis substernat. Ignoscant tamen nobis prædicantes. Nesciuim⁹ hactenus illos esse Iudices; & quidẽ tales, qui, vt Alchymista scribit, sint *internuncij* & *interpretes* sententiæ iudiciariæ à scriptura vel Spiritu sancto loquente per scripturas pronunciatæ. Si hoc sciuissem in Colloquio, feliciter sanè & mihi & Reipublicæ Lutheranæ id euenisset: nam statim ad prædicantium subsellia ex pacto conuento transeundum fuisset. Miror Hunnium nõ assurrexisse; barbaq; hircina semel atq; iterum demulsa in hæc verba fecisse verba.

Negat Gretserus scripturam, aut Spiritum sanctum, prout per scripturam loquitur, ita dicere, & quod horribilius dictum, ita posse dicere sententiam, vt altera pars euidenter sciat se caussam obtinuisse, altera se caussam perdidisse:

Hoc falsum esse, euidenter demonstro; quia ego hic palam pronuncio tanquam interpres, & internuncius scripturæ & Spiritus sancti, & quidem infallibilis, Gretserum cum omnibus Pontificiis à scriptura, & Spiritu sancto damnatum esse:

Nullo igitur modo amplius dubitare licet, num scriptura ita

ita dicat sententiam, vt altera pars euidenter sciat, se caussam obtinuisse, altera se caussa cecidisse.

Sed procedamus ab hoc venerabili Ministerio ad alia. Mentitur Alchymista, me nouum syllogismum cudere contra fidem Protocolli; quod tamen me non nouum facere, sed priorem repetere ait; his enim verbis vtitur. *D. Gretserus repetit syllogismum.* Deinde contra omnem Protocolli fidem audet impostor iste syllogismum mutare, & conclusionem ponere, quam nec ego, nec Protocollum ponit; sed ipse sibi suo ex Chymico cerebro fingit, fictamq; quasi malè factam corrigit. Syllogismus in Protocollo est iste. Si Spiritus sanctus, vt per scripturam loquitur, est Iudex, tunc debet facere, seu ita iudicare, vt sciam euidenter me amisisse caussam: Sed non potest, vt per hanc scripturam loquitur, iudicare, vt euidenter sciam, me amisisse caussam: ergo, &c. Ita Protocollum. Alchymista non modo Minorem decurtat, sed & hanc conclusionem integram ponit. *Ergo sacra scriptura (pro, Spiritus sanctus, vt per scripturam loquitur) non est iudex.* Impostor, qua fide exprimis tu conclusionem in Protocollo non expressam; si bona & non Chymica fide agis? Nec mea errata, sed tua figmenta corrigis. Quæ longè alia correctione egent, quam sit ea, quæ à te adhibetur. Negat Maiorem; quam tamen supra concesserat. Dicit ab Hunnio maiorem non concessam simpliciter, sed *suspensam*, in paxillo scilicet ignorantiæ. Omnino inconstantissimi mortalium nesciunt, quò se vertant: modò annuunt, modò abnuunt; & mera sunt, vana tamen, hęc Alchymistæ effugia; ab Hunnio antea quoq; vsurpata. *Etiam absentem & ignorantem damnari posse: Posse quempiam generatim scire se damnatum esse, non tamen euidenter & in specie; num iustè damnatus sit, an iniustè.* Nihili

hili hæc ſunt. Loquimur enim de Iudice, qui à partibus litigantibus aditur; præſens à præſentibus; cuius ſententia præſentis à præſentibus efflagitatur, non in altera vita; ſed in hac, in hac, inquã. Nec quærimus, vtrum euidenter debeat ſcire ſe iuſtè damnatum, vel iniuſtè; ſed hoc aſſerimus, ita ſententiam dicendam eſſe, vt altera pars euidenter ſciat, ſe cauſſã obtinuiſſe, altera, ſe cauſſa cecidiſſe, ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè. Hunc autem diſcurſum de iudice, in ipſo Colloquio, in Reſponſo, in Digreſſionibus, & his Doſibus à me explicatum & defenſum, vt & à *P.* Tannero in ſua Relatione; explicandumque & defendendum, quoties neceſſitas poſtulauerit, *ferreum* & *adamantinum* eſſe, teſtatur improbus prædicantium & huius Ciniflonis labor, quo, etſi incaſſum, tentãt huius Syllogiſmi robur labefactare & incidere. Vide verò ſis inſipientiam Alchymiſtæ, vbique quidem admodum conſpicuam, in hoc tamen Syllogiſmo euidentiſſimè relucentem. Vt verbum diuinum probet eſſe Iudicem, atq; adeò iam iudicare, ſic argumentatur.

Si in extremo die (ſiue is ſit omnium vltimus, ſiue vltimus vitæ cuiuslibet) verbum olim à Saluatore pronunciatum iudicabit actu, potentiam iudicandi aut tunc accepit, cum dictũ eſt: aut accipiet tandẽ extremo die:

Sed non accipiet extremo die:

Habuit ergo poteſtatem iſtam ſtatim, vt à Saluatore eſt enunciatum.

Syllogiſmus iſte eſt Alchymiſticus, & χρυσοποιητικός. Nã ſubſumendum erat. *Sed in extremo die (ſiue is ſit omnium vltimus, ſiue vltimus vitæ cuiuslibet)* verbum à Saluatore pronunciatum iudicabit: ergo poteſtatẽ illam aut tunc accepit, cum pronunciatum eſt; aut accipiet demũ in extremo die. Hac legitima forma omiſſa, aliã nobis obtru-

dit Alchymista prorsus spuriā & illegitimā, & legibus cōiunctorum Syllogismorū aduersa frōte repugnantē. Sed donemus Alchymistæ vitiū formæ. Ad argumentū concedo Maiorē cum illa hypothesi, *si habet potestatem iudicādi*, propriè sumendo *iudicandi* vocabulum; concedo insuper Minorem: & deniq; conclusionē; cum illa conditionali; *Si potestatem iudicandi propriè loquendo habet.* Assume iam: prout assumendū erat sub illa Maiore, *At habet propriè loquendo iudicandi potestatem.* Nego Chymice, quia iudicat tantum impropriè; impropriè igitur duntaxat Iudex est, & consequenter impropriè tantum potestatem *iudicandi* accepit; eo sensu, quo quęuis lex dicitur *Iudex, iudicare*, & *potestatem iudicandi* accepisse; quatenus videlicet secundū legem iudiciū à Iudice instituitur; vt iā antea in Responso dictum. Cum igitur iam iudicia de religione instituantur etiā secundum Verbum scriptū; vtiq; Verbū scriptum iā quoq; non immerito *iudicare* & *Iudex* esse dicitur; quia est norma & regula Iudicis. Sed hoc nihil ad nostrum propositū: non enim quærimus iudicē impropriè, sed propriè dictum; qui propriè dictam ex legū præscripto iudicandi potestatem acceperit; qui adiri & audiri in quauis cōtrouersia clarè possit: qualē cum legibus in quauis benè constituta Republica necessarium esse, qui non videt, is nihil videt. ipseq; Chymicus fermè in eam rursus it sententiam, vt munus hoc iudicandi arroget prædicantibus, seu vt ipse loquitur, *ecclesiastico exercitio*, in quo *actum*, quo scriptura iudicat, semper *vigere & quocunq; tempore exerceri* ait; nimirum, quia prædicantes perpetuò vociferantur; hanc vel illam esse scripturæ aut Spiritus sancti loquentis per scripturas mentem. Egregij profectò controuersiarum iudices, digniq;, quos tanquam falli & fallere nescios in omni controuersia adeamus & audiamus.

Ex illo Ioan. 3. *Qui non credit iam iudicatus est*: hunc Syllogismum exstruit Lullista.

Si Spiritus sanctus loquitur per Verbum, & iam iudicat non credentes, siue sciant, siue nesciant se iudicatos, recipiant sententiam, aut repudient (debuerant enim) dicit in suo verbo iudiciariam sententiam, estque Iudex per illud præsens:

Sed verum est antecedens:

Verum ergo & consequens.

Respondeo Maiorem esse falsam, si, vt debet, intelligatur, de Iudice controuersiarũ, de quo solo disputamus, immediato, & ordinario, qui à quouis in quauis caussa facilè adiri & euidenter audiri possit: non enim ideo Spiritus sanctus loquens per scripturam talis Iudex censeri potest; quia loquitur per verbum, & iam qualitercunque iudicat non credentes; ostendendo nimirum illis per scriptum Verbum sententiam futuræ damnationis, & declarando illos reos suppliciorum, ni resipiscant; non inquam propterea censeri potest Spiritus sanctus loquens per scripturas immediatus & ordinarius omnium controuersiarum Iudex, quia talis ita debet esse comparatus, vt cum à partibus aditur, euidés det iudicium inter lepram & leprã; sanguinẽ & sanguinem: quod Spiritus sanctus loquens per scripturam non facit, quamtumuis licet tergiuersemini. Quemadmodum verò in rebus politicis præter summum legislatorem & Iudicem, oportet, pacis conseruandæ gratia, alios esse iudices, qui lites dirimant, & quid secundum leges agendum aut fugiendum sit, edicant; licet summus legislator & Iudex per leges suas, maleficos iam iudicarit & pœna dignos declararit; ita & in Eccle-

ſiaſtica Hierarchia neceſſe eſt, vt præter Spiritum S. damnãtem omnes infideles & hæreticos vna cum erroribus, quos introducunt; ſit alius iudex immediatus, generalis & ordinarius; qui exorta controuerſia in ſpecie dicat, hoc vel illud dogma à Spiritu ſancto alienum; ac proinde ſummopere vitandum eſſe; idq; præſtare debet, non modò in vna vel altera, ſed ſimpliciter in omni omnino circa res fidei controuerſia. Quæ ſpiritui ſancto loquenti per ſcripturas non competunt; & ideo non competunt, quia ipſe Spiritus S. noluit illa ſibi competere.

Necdum finis. Pſalmo 96. vt Alchymiſta numerat, legimus: *Dominus venit iudicare terram, iudicabit orbem terræ in iuſtitia, & populos in veritate ſua*: hinc naſcitur hoc enthymema. *Deus iudicat in veritate ſua, vt Saluator explicat.* (Vbi?) *Ergo verbũ Dei in Eccleſia eſt Iudex,* & quidẽ omniũ controuerſiarũ. De tali enim Iudice litigamus. Qui Alchymiſtici huius argumenti profunditatem non capit, is Chymicũ noſtrũ adeat, ab eoq; ſuppliciter *Mercurium ſublimatũ* ꝓ eleuando ingenio petat ſcilicet, vbicunq; Deus aut Redẽptor noſter Chriſtus *iudicare, aut iudicaturus* dicitur, ibi omnis alius controuerſiarũ Iudex excluditur; ac proinde ſtatim huic Chymicæ conſequentiæ locus eſt.

Deus iudicat, aut iudicabit:

Ergo nullus alius quærendus, aut expetendus eſt omnium controuerſiarũ Iudex in iſta militante Eccleſia; qui vice Dei fungatur, & ab omnibus facilè adiri & clarè audiri queat.

Argutè; quaſi ideo Deus non iudicet, quia per miniſtrũ & Vicarium ſuum iudicat, Et quaſi ideo non ſit alius iudex, quam Chriſtus, quia Chriſtus extremo iudicio ipſe ad ſpectabiliter præſidebit. Et quam docta eſt hæc iſtorum potius imaginatio, quam argumentatio?

Chriſtus

Christus generatim lege sua judicat, & damnat omnem improbitatem:

Ergo non est opus vllo alio speciali judice, qui improbos sententia judiciaria percellat, & à nequitia absterreat.

Timendum erit, ne isti paulatim eò deueniant, vt omnes simpliciter Iudices, etiam politicos, exterminent: nam *Dominus venit judicare terram*, vt noster Alchymista differit; *ipse judicabit orbem in æquitate, & populos in veritate sua.* Quid ergo opus aliis judicibus? Abeant & valeant, aut si in foro ciuili judices necessarii sunt, non obstante, quod Christus generali sua doctrina judicat, judicabitq; *orbem in æquitate, & populos in veritate sua*; etiam in foro Theologico & Ecclesiastico alii judices necessarii erunt, præsertim vnus, qui cæteris omnibus maior, iisdem auctoritate infallibili præemineat. Quam verò impium & blasphemum est, quando Alchymista cum suis Prædicantibus affirmare non veretur; non Christũ, sed *verbum* Christi judicaturũ in extremo judicio. Quęso, de quo profitemur istud in symbolo? *Inde venturus est judicare viuos & mortuos.* De verbone, seu doctrina Christi, an de ipso Christo? De quo vaticinatur Propheta? *Iudicabit orbem terræ in æquitate,* &c. De verbone, an de ipso Christo? Nam quod Christus ait: *Sermo, quem locutus sum, ille judicabit eum in nouissimo die:* id perinde est, ac si Imperator diceret: lex quam tuli, judicabit proditorẽ, quando scelerum suorum pœnas dabit: an ideo lex, non ipse Imperator Iudex est? quia actus judicandi non nisi impropriè legi adscribitur, quatenus nimirum lex est regula judicii & judicis, ad cuius præscriptum totus judicandi actus & processus conformatur. Verum isti ad illud perfectionis culmen adscẽderunt, vt eos nullius amplius aut blasphemiæ, aut inscitiæ, aut impudentiæ pu-

deat. Et hic finis esto tricesimæ Doseos Stibiariæ, quæ vt & omnibus antegressis, insanum istum Alchymistam sanitati restituere conatus sum. Si euentus spem fefellit, cogitet prudens & eruditus lector, hunc Arsenicarium ex eorum esse numero, *quibus*, vt ait præclarus Christi Martyr Irenæus: *vniuersæ terræ helleborum* (Antimonium) *non sufficit ad expurgandum, vti euomant tantam suam stultitiam.*

Iren. l. 2. c. 53.

Hormisda Pontif. epist. ad Possess.

Quando enim virus, quod viscera penetrauit euellitur? Quando corda male sibi credula veritatis obtemperant institutis? Quando induit obedientiæ humilitatem opinionibus suis vallata superbia? Quando acquiescunt paci contentionum studiis assueti, sola certamina amantes de religione captare, & mandata negligere? Nunquam apud eos charitas nouo commendata præcepto, nunquam pax Dominico relicta discessu. vna pertinacis cura propositi, rationi velle imperare, non credere, contemptores auctoritatum veterum, nouarum cupidi quæstionum, solam putantes scientiæ rectam viam, qualibet concepta facilitate sententiam, eo vsque tumoris elati, vt ad arbitrium suum vtriusque orbis putent inclinandum esse judicium, nec in numero fidelium deputantes sequaces traditionis paternæ, si suæ viderint cedere nolle sententiæ. Docti crimina ferere, obtrectationum venena componere, integrum Ecclesiæ corpus odisse, seditiones instruere, inuidiam concitare, & pro obedientia obstinationem pertinacis amare superbiæ.

Tom. 2. operũ S. Athan. fol. 262.

Qui contentionis studio feruntur, ait vetus scriptor, *eorũ insanum furorem nulla, credo, potest oratio cohibere: sed vt mille quis, eaque inuicta argumenta proferat, veritatem quidem ille demõstrauerit: at operariis mendacii de ea minimè persuaserit: sic enim & qui clarißimis demonstrationum firmamentis conuicti à veritate exciderunt, ij nec desistunt à proposito suo, nec in viam rectam redeunt, sed vias præcipites ingreßi, hinc inde circumeunt; &*, vt inquit S. Cyrillus: *tum ciuitates, tum regiones, quasi agrestes*

S. Cyrill lib. 1. Dial. de Trin.

vespæ

vespæ, paßim volantes grauibus bombis implent, loquentes ea quæ in cordibus ipsorum sunt, & non ex ore Domini, sicut scriptum est: qui sicut vituli abarmentati & dispersi, eunt rectà ad id, quod sibi arridet, & prætercursis optimis & verè pulcherrimis pascuis ad tribulos festinant & spinas, dum imprudentium quorundam falsorum Doctorum sermonibus pascuntur.

FINIS.



Epi-



Epigramma

IN DELIRVM ALCHYMISTAM.

NEscio quem Medicũ læſo inſanire cerebro
Cogit, & in rabiẽ maior ERINNYS agit:
Mittite, ſi qua liquãt medicatos germina ſuccos,
Si qua Machaonias inſula ſudat opes.
Viſcera ſi Medico tumuiſſent ægra rubetâ,
Te poterã medicas poſcere, Pſylle, manus.
Nunc date, ſi quid habet natura potẽtius; iſte
Sanari tritâ non ſolet arte furor.
Huic & veratri vis prodeſt nulla cerebro,
Euacuet totas iam licet ANTICYRAS:
Et pariter ſerum eſt, mediã pertundere venã,
Nõ vna hũc morbũ vena, ſed omnis habet.
Quid faciã? dices; furor eſt à ſanguine. Cauſſa
O vtinam morbo deſinat eſſe tuo.



Breuis admonitio,

QVALIS SIT LIBER ANTIGRETSERVS INSCRIPTVS, ET A

Pædagogo quodam Witebergensi in gratiam Hunnij emissus.

PRæter fictitium Varnam, verissimumquè Alchymistam Libauium scripsit ex Lutheranis contra Responsum meum ad Theses Hunnianas, pædotriba quidam VVitebergensis; cui si separatim responderem, profectò non pretium, sed dispendium operæ facerem. I. Quia ex ineptiis, mendaciis, & calumniis totus consutus est. II. Quia librum meum in plures partes, quàm Penthea Mænades, discerpit, turbatoque omni ordine quiduis quouis loco inscitiâ & impudentiâ

incessit, meaq; verba passim inuertit, & quæ in mentem nunquam venerant, atque adeo non semel ipsa Hunnii verba mihi affingit. III. Quia si quid adfert, nil nisi veteres nænias adfert, jam in Chymico à nobis profligatas, vt & in digressionibus aduersus Hunnium; vt taceam varios R. P. Tanneri de eodem argumento libros, quibus extremam istorum vanitatem validè redarguit, & perspicuè conuicit: *Quis disceptandi finis erit, & loquendi modus*, ait præclarè sanctus Augustinus, *si respondendum esse respondentibus semper existimemus?* præsertim huiusmodi respondentibus, Magistellis insulsis & inscitis, *quos gloria vexat inanis*, & in theatrum agit, vt famam, nomenq; sibi mentiendo & criminando conficientes, hac saltem via ex tenebris emergant, & in mundo inclarescant: *quorum dicta contraria*, inquit S. Augustinus, *si toties velimus refellere, quoties obnixa fronte statuerint non curare quid dicant, dum quocunq; modo nostris disputationibus contradicant; quam sit infinitum, & ærumnosum, & infructuosum vides. Nam qui vel non possunt intelligere, quod dicitur, vel tam duri sunt aduersitate mentis, vt etiamsi intellexerint, non obediant, respondent vt scriptum est, & loquuntur iniquitatem, atq; infatigabiliter vani sunt. Facilè est, cuiquam videri respondisse, qui tacere noluerit. Aut quid est loquacius vanitate? Quæ non ideo potest, quod veritas, quia si noluerit tacere, etiam plus potest clamare, quàm veritas.*

S. Aug. l. 2. de ciuit. Dei ca. 1.

Aug. l. 5. de ciui. Dei c. 27

Quamuis verò semper inuicta maneat veritas, nunquam tamen aduersus eam se attollere desinit falsitas. Et quia aperta fronte contra eam non est ausa assurgere, ne mox validissimis eius jaculis prosternatur, ipsius adumbrata specie, aduersus eam dimicat. Atq; ita non solùm leues & incautos, verum etiam aliquando prudentes & graues decipit animos, quos cum suis suppleuerit tenebris, cogit eos insano mentis judicio detrectare, quæ vera sunt, & appro-

Ioan. Maxen. Resp. epist. ad Possess.

approbare, quæ sua sunt, & ideo non est mirum, si apud eos virtus reputetur in vitium, qui deserti lumine veritatis fallaciæ nebulis obcæcantur. Hinc denique eos, quos ad sui erroris dedecus inclinare nequiuerint, irreligiosos, superbos, & inuidos accusare non metuunt. cum hæc de illis potius integro & vero adseueretur judicio, qui erroris tenebris delectantur, non de illis, qui fixis permanent in veritate vestigiis.

Vt autem lector aliquot saltem ineptiæ pædotribicæ specimina videat, aliqua ex immenso quasi ineptiarum campo excerpam. Ac primum Syllogismum illum, de quo supra Dosi 29. & 30. copiosè disputauimus, ipse etiam oppugnat; sed *Hunnianis pugionibus*, hoc est, plumbeis, magnum quidem vulnus minitantibus; sed nullum prorsus infligentibus. Quid magis horrificum, quàm illud, quod contra me intorquet telum? *Non verebatur, aut exhorrescebat cyclopicis & giganteis è faucibus rugire.* Et quid tandem? *Spiritus sanctus non potest per scripturam judicare, vt euidenter sciam, me amisisse caussam.* En crimen *Cyclopicum* & *Giganteum*: quod vt euidentius fiat, hunc syllogismum eruditus lector consideret.

Quod per scripturam Canonicam, quam modò habemus, non est locutus Spiritus sanctus, illud per scripturam Canonicam, quam modò habemus, loqui non potest: Sicut ego loqui non possum per scripturam huius mei libri confecti jam, & absoluti, quod per scripturam huius mei libri non sum locutus: quia plus loqui nequeo per scripturam jam absolutam, quàm per illam locutus sum: Sed Spiritus sanctus sententiam judiciariam per scripturam, quam modò habemus, non ita contra me locutus est, vt eâ scripturâ lectâ aut inspecta, euidenter sciam, me amisisse caussam:

ergo Spiritus S. non potest per Scripturam, quam modò habemus, ita contra me loqui sententiam judiciariam, vt euidenter sciam, me amisisse caussam; *& consequenter Spiritus S. non potest per Scripturam judicare, vt euidenter sciam me amisisse caussam.* Maior tam est euidens, vt fungus sit, qui neget. Minor nihilo est obscurior, vt ipsi Prædicantes agnoscunt. Aut si in Scriptura, & per Scripturã Spiritus S. ita locutus est contra me sententiam judiciariam, vt euidenter scire queam, me caussa cecidisse: ostendant mihi Prædicantes in scriptura hanc sententiam, & acquiescam.

Nec refert, quod Spiritus sanctus absoluta sua potestate vti potest Scriptura, tanquam instrumento, ad ingenerandum menti euidentem de sententia judiciaria conceptum & notionem, quodq; idem vocibus scripturæ nouas significationes imponere valet: non refert, inquã, hoc, quia vt à postremo incipiã, de scriptura loquimur, prout jam suos significatus certos & determinatos habet, nõ vt nouos per nouam impositionẽ accipere potest. Quocirca disertè dico, per *scripturam, quam modo habemus*, seu per scripturã, *prout jam scriptura constituta est*, vt excludam ea, quæ de nouo scripturæ accedere, & accidere diuinitus queunt: Certè si quis ita philosophari velit, is concedere debebit, non modò sententiam judiciariam, sed quiduis aliud à scriptura significati posse, cum vocibus eius per impositionem Dei diuersissimæ significationes obtingere possint.

Iam quod ad instrumentum attinet, potest Spiritus S. etiam lapidem, & quamcunq; aliam creaturam assumere, tanquam instrumentum, ad productionem alicuius effectus, atq; adeò etiam huius, qui est, euidenter scire, num quis in controuersia fidei caussam obtinuerit, an amise-

amiserit. An ideo lapis, aut quælibet alia creatura, vt ea, tanquam instrumento, Spiritus sanctus vti potest, rectè dicetur, Iudex omnium controuersiarum fidei? Nec quidquam ad rem facit hæc de instrumento obiectio. non enim loquimur de scriptura, vt esse potest instrumentum Spiritus sancti; sed vt de facto est verbum spiritus sancti. Aliud est verbum; aliud instrumentum. nec verba loquentis dicuntur instrumenta, nisi lata & ampla notione, qua omne illud dicitur instrumentum, quod seipsum sensui, & præter se etiam aliquid aliud animo obiicit. Quo pacto scripturam esse Spiritus S. instrumentum, nihil aliud est, quam scripturam esse verbum Spiritus S. cuius instrumentalis vis nihil aliud est, quam significatio, ac proinde quod per hoc suum Verbum, vt iam tanquam significans in chartā relatum est; Spiritus S. locutus non est; id per illud, vt iam sese quoad significationem habet, loqui non potest: nisi nouam vim instrumentalem, hoc est, nouam significationem verbo largiri velit. Quod si contingeret, iam scriptura aliter, quàm hactenus, constituta foret: quod nostræ hypothesi repugnat: ponimus enim scripturam eodem modo comparatam manere, quo huc vsq; fuit, sine vlla significationis variatione.

Negat Hunnium concessisse Maiorem. Atqui Maiorē ab illo concessam fuisse inde manifestum fit, quod transmissa Maiore negauit Minorem: vbi enim vnquam auditum est, vt quis ad Minoris negationem se conferat, si Maiorē credat esse falsam, præsertim si eiusmodi sit Maior, in qua totius disceptationis cardo vertatur; quod de Maiore Syllogismi mei non temerè profectò affirmauerim, si affirmem. An non Hunnio statim publicè gratias egi, pro tam liberali concessione?

An quidquam contra gratias à me actas mutiit? An non siluit totus in Minorem intentus? Cuius pondere cum nimium vrgeretur & arctaretur, ad Maiorem sese retulit; concessâ Minore, quam antea negauerat. An non ipsemet Hunnius dixit, me de Maioris concessione monente: *Concessa est Maior*, quamuis adiecerit: *Sed cum promissa declaratione.* Vbi verò illa *promissa declaratio*? Ego coram nullam audiui; neq; vllam lego in Protocollo. Sed cum in angustiis versaretur, nec exitum videret, modò hoc, modò illud dicendum erat, ne prorsus obmutuisse videretur. Nec tam curabat Hunnius, quam constanter diceret; quam vt diceret; quia putabat se auribus secũdis audiri, quidquid demum diceret; modo non sileret. Quod si *hoc est respondere posse, quod est tacere non posse*; tum fateor & Hunnium, & Alchymistam, & Pædotribam aliosq; prædicantes ad Syllogismum meum respondisse; quia tacere nunquam potuerunt.

Qua tacendi impatientia incitatus pædotriba ait. *Ista Gretseriana propositio communissima est omnibus iudicibus*: Propositio mea est ista. *Omnis Iudex, quando aditur à partibus, ita debet dicere sententiam, vt altera pars euidenter sciat se caussam obtinuisse, altera se caussam amisisse.* Si conditiones in hac propositione positæ communissimæ sunt omnibus iudicibus; vera ergo erit Maior, quia exstructa est ex illis conditionibus, q̃ omnibus iudicibus sunt cõmunissimæ. Si omnibus iudicibus communissimæ sunt; erũt igitur etiam communes Iudici controuersiarum Theologicarum; quia continetur sub Iudice in communi. quemadmodum homini commune esse debet *corporeum, viuens, sentiens*; quia hęc sunt communissima omnibus animalibus, inter quæ etiam homo comprehenditur; & animali in communi competunt; Communia igitur erunt

erunt & homini; quia homo sub animali in communi continetur. At communissima illa omnibus Iudicibus, non competunt sacræ scripturæ, seu Spiritui sancto loquenti per scripturam. Neq; enim scriptura neq; Spiritus sanctus loquens per scripturam, quando aditur à partibus, ita dicit sententiam, vt altera pars euidenter sciat, se caussam obtinuisse, altera se caussam amisisse; vt ipsimet prædicantes vel inuiti & reclamantes agnoscere coacti sunt, & adhuc agnoscere cogũtur, etsi admodum durus hic bolus Hunnio accidit; scriptura igitur aut Spiritus sanctus loquens per scripturam non est Iudex; quia si Iudex esset, communissima omnibus iudicibus ei competerent: sicut si lapis animal esset; communissima omnibus animalibus lapidi conuenirent.

Immiscet, inquit Pædagogus, *sæpißimè politicũ iudicem, tã iustum, quam iniustum.* Atqui mentiri te testatur mea Maior, in qua nullum verbum de iudice politico; quia disertè dicit: *Omnis Iudex, quando aditur, &c. Omnis Iudex* latius patet; quam Iudex politicus: Sicut *omne animal* latius diffunditur, quam homo. Est quidem Politicus Iudex, Iudex, at non omnis Iudex est Politicus Iudex. Ego in Maiore mea generalissimum, quod Iudici, qui aditur, competere potest; assumo; vt si hoc generalissimum non reperiam in Iudice controuersiarum; quem vos fingitis, & per fictionem introducitis; palam demonstrem; Iudicis nomen & notionem ei nullo pacto conuenire posse. Quod ipsum, si ne in iudice quidem ciuili inuenirem, quid aliud restaret, quam vt verum iudicem esse abnuerem? Generalia enim prædicata necessario insunt in speciebus, generi illi substratis. At vide obsecro, lector, quam peritè, vel

potius

potius pædotribicè quæstionis statum formet. *Subiectum primum & adæquatum demonstrationis est, aut esse debet: Iudex controuersiarum Theologicarum summus, iustus, Iudicij inchoati, quale competit Ecclesiæ militanti.* Vbi sub singulis prope verbis singulas fraudes celat, maximè sub illis: *Iudicij inchoati*, quibus innuit, decisionem controuersiarum in Ecclesia militante non tam terminari, quàm inchoari. Quod isti comminiscuntur, vt à iudicio Ecclesiastico huius vitæ & status confugere & transilire liceat ad alterum sæculum, quasi tunc palam futurum sit, quis rectè senserit; quis malè; quis caussam perdiderit; quis obtinuerit. Verum non nos quærimus iudicem in altero sæculo; scimus quis ille sit; sed inquirimus, quis in hac vita controuersiarum sit Iudex ordinarius, in singulis cõtrouersiis adiri & audiri idoneus. Itaq; quæstio nostra hæc est, Vtrum scriptura, aut Spiritus sanctus loquens per scripturam, sit ordinarius iste controuersiarum Iudex. Hæretici affirmant. Nos negamus; & vt negationem nostram demonstremus, assumimus id, quod generatim omni Iudici conuenit; & quia in Iudice, quem sibi fingunt hæretici, non reperitur, ideo fidenter asseueramus, Iudicem reuera non esse, quia Iudicis nomen in illum minimè quadrat, cui communissimæ Iudicis notiones & functiones non quadrant. Quia tamen pædotribæ displicet, etsi immeritò, quòd meo in Syllogismo, ex generalibus iudicis proprietatibus argumentor, vt inde concludam, num scriptura, aut Spiritus sanctus loquens per scripturam, sit controuersiarum Iudex; agedum omittamus isthæc, & assumamus id, quod iste nobis ineruditè præscribit, dispiciamusq;, num & hinc propositum conficere liceat. Iudex controuersiarum Theologicarum summus iustus, iudicij inchoati, (respe-

ctu

tu extremi iudicij, etsi perfecti quoq; in suo genere) in hac Ecclesia militante, ita debet dicere sententiam, quādo à partib⁹ litigantibus aditur, vt altera pars euidenter sciat se caussam amisisse; altera se caussam obtinuisse; sed scriptura, vel Spiritus S. loquens per scripturam, quando à partibus aditur, non dicit sententiam ita, vt altera pars euidēter sciat se caussam obtinuisse, altera se caussā amisisse: ergo scriptura non est controuersiarum Theologicarum Iudex ille summus, iustus, *iudicij inchoati* in hac Ecclesia militante. Maiorē si neget pędotriba, suo inprimis Hunnio contradicet, qui eam concessit. At negauit postea: Non nego: si igitur cum negante sese cōformet, dicat, oro, cui bono tandem talis Iudex in Ecclesia militante constitutus sit, si non ita ferat, & proferat sententiā iudiciariam, vt altera pars post sententiam latam sciat quid obtinuerit; altera quid amiserit. Fingamus enim in rebus politicis esse eiusmodi Iudicem; qui quoties exorta controuersia à partibus aditur, partes æque dubias atq; incertas relinquat; neq; vnquam clarè & perspicuè, caussæ meritis ad iustitiæ lancem expensis, definiat, quid huic de iure competat, quid alteri non competat: fingamus, inquam, talem iudicem in foro ciuili, litibusque politicis, an non perinde erit, ac si nullus planè Iudex constitutus foret? Anne talis nomen Iudicis merebitur? An hoc honore iure afficietur? Certè quisquis sapit, is abnuet. Quorsum enim Iudex, si sententiam non dicat? Si dictam partibus euidenter non *intimet* seu notificet; vt sciant, quid tenendum, quidq; respuendum. Quis finis Iudicis, nisi vt contentiones sopiat, & de medio tollat? An sopiet, si partes mentem Iudicis euidenter non percipiant? Si euidenter non percipiant, nihilo plus effectum est, quam si

Iudex nullus penitus esset; sicut & reuera nullus est, nisi vbi ita tandem sententia profertur, vt partibus sententia Iudicis perspicuè liqueat, non in altero sæculo, sed in isto; quia in isto controuersiæ exsistunt: in isto disceptatur & decertatur à partibus; oportet ergo in isto sæculo esse Iudicem, qui has disceptationes iudiciaria sententia tandem terminet. Dico, TANDEM; quia non est necesse, vt primo statim partium accessu sententiam ferat; ferat secundo, tertio, quarto, & si placet, vlteriore: at simul hoc etiam necesse est, vt si sententia differatur, alter euidenter sciat, contra se ab hoc iudice, quem adiit, sententiam, se adeunte & præsente, & audiente non esse latam; aut si putaret latam, certò tamen sciret, sibi patefaciendam & euidenter manifestandam. Nec absistere tenetur à lite, quoad vsq; sententiã iudicis euidenter cognoscat; quidquid altera pars de sententia condemnatoria vociferetur. Quod si qui fortè ad iudicem legitimum controuersiarum adeant, quorum nulli veritas & æquitas patrocinetur, sed tertio cuidam; vt si Lutheranus & Caluinista ad iudicem sententiæ iudiciariæ in materia Eucharistica expetendę gratia se conferant; tum licet neutri litigantiũ parti causa adiudicetur; vtraq; tamẽ pars euidẽter intelligit, se caussa cecidisse; victoriãq; alteri cuidã reseruari. Quæ de iudicio *inchoato* & *cõsummato* scribit, *Pædagogica* sunt; Nã iudicium, ꝙ Iudex controuersiarũ instituere & facere debet; *perfectum* & *consummatũ* esse debet in hoc Ecclesiæ militãtis foro. ꝙ enim Deus in extremo iudicio hæreticos etiã, omnesq; errones iudicaturus est; id iudicio *perfecto* & *consummato* non officit: nã fures quoq; & latrones iudicabit Deus; contra quos tamẽ iã in hac vita *iudiciũ perfectũ* & *consummatũ* datur; sed in hui⁹ vitæ foro ciuili.

uili.

nisi. Aut neget pædotriba iudiciũ aduersus furẽ vel latronẽ in hac vita *perfectũ* & *consummatũ* esse. Quod si pfectionẽ & consummationẽ iudicij aduersus furẽ non impedit ordo ad iudiciũ alteri⁹ seculi, cur pfectionẽ & consummationẽ iudicij aduersus hæreticos & errones impediret ordo ad iudicium Dei in altera vita? Sed ad sæculi alterius latibula confugiunt, vt suæ inscitiæ & ruditati mantelũ quærant. Quærunt quidẽ, sed nõ inueniunt; aut si nonnullũ inueniunt, nullo negotio detrahitur: nam q pædotriba Maiorẽ meã fingit & refingit identidẽ; fingat & refingat, quoties volet; semper in ea, velut in tenacissima pice, inhærescet. Anne enim sese extricabit, quamuis Maiorem hunc in modum formet? *Iudex in controuersiis fidei ac religionis, quãdo à partib⁹ aditur, ita debet dicere sententiam, vt altera pars euidenter sciat se iustè caussam amisisse; altera pars euidenter sciat se iustè caussam obtinuisse;* licet enim de veritate Maioris huius quæri posse videam, (de quo paulò infra) esto tamẽ seu *Transeat* Maior. At statim subsumo: Sed scriptura seu Spiritus S. loquens per scripturã, quando aditur, nõ ita dicit sententiam, vt altera pars euidẽter sciat, se iustè amisisse caussã, altera pars euidenter sciat, se iustè obtinuisse caussã. Ergo scriptura aut Spiritus S. loquens per scripturam nõ est iudex controuersiarũ fideĩ ac religionis. Quid ad hunc Syllogismum pædotriba hiscet? Verum Maior necdum sat commode ad vsum & gustum pædagogicum aptata est: Ait enim. *Sed neq; hæc limitatio sufficit.* Quæ ergo tandem sufficiet? Limita & *relimita* quantum voles; & hoc vbi feceris, tum mihi indica, quænam limitatio sufficiat. Cur vero prædicta limitatio non sufficit? *Quia iudex & iudicis conditio ad conditionem Ecclesiæ militantis iudicijq; inchoati adæquatè nondum est compositus.* Addamus igitur hos *terminos*

Maiori; ſicut & ſupra tuo ſeu monitu ſeu impulſu addidi. Idem prorſus ſequetur, quod omiſſis his terminis, vt ſupra oſtenſum, & quiuis cognoſcet, qui adiectis ad Maiorem illis *terminis* Syllogiſmum integrum conſtruere volet.

Si, inquit iſte, *ad conditionem militantis Eccleſiæ Iudex conſtituendus eſt, aut Chriſti voluntas & Apoſtolorum vaticinia irrita facienda erunt, aut Maioris propoſitionis iam modò ex parte limitatæ, non poterit ſubſiſtere conditio illa; vt altera pars euidenter ſciat ſe iuſtè damnatam eſſe; altera ſe cauſſam iuridicè & iuſtè obtinuiſſe.* At hæc conditio Maioris non eſt mea; ſed tua; nam in Maiore dixi ego, iudicem ita debere dicere ſententiam, vt altera pars euidenter ſciat ſe cauſſam obtinuiſſe; altera ſe cauſſam amiſiſſe; quantum eſt ex parte huius Iudicis, ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè: Neq; enim de iudicis officio eſt, ita pronunciare ſententiam, vt altera pars euidenter ſciat, ſe iuſtè cauſſam obtinuiſſe; altera euidenter ſciat, ſe iuſtè cauſſā amiſiſſe: Nullo modo iudici hæc conditio cōpetit; quotus enim quiſq; eſt, q etiam iuſtè amiſſa cauſſa, iuſtitiā amiſſæ cauſſæ cognoſcat, ignorantia, aut praua animi affectione impeditus & occæcatus? Satis igitur eſt, q Iudex, quando aditur, ita pnunciat ſententiā, vt altera pars euidenter ſciat ſe cauſſā obtinuiſſe, quantum eſt ex parte huius iudicis; altera ſe cauſſam amiſiſſe, quantū eſt ex parte hui⁹ iudicis; ſiue poſtea iuſtitiā ſentētiæ vtraq; pars euidenter agnoſcat; ſiue nō; hoc enim planè eſt ſentētiæ iudiciariæ accidentariū: Et cur tu, ſi quid efficere ſtudes, meam Maiorē non oppugnas? nā q proprias tibi concinnas, eaſq; mox falſitatis accuſas; quid hoc ad me? Etſi ex tuis quoq; ppoſitionib⁹ fictis & refictis arduum non eſt inſtitutum concludere.

Audire tamen iuuat, cur Maior illa falſa, prout à te reſtri-

restricta & temperata est. Quia, inquit, *si judex in controuersiis fidei ita sentētiā proferret, vt altera pars euidēter sciret, se justè caussā obtinuisse; altera se iustè caussā amisisse: tūc hostes plenissimo dominio Ecclesiæ subiicerētur; neq; ampli⁹ quoad hæreses & hæreticos esset militās, sed perfectè triūphās Ecclesia in hoc sæculo.* Nihil minus sequeretur, mi homo, quia posset quis ex mera malitia & obstinatione Iurisdictionē Ecclesię repudiare, vt non rarò contingit; licet euidenter sciret, se justè ab *E*cclesiastico Iudice damnatum esse; nam & Diaboli euidenter sciunt, se justè à Deo damnatos; & tamen voluntati Dei totis viribus repugnant: nec dicitur Ecclesia *militans* eò tantū, quòd ab Hæreticis, aliisq; infidelibus exagitetur; sed quia etiam à carne & sanguine, & ab inaspectabilibus Dæmonum copiis indesinenter oppugnatur & impetitur; quæ pugna minimè cessaret, licet omnes *E*cclesiæ hostes euidenter scirent, se justè ab Ecclesia damnatos esse.

Responsum, quod sequitur, Hunnianum est. *Fallaciam accidentis committit Gresérus.* Ad hunc locum, quoties cum suis retulit sese Hunnius? *S*ed vbi illa *Fallacia* in illo *S*yllogismo? In qua præmissa? *Hic non est quæstio*, inquit, *qualis ab Hæreticis in hac vita agnoscatur, sed qualis in se sit, & esse debeat.* Neq; ego quæro Iudicem, qualis ab Hæreticis aut fingitur, aut pingitur, aut agnoscitur; sed quæro Iudicem controuersiarum fidei, qualis in se est, & esse debet. Inspice *S*yllogismum meum; at non pædotribicis oculis; fortè tandem scopum *S*yllogismi assequeris. *S*ed instat Orbilius. *Si Spiritus S. & Christus non esset iudex per Scripturam etiam in militante, & controuersiis turbata Ecclesia, tum nulli forent* αὐτοκατάκριτοι, *nulli indurati, nulli peccato in Spiritum S. obnoxii.* At negatur sequela. Probas: *Quia peccatores eiusmodi hoc ipso, tanquam essentiali sua conditio-*

ur, definiuntur, quod in corde Spiritus sancti judicio conuicti sint, & sciant, se, quantum est ex parte judicis Christi aut Spiritus sancti per scripturam ac verbum loquentis, damnatos certè esse falsitatis aut impietatis. Cæterum hoc est multùm fabulari, & nihil probare. Falsum enim est αὐτοκατάκριτον, hoc est, suoipsius judicio damnatum, ideo esse talem, quod à Spiritu sancto tanquam ab ordinario & immediato in hac militante Ecclesia controuersiarum judice euidenter conuictus & damnatus sit: imò si hæc notio αὐτοκατακρίτου foret, nullus planè αὐτοκατάκριτος foret, nullũ enim euidenter damnat Spiritus sanctus tanquã ordinarius & immediatus omnium controuersiarum in hac militante Ecclesia judex, quia hoc judicium alteri cõmisit. Quis ergò proprio judicio damnatus dicitur? Ille nimirum, qui agnitæ veritati ex mera proteruia refragatur & insultat, quales multi inter Hæreticos, vndecũque tandem in agnitionem veritatis peruenerint. Item ille, qui veritati aures occludit, quales plerìq; Hæretici, qui nihil instructionis admittere volunt, aut si admittunt, ad aures admittunt, non ad mentem. Quam τοῦ αὐτοκατακρίτου notionem, indicauit Apostolus, cum ait: *Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita: sciens; quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio judicio cõdẽnatus*; hoc ipso videlicet, quod admonitioni & institutioni locum nullum præbet. Mentitur autem Hæreticus, cum subdit, me talem judicem postulare, *qui ita lites terminet, ne aduersarius contra latam à Iudice sententiam alias moueat neq; ea à peruersis & malè feriatis ingeniis deprauari, & in alienum sensum, aut trahi, aut rapi, aut in dubitationem vocari queat.* Nihil huius, quod mihi iste imponit, in libro meo inuenitur. Quis enim nescit proteruos & contumaces, Iudicis sententiæ, quantumuis ad vnguẽ exploratæ

Tit. 3.

refra-

refragari, & alias lites opponere posse? Quod si hoc ignorauissemus, perspicuè id nos docuissent, exemplo suo, Hæretici, qui aduersus sententiam Concilii Tridentini, tametsi euidentissimè sibi perspectam, alias lites mouent, & nihil nõ tentant, quo vim illius declinent, aut meritò declinare velle videantur. Interim euidenter norunt, se à Concilio Tridentino damnatos esse. Sicut & in foro ciuili euenire potest, imò in singulos dies euenit, vt quis euidenter sciat, se ab hoc vel illo judice damnatum esse, & tamen minimè acquiescat, motis de integro contra latam sententiam litibus. Neque inficias ierim, judicis sententiam in alienum sensum trahi, aut rapi, aut in dubitationem vocari posse: at si hoc contingat, tunc judex iterum adiri & orari debet, vt omnem obscuritatem à sententia judiciaria remoueat; & hoc præstare debet, si judicis officio legitimè fungi velit, potest etiam hoc facili negotio præstare. quis enim tam indisertus est & infans, qui tandem planè & perspicuè eloqui nequeat; quæ pars caussam perdiderit, quæ obtinuerit? Arbitror profectò paucos ex Lutheranis aut Caluinianis reperiri, qui Synodi Tridentinæ judiciarias definitiones in alienum sensum propter obscuritatem trahere, aut in dubium vocare valeant; etiamsi animus id faciendi non deesset. Quid clarius & euidentius illa sententia Iudicis. *Si quis dixerit, sacramenta nouæ legis non fuisse omnia, à Iesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura vel pauciora, quàm septem, &c. anathema sit.*

Quid clarius ista? *Si quis dixerit, hæc sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse, anathema sit.* Quid clarius aliis eiusdem Concilii definitionibus? Si aliqua vel aliquæ minus claræ apparent Hæreticis, facillimè impetrabunt à nostro judice eam declarationem, quæ Conc. Trid. Sess. VII.

quæ omnem dubitationem de sententia judiciaria eximat. Pulchrè verò ex nostris assertionibus & fundamentis probat Spiritum S. esse omnium controuersiarum in Ecclesia militante Iudicem. Nos docemus summum Pontificem, aut Concilium à Pontifice approbatum habere in definiendis dogmatibus infallibilem Spiritus S. assistentiam, & eatenus etiam Pontificem, aut Conciliũ cum Po tifice controuersiarum omnium judicem esse. Ex his hunc in modum argumentatur Hæreticus:

Papa est iudex omnium controuersiarum, vt infallibilem Spiritus S. adsistentiam habet:

Ergo multo magis Spiritus sanctus erit iudex omnium controuersiarum.

Respondeo, si Hæreticus has voculas suæ consequentiæ attexeret:

Ergo Spiritus S. loquens per Papam, aut per Concilium à Papa confirmatum, est iudex omnium controuersiarum.

Forsan non negaremus consequentiam, quam si & ipse admittere cogitat, non desperandum erit de concordia inter me & illum in hac quæstione. Nos enim minimè excludimus infallibilem instinctum & directionem sancti Spiritus, quando dicimus, Pontificem, aut Concilium à Pontifice confirmatum esse omnium controuersiarum Iudicem: Sed nosse debet Pædagogus has propositiones multum inter se discrepare. I. Spiritus sanctus, aut Christus est Iudex immediatus omnium controuersiarũ fidei in hac militante Ecclesia. II. Spiritus S. aut Christus loquens per Scripturam est Iudex immediatus omnium controuersiarum fidei in hac militante Ecclesia: III. Spiritus S. aut Christus infallibiliter loquens per Pontific , & vt per Pontificem loquitur, est judex omnium co rouersiarum fidei in hac militante Ecclesia:

Duas

duas enim priores propositiones falsas esse non modò arbitramur, sed & inuictis argumentis euincimus. Tertiam si Hæreticus vt veram admittere velit, gratulabimur ei agnitæ veritatis felicitatem; vtq; in ea constanter persistat, precabimur. Nam vox judiciaria Pontificis definientis quidpiam ex cathedra Petri, verè est vox Christi, & Spiritus S. Hic enim vel maximè valet illud Domini: *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Matth. 10. Illud tamen nescius non sit sectarius, Pontificem propriè esse controuersiarum omnium judicem; licet talis non sit, nisi propter infallibilem adsistentiam Spiritus sancti per Pontificem sententiam judiciariam & definitiuam proferentis; quia Pontifex est, qui aditur, qui consulitur, qui auditur, qui videtur. Sicut Moyses olim proprius & ordinarius, & immediatus Israelitarum Iudex erat; licet plerasque controuersiarum decisiones ex ore Dei acciperet, & postea publicè cum auctoritate judiciaria proferret; quia ipse, vt controuersiis exortis, adiretur & audiretur à Deo constitutus & ordinatus erat; homo nimirum inter homines; visibilis inter visibiles; loquens inter loquentes; auditus & audiens inter auditos & audientes: cuiusmodi Iudicem status & conditio hominum in hac vita & Ecclesia militante degentium, & ipsa etiam huius temporis litium natura efflagitat; nam qui vel ad inuisibilem Iudicem controuersias huius vitæ ablegant, vel ad talem, cuius sententia euidenter in quauis lite non percipiatur: illi verbo judicem statuunt, re tollunt.

Porrò Spiritum sanctum non posse esse per scripturam Iudicem omnium controuersiarum, quod *absolutè* dixerim, nec nego, neque vnquam negaui. Mentitur ergò imperitus Pædotriba, cùm ait, me hoc negare.

Vbi nego? *Indicet, notet, innuat*: Sed inſcitia decepit Pædotribam: Quia enim nego, me abſolutè dixiſſe in Colloquio, Spiritum ſanctum de potentia ſua abſoluta & extraordinaria poſſe eſſe controuerſiarum judicem: ideo videor ei negare, quod abſolutè dixerim, Spiritum ſanctum non poſſe eſſe judicem controuerſiarum per ſcripturam: quaſi non ſit clariſſimum inter hæc duo diſcrimen, & quaſi neceſsè ſit, vt qui negat ſe aſſeruiſſe primũ, neget propterea etiam ſecundum à ſe aſſertum eſſe, quia alia ratio eſt potentiæ Dei extraordinariæ & abſolutæ: alia ordinariæ. Quod autem de potentia ordinaria locutus ſim in Colloquio, inde liquet, quia diſputatio erat de Iudice ordinario, &, vt ſic dicam, quotidiano, qui in omnibus controuerſiis adiri, conſuli & audiri poſſit, qui Iudicis officium ordinariè obeat; quique id, quod officium Iudicis exigit, ordinariè præſtet, atque adeò ordinaria ſua potentia & poteſtate lites definiat. Hoc Spiritum ſanctum loquentem per ſcripturas ordinariè non efficere, luce meridiana clarius eſt: ſed nec efficere poſſe ordinaria ſua potentia, inde manifeſtum euadit, quia quod ordinariè ſibi noluit Spiritus S. cõpetere, hoc potẽtia ordinaria facere non poteſt: Sed vt Spirit⁹ S. loquens per ſcripturas controuerſias fidei imẽdiatè dirimat, ſibi ordinariè competere noluit; ergo hoc ordinaria potentia facere non poteſt. Maior clara eſt apud omnes, qui notionem potentiæ *ordinariæ* norũt. *Minor* probatur. Quia ſi Spiritus S. loquẽs per Scripturas voluiſſet ſibi competere officiũ ordinariè & imẽdiatè dirimendi cõtrouerſias, id faceret, quando vt loquens per Scripturas aditur, conſulitur; vtq; ſententiã ferat, quodãmodo obſecratur, & ita quidem faceret, vt altera pars euidenter ſciret, quid ex huius judicis ſententia ſentiendum

dum sit & amplectendũ, altera quid repudiãdum: At Spiritus S. hoc nõ facit, vt patet quotidiana experiẽtia. Quid ergo sequitur Pædotriba? Sed hæc sat scio, non capies. Dicamus planius & rudius. Quod de potẽtia ordinaria nõ vult Spiritus S. loquens per Scripturas, illud de potẽtia ordinaria non potest per Scripturas. Sed de potentia ordinaria nõ vult Spiritus S. loquẽs per scripturas esse judex im̃ediatus oĩum cõtrouersiarũ fidei, ergo de potentia ordinaria nõ potest hoc Spiritus S. per Scripturas. Maior est certa ex terminis: quia Spiritus S. nihil ꝑ potentiã ordinariã potest, nisi ꝙ per potẽtiã ordinariã vult, vt exẽpli caussa, quia Deus per potentiã ordinariã non vult cõdere nouum mundũ, ideò ꝑ potentiã ordinariã non potest cõdere nouum mundũ; & si per potentiã ordinariam cõderet nouũ mũdũ, posset vtiq; ꝑ potẽtiã ordinariã cõdere nouũ mundũ. Minor probatur. Quia si Spiritus S. loquens per Scripturas de potentia ordinaria vellet esse judex immediatus omniũ controuersiarũ fidei, tunc definiret omnes controuersias fidei im̃ediatè & ordinariè quoties à partibus adiretur & cõsuleretur, & ita definiret, vt altera pars euidẽter sciret, se ex sententia huius judicis caussam amisisse, alterã verò partem caussam obtinuisse. At hoc non fit, vt ipsimet Prædicantes, tametsi non sine mentis remorsu agnoscunt. Quare cum omnes concertationis illius circumstantiæ tantum non clamarint, disputationem nobis esse de Iudice ordinario, deque eo, quod ordinaria sua potentia facere potest & solet, non immeritò dixi in Responso, mihi in mentem non venisse loqui de absoluta & extraordinaria Spiritus sancti potentia, neque in mentem venire potuisse, nisi mente captus fuissem, positis nimirũ prædictis controuersiæ nostræ circumstantiis. Nam absolutè loquendo piacu-

lum nullum fuerit, asserere Spiritum sanctum, vt loquitur per scripturam Canonicam, quam jam habemus, & prout eam jam significantem habemus, ne posse quidem per absolutam & extraordinariam suam potentiam omnes fidei controuersias dirimere: quia, vt supra disserebam, implicat, vt Spiritus sanctus id loquatur per scripturam, prout jam in significando cõstituta est, quod per scripturam locutus non est; sed sententiam judiciariam de omnibus fidei controuersiis per scripturam locutus non est. vbi enim in scriptura est sententia judiciaria huius controuersiæ, Epistolam ad Philemonem v.g. esse Canonicã, & à D. Paulo scriptã? Item omnes illos libros collectiuè sumptos, quos pro Canonicis veneramur, verè Canonicos, & diuinitus inspiratos esse? vt plurima alia huius generis omittã, eaq; similiter prætereã, quę supra contra Alchymisticã ignorantiã, & in Digressionibus, contra prædicanticam inscitiam disserui. Sed ait Pædotriba: *non statim decernendũ hoc vel illud nõ posse à Deo fieri, quia nobis ita videatur.* Omninò, temerè hac in re nihil asseuerari debet. At si implicatio seu contradictio manifesta sit, sine vllo crimine affirmamus hoc vel illud potentia diuina non posse fieri. *Scimus*, inquit iste, *euidẽter, nos à Papa damnatos esse iniustè*. Benè, q fateris de euidentia. Scitis, vel inuiti, euidẽter vos à Papa damnationis sententia percullos. Nam quod addis, *iniustè*, id secundum existimationẽ quidẽ, & phantasiã vestrã euidenter scitis, vt non secundum rei veritatem. quia quod à patre rei non est, non scitur, multò minus euidenter scitur. Ergo nec hoc falsũ vestrum scitur, multoq; minus euidenter scitur. Dices: *putamus nos id euidenter scire*. Etiam Arius putabat euidenter se scire, se & suos iniustè dãnatos à Nicæna Synodo: Nestorius ab Ephesina: Eutyches à Chalcedonensi. An

ideo

ideò falſa hæc Hæreticorum opinio, ſcientia euidens erat, fundata non in fanatico hæreſiarcharum cerebro, ſed in re ipſa? Quod addit de *Doctoribus & Miniſtris Eccleſiæ*; ſunt & ipſi Iudices, ſed à ſummo dependentes, nec ſinguli per ſe infallibiles; nam quod vnanimem Doctorum conſenſionem infallibilem ſtatuimus, inde non ſequitur, hunc Doctorum conſenſum eſſe omnium controuerſiarum judicem. Quid enim ſi de ipſo Doctorũ vnanimi conſenſu quæſtio incidat? Quis tũ decidet, ſi non ſit alius judex? Quid ſi nõ conſtet, quis ſit concors Doctorũ ſenſus? Satis ergo fuerit, vt hæc cõſenſio normæ locũ obtineat, ſicut & ipſi ſcripturæ hoc ſufficit.

Quæris, *quæ hæreſes hodie à Pontifice exſtinguantur*? Reſpondeo, per ſententiam judiciariam omnes, quotquot hoc ſæculo ex infelicíſſimo Lutheri partu prognatæ ſũt, damnatas, & quantum eſt ex parte ſententiæ judiciariæ exſtinctas eſſe. Nam quod adhuc multæ ex damnatis Hæreticis vigent, & latè regnant, id non adſcribi poteſt defectui definitiuæ ſententiæ, ſed peruicaciæ & improbitati Hæreticorum, qui contra omnia jura ita ſe muniunt, vt non tantum ſpirituales Eccleſiæ pœnas floccifaciant, ſed & minas Imperatorum, Regumq; aſpernentur.

Reliqua, quæ vel contra noſtrum judicem, vel pro ſuo judice differit, eiusdẽ ſunt tenoris & valoris, trita ſcil. vulgaria, incõſtantia, mẽdacia, egregiæ ruditatis & im℗bitatis egregia teſtimonia, indigna refelli, digniſſima cõtemni, præſertim jam toties refutata, & ad nihilũ redacta. Quod S. Auguſtinus de prioribus quinq; libris operis ſui de Ciuit. Dei ℗nunciauit, id ego meis itidẽ libris non iniuria accommodauero. *Nimiæ quidem ſtultitiæ vel pertinaciæ, nec iſtos quinq;, nec vllos alios, quanticunque numeri libros ſatis eſſe poſſe quis neſciat, quando ea putatur gloria* S. Aug. lib. 6. de ciuit. cap. 1.

 vani-

vanitatis, nullis cedere viribus veritatis, in perniciem vtiq; eius, cui vitium tam immane dominatur. Nam & contra omnem curantis industriam non malo medici, sed ægroti insanabilis morbus inuictus est. Pulchrè Quintilianus. *Persequi quod quisq; vnquam vel contemptissimorum hominum dixerit; aut nimiæ miseriæ, aut inanis iactantiæ est, & detinet atq; obruit ingenia melius aliis vacatura: nam qui omnes etiam indignas lectione schedas* (quales pleræq; hæreticorum chartæ, præsertim istius pædotribę) *excutit, anilibus quoq; fabulis accommodare operam potest:* & cum hoc finio, indoctoq; magistellio obscurum suum nomen illustrare volenti illud non mali poëtæ accino.

Quint. lib. 1. cap. 13.

Mart. lib. 5. Epigr.

Adlatres licet vsq; nos & vsq;
Et gannitibus improbis lacessas:
Certum est hanc tibi pernegare famam,
Olim quam petis in meis libellis
Qualiscumq; legaris vt per orbem.
Nam te cur aliquis sciat fuisse?
Ignotus pereas miser necesse est.

FINIS.



IN.



INDEX DOSIVM.

INDEX RERVM.

B

C

D

E

F

O

P

quando


R

S

T

 modo


Finis Indicis.



Erra-

Errata ſic corrigantur.

Folio 1. verſu vltimo Χρυσείοις.*f.12.v.pen.dele ſe. 37.v.3.alloquũtur.ibid.v.29.viſio.34.v.10.vulnerans.ibi.v.22.caueantur. 35.v.1.varietate.ibid.v.14.librum.36.v.2.immenſum.38.v.13.arbitratu.39.v.8.qui.ib.v.15.accuret. ib.v.25.falſis. 45.v.14. veriſſimũ. 48.v.11.foriq;.ibid.v.29.porcus.ibid.v.vlt.candidiſſimum. 49.v.11. ſit. 52.v.26.lateq;. 58. v.9.tragœdia. 61.v.28.tam. 62.v.6.dedit.ib.v.28.cum ſerenitate. 70.v.18.ſunto.75.v.1.diem.85.v.19 facinus.91.v.19.damnabat.ibid.v.27.obiiciant.95.v.13 promptus 99.v.2.Raimundo.ibid.v.27.fuerint.100.v.20.ſimilis.ib.v.32.calamitas.130.v.32.Tubingenſi.105.v.26.Berengarius. 106.v.17.in manibus.115.v.33.Angliæ.132.v.28.ſententiæ. 144.v. 20.Chriſti. 151.v.28.vniuerſæ.156.v.9.complecteretur.162.v.12.notum.163.v.21.deprehendi.167.v.21.ex rudiſſimis.170.v.17.Horatius.174 v.27.ater.176.v.7.definitè.ibid.v.13.definitè.ibid.v.14.à Domino. 183.v.13.inquis.191.v.7.diligatis. 196 v.28. timuit,ne. 202.v.5.quia.210.v.17.præfatum.216.v.25.vt.217.v.27.in.237v.28.deſinat.253.v.30.concubinarii.255.v.2.mihi. 266.v.11.quoq;.267.v.14. ille. 271. v.16 honeſtatis.277.corrige 278. 285.v.20.dixit. 294.v.6.vt.296.v.6.vociferantur.298.v.21. licentia edendi anonyma.305.v.4.tractauerit.313.v.21.obſtante.323.v.8.Iam ſcio cur 328.v.10.turpitudinum.340.v.4.reſpondit.356.v.30.ſi vt.379.v.18.precandi.414.v.5.conſtat.486.v.12.intricatiſſimos.488.v.9.quantum.492.v.2.diſceptationum.513.v.9.promiſſa.533.v.10.vbi.ibid.v.17.iudicialem ibid.v.22.ſpiritu.537.v.23.prolata.539.v.25.ſcripturæ.547.v.pen.iudiciariam.*



INGOLSTADII

Ex officina Typographica Ederiana, apud Andream Angermarium.



ANNO M. DCIV.



